ANALECTA FRANCISCANA

Tom. VII.

ANALECTA FRANCISCANA

SIVE

CHRONICA ALIAQUE VARIA DOCUMENTA

AD

HISTORIAM FRATRUM MINORUM

SPECTANTIA

EDITA

A PATRIBUS COLLEGII S. BONAVENTURAE

ADIUVANTIBUS

ALIIS ERUDITIS VIRIS

TOMUS VII.

Processus Canonizationis et Legendae variae
Sancti Ludovici O. F. M.
Episcopi Tolosani.



AD CLARAS AQUAS, FLORENTIAE
QUARACCHI-FIRENZE
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MCMLI.

IN MEMORIAM

R. P. MICHAELIS BIHL

SECTIONIS NOSTRAE HISTORICAE

PER ANNOS XL

PRAEFECTI SOLLERTISSIMI

AC

R. P. BENVENUTI BUGHETTI

EIUSDEM SECTIONIS

PER ANNOS XXXVI

COLLABORATORIS MERITISSIMI

GRATO MEMORIQUE ANIMO

PATRES EDITORES

D. D.

LIBRARY
Toronto

LECTORIBUS.

« Habent sua fata libelli »[1]! Hoc etiam volumen, quod nunc tandem prodit, fata sua habuit, non solum longa, sed et tristia, quae non abs re erit breviter recensere.

Iam ab anno 1909 sociis Sectionis historicae Collegii nostri propositum erat edendi *Processum canonizationis s. Ludovici episcopi Tolosani,* quem in codice Mutinensi Collect. Campori *161* App. I detexerant, ut ipsi, in AFH II, p. 382, nota 1, declararunt. Illico igitur longum aggressi sunt laborem transcribendi textum huius codicis, foliorum 115; immo P. Benvenutus Bughetti, cui editio concredita erat, iam mense augusti anni 1911 Monachii variantes lectiones sedulo colligebat pro *Vita* a Ioanne de Orta exarata. Omni autem scientifico labori finem imposuit immane bellum anno 1914 exardescens. Ab anno 1915 Collegium nostrum fere totum depopulatum remansit, Patribus Collaboratoribus ad militiae servitia vocatis in Gallia, Germania et Italia[2], et fere omnibus operariis typographiae nostrae ipsis quoque ad arma vocatis. Durante bello tribus Sociis remanentibus impositum fuit, ut ederent tria volumina *Archivi Franciscani Historici* 1916-18; quod causa fuit cur labor pro editione Processus langueret, immo penitus cessaret. Belli terminata procella, post reditum Sociorum, et iam appropinquante septimo centenario obitus s. Francisci, aliud opus urgens assumendum erat, nempe editio Legendarum in volumine X *Analectorum Franciscanorum,* quod ceteris laboribus praeponendum erat. Ab anno 1930 ad 1934[3] nova inter-

[1] Terentianus Maurus, *De literis, syllabis et metris carmen heroicum,* lib. II, v. 1286.

[2] Solis tribus Sociis in Collegio relictis, ad servitia militaria evocati fuere confratres nostri Patres Michael Bihl, Livarius Oliger, Benvenutus Bughetti, Salvator Tosti, Zephyrinus Lazzeri et Fidelis Cloarec. Hic, dum rogatu ducis sui, exanime corpus commilitonis, ante hostes iacentis, ad refugium referret, globulo inimici interfectus concidit, merito postea ob tantae fortitudinis exemplum aureis decoratus insignibus.

[3] Cf. AF X, p. LXXXV, nota 4.

ruptio ob luctuosum discessum Patrum Michaelis Bihl et Benvenuti Bughetti in proprias Provincias et clausam typographiam. Redeuntibus praedictis duobus Sociis, labor editionis reassumptus est, donec bello immanissimo iterum anno 1939-44 exardescente, Collegium et typographia nostra a globulis exercitus anglo-americani gravissima damna subierunt, et, quod omnibus his magis dolendum erat, die 16 oct. 1944 P. Bughetti, brevi exhaustus infirmitate, Florentiae obdormivit in Domino. Ad hunc diem impressio voluminis iam pervenerat ad pag. 391. Interim incepta fuerat editio voluminis VIII *Anal. Franc.*, quod anno 1946 prodiit, et nonnisi anno 1948 ad finem vergente, licuit totis viribus continuare volumen de s. Ludovico. Assidue fervebat opus et impressio continuabatur, cum, ad cumulum doloris, die 3 ianuarii 1950 infatigabilis P. Bihl, infirmitate gravatus, coactus est studia et Collegium nostrum relinquere, ut, in civitate Metensi quiescens, sanitatem recuperaret. Ast eheu! morbo ingravescente, die 24 aprilis 1950 dilectus Rector nostrae Sectionis historicae Metis diem clausit extremum.

Haec igitur iam sufficiant, ut unicuique patere possit quas ob causas inter omnigenas difficultates, bellorum procellas et luctuosissimos obitus, huius voluminis editio, ob alios urgentiores labores retardata, tam lente processerit.

Defunctis itaque duobus praedictis carissimis et eruditis confratribus, mandatum fuit socio nostro P. Albano Heysse, ut opus inceptum perficeret et prolegomenis illustraret.

In his post brevem conspectum vitae s. Ludovici sequuntur disquisitiones de quibusdam huius vitae factis particularibus, de quibus olim controversia versabatur vel adhuc agitatur; deinde proceditur ad illustranda documenta in hoc volumine contenta, adiectis ad singula codicibus.

Praebentur autem in hoc volumine notabiliora documenta de vita et miraculis s. Ludovici episcopi Tolosani, inter quae eminet ille maximi momenti *Processus canonizationis* hucusque ineditus. Sequuntur deinde, cum novo examine codicum, sic dicta Vita *Vergente mundi vespere,* Legenda *In translatione s. Ludovici* et *Miraculum monasterii veneti. Liber* quoque *miraculorum*

hic primum prodit. Vita sancti praesulis, a Ioanne de Orta conscripta, iam prius edita, ad plurium codicum fidem collata est. Alia deinde adiciuntur quae studiosis utilitatem quamdam afferre possint, v. g. Legendae, iam olim editae, Paulini de Venetiis, episcopi Puteolani, O. F. M., et Petri Calotii, O. Pr., quae novo examini subiectae fuere. Legenda autem a Sedulio edita, merito neglecta est, quia ab editore ita ornata ac reformata seu potius deformata prodiit, ut nesciatur qualis fuerit textus authenticus codicis quem prae manibus habuit. Legenda quoque liturgica *Almus Christi confessor,* iam prius a P. Ed. Alenconiensi edita, iterata collatione ad fidem quinque codicum restituta fuit. Post hanc quaedam extracta alterius Legendae eiusdem initii praebentur, ut videatur quot quantisque mirabilibus Legenda liturgica a devoto quodam compilatore aucta fuerit.

Iucundum iam restat debitum solvendum, ut nempe grati animi sensus promamus erga omnes qui nobis auxilio vel consilio adstiterunt. Specialem autem gratitudinem exprimere lubet erga A. R. P. Matthiam Faust, Ordinis Fratrum Minorum Procuratorem generalem, qui codicum Washingtonensium *19* et *32* photocopias humanissime nobis procuravit. Dolendum sane, quod, belli causa, textu nostro typis iam excuso, tardius nobis advenerint. Horum tamen codicum, qui optimae notae censeri merentur, variantes lectiones collegimus ac separatim adnotavimus.

Dum opus nostrum studiosis offerimus, ominamur ut illud benigne recipiant, nos interim nihil gratius habituri quam ut illud ipsis utile sit futurum.

Ad Claras Aquas, 4 aprilis 1951.

FRATRES EDITORES.

BIBLIOGRAPHIA *.

AA. SS. *Acta Sanctorum* mensis augusti, t. III, edita a Sociis Bollandianis, Paris. 1867.
AF *Analecta Franciscana.*
AFH *Archivum Franciscanum Historicum.*
ALKG *Archiv für Litteratur - und Kirchengeschichte.*
ASPN *Archivio Storico delle Province Napoletane.*
BF *Bullarium Franciscanum.*

Albanès J. H., *Gallia christiana novissima,* 1899ss.
» » » *Le couvent royal de St-Maximin en Provence,* Marseille 1880.
Amelli A., O. S. B., *Sententia in musica sonora subiecti Ludovici sancti,* in AFH II (1909).
Analecta Ordinis Minorum Capuccinorum XIII et XIV, Romae 1897, 1898.
Arturus a Monasterio, O. F. M., *Martyrologium Franciscanum,* Parisiis 1653.
Baluzius S.-Mollat G., *Vitae Paparum Avenionensium* II, Paris 1929.
Barone N., *La Ratio Thesaurariorum della cancellaria angioina,* in ASPN X (1885).
Bartholom. Pisanus, O. F. M., *De conformitate vitae b. Francisci ad vitam Domini Iesu,* in AF IV et V, ad Claras Aquas 1906 et 1912.
Caggese R., *Roberto d'Angiò e i suoi tempi,* voll. 2, Firenze 1922, 1930.
Chronica XXIV Generalium Ordinis Minorum, in AF III, ad Claras Aquas 1897.
Citoyen de Brignoles, (P. Calixte Jean-Baptiste Rolland, O. F. M. Cap.), *La vie de saint Louis, religieux de l'Ordre de Saint-François et évêque de Toulouse,* Avignon 1780.
Cochin H., *Sur le Socrate de Plutarque. Le musicien flamand Ludovicus Sanctus de Beeringen,* in *Mélanges d'Archéologie et d'Histoire* XXXVII (1918-19).
Cottineau L. H., O. S. B., *Répertoire topo-bibliographique des Abbayes et Prieurés,* Mâcon 1935-37.
Digard G. - Faucon M. - Thomas A., *Les registres de Boniface VIII,* 4 volum., Paris 1884-1939.
Dreves G. M., S. I., *Hymni inediti. Liturgische Hymnen des Mittelalters* I, in *Analecta hymnica* IV, Leipzig 1988.
Idem, *Historiae rhythmicae. Liturgische Reimofficien des Mittelalters* VI, in *Analecta Hymnica medii aevi,* t. XXVI, Leipzig 1897.
Durrieu P., *Les Archives Angevines de Naples* II, Paris 1887.
Eduardus Alenconiensis, O. M. Cap., *Vita S. Ludovici episcopi Tolosani auctore Ioanne de Orta,* in *Anal. Ord. Min. Capucc.* XIII et XIV, Romae 1897-98.

---

* Inter modernos s. Ludovici biographos, ad quos tamen non duximus recurrendum, citantur etiam Benignus Fremaut, O. F. M., *Den Gheestlicken Palm-Boom* VIII, Ghendt 1707, cuius totum opus (12 voll.) iterum editum est a P. Ladislao Van den Berck, O. F. M., sub titulo *De Seraphiensche Palmboom,* St-Truiden 1861-72. Henri, *Précieuse vie de saint Louis évêque,* Tours 1855. Hermitte, *Vie de saint Louis, évêque de Toulouse et patron de la ville de Brignolles,* Brignolles 1881.

Ehrle Fr., S. I., *Historia Bibliothecae Romanorum Pontificum*, Romae 1890.
Eubel C., O. M. Conv., *Hierarchia catholica medii aevi* I², Monasterii 1913.
Filangeri R., *Castel Nuovo reggia angioina ed aragonese di Napoli*, Napoli 1934.
Finke H., *Acta Aragonensia*, voll. 3, Berlin 1908–23.
Gargiulo B., O. M. Cap., *Il glorioso San Ludovico, vescovo di Tolosa*, Napoli 1897.
Gemoll, G., *Die Handschriften der Petro-Paulinischen Kirchenbibliothek zu Liegnitz*, Liegnitz 1910.
Ghinato A., O. F. M., *Fra Paolino da Venezia, vescovo di Pozzuoli*, in *Le Venezie Francescane* XVI s., Venezia 1949 s.
Glassberger N., O. F. M., *Chronica*, in AF II, ad Claras Aquas 1887.
Golubovich G., O. F. M., *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa e dell' Oriente Francescano* II, ad Claras Aquas 1913.
Graesse J., *Orbis latinus*, Dresden 1861.
Grosjean P., S. I., *Catalogus codicum hagiographicorum Bibliothecarum Dublinensium*, in *Anal. Bolland.* XLVI, Bruxelles-Paris 1928.
Histoire littéraire de la France.
Hocedez E., S. I., *Richard de Middleton*, Louvain 1925.
Holzapfel H., O. F. M., *Manuale historiae Ordinis Fratrum Minorum*, Friburgi Brisgoviae 1909.
Ioannes a s. Antonio, O. F. M., *Bibliotheca universa Franciscana*, voll. 3, Matriti 1732–33.
Joergensen E., *Catalogus codicum latinorum medii aevi Bibliothecae regiae Hafniensis*, Hafniae 1923.
Kerval L. de, *S. Antonii de Padua vitae duae*, in *Collection d'études et de documents* V, Paris 1904.
Kleinschmidt B., O. F. M., *St. Ludwig von Toulouse in der Kunst*, in AFH II (1909).
Kriss R., *Wallfahrtsorte Europas*, München 1950.
Lechner Ios., *Die Sakramentenlehre des Richard von Mediavilla*, München 1925.
Leroquais V., *Les Bréviaires manuscripts des bibliothèques publiques de France* III, Paris 1934.
Marcus Ulyssiponensis, O. F. M., *Chroniche degli Ordini instituiti dal P. S. Francesco* parte II, Napoli 1680.
Mayronis Fr., O. F. M., *Opus de laudibus sanctorum*, Venetiis 1493.
Meersseman G., O. Pr., *La Bibliothèque des Frères Prêcheurs de la Minerve à la fin du XV^e siècle*, in *Mélanges Auguste Pelzer*, Louvain 1947.
Minieri R., *Saggio di codice diplomatico. Supplementum*, Napoli 1883.
Muntaner R. - D'Esclot B., *Cronache catalane del sec. XIII e XIV, prima traduzione italiana di Filippo Moisé, con note, studi e documenti*, Firenze 1844.
Muratorius A., *Antiquitates italicae medii aevi* IV, Mediolani 1741.
Nicolaus Ant., *Bibliotheca hispana vetus* II, Matriti 1788.
Nogara B., *Codices Vaticani latini* III, Romae 1912.
Pagius A., O. M. Conv., *Divi Antonii Paduani, Ord. Min., Sermones hactenus inediti de Sanctis et de diversis*, Avenione 1684.
Piolin P., O. S. B., *Gallia christiana*, t. I, II et XIII, Paris. 1870, 1873, 1874.
Poncelet A., S. I., *Le Légendier de Pierre Calo*, in *Analecta Bollandiana* XXIX, Bruxellis-Paris 1910.

Poncelet A., S. I., *Catalogus codicum hagiographicorum latinorum bibliothecarum Romanarum praeter quam Vaticanae*, Bruxellis 1909.
Potthast A., *Regesta Pontificum Romanorum*, voll. 2, Berolini 1874-75.
Prosper de Martigné, O. M. Cap., *La scolastique et les traditions franciscaines*, Paris 1888.
Rampal A., *Notes pour servir à l'iconographie de saint Louis d'Anjou*, Aix-en-Provence 1920.
Raynaldus Od., *Annales ecclesiastici* XXIII, Paris. 1887.
Raynouard J. M. F., *Notice sur Brignoles*, Brignoles 1885.
Regesta Andegavensia, in Archivo Status Neapoli.
Revista de Estudios Franciscanos, Num. extraord., Sarriá-Barcelona 1910.
Rodulphius Petrus Tossinian., O. M. Conv., *Historiarum seraphicae religionis libri tres*, Venetiis 1586.
Roth B., O. F. M., *Franz von Mayronis, sein Leben, seine Werke, seine Lehre vom Formalunterschied in Gott*, Werl in Westfalen 1936.
Ruffi L. A., *Histoire de saint Louis évêque de Toulouse et de son culte*, Avignon 1714.
Rymer T. - Sanderson R., *Foedera, conventiones, litterae...*, t. I, Londini 1816.
Sabatier P., *Collection d'études et de documents* I, Paris 1898; IV, Paris 1902.
Sbaralea H., O. M. Conv., *Supplementum et castigatio ad scriptores trium Ordinum S. Francisci a Waddingo aliisve descriptos*, voll. 3, Romae 1908-36.
Sedulius H., O. F. M., *S. Ludovici, Caroli II Regis Siciliae filii, ex Ordine Minorum, episcopi Tolosani vita*, Antverpiae 1602.
Seymour de Ricci, *Census of Medieval and Renaissance Manuscripts* I, New York 1935.
Siragusa G. B., *L' ingegno, il sapere e gl' intendimenti di Roberto d' Angiò*, Torino-Palermo 1891.
Surius L., O. Carthus., *Historiae seu Vitae sanctorum*, Augustae Taurinorum 1875-80.
Syllabus membranarum, Napoli 1824-32.
Toynbee M. R., *S. Louis of Toulouse and the Process of canonisation in the fourteenth century*, Manchester 1929.
Van Ortroy F., S. I., *Vita S. Ludovici episcopi Tolosani conscripta a Iohanne de Orta*, in *Anal. Bolland.* IX, Paris-Bruxelles 1890.
Verlaque V., *Jean XXII, sa vie et ses œuvres*, Paris 1883.
» » *Saint Louis, prince royal, évêque de Toulouse et la famille d'Anjou au treizième siècle d'après des documents inédits*, Paris 1885.
Vielle C., *Saint Louis d'Anjou évêque de Toulouse, sa vie, son temps, son culte*, Vanves 1930.
Waddingus L., O. F. M., *Annales Minorum*.
Idem, *Scriptores Ordinis Minorum*, Romae 1650, editio 2ª Romae 1906.
Willotus H., O. F. M., *Athenae orthodoxorum*, Leodii 1589.

CODICES ADHIBITI.

Augustoduni, Bibl. Municipalis cod. 69.
Dublinii, Collegium Ss. Trinitatis cod. E. 5. 11.
Lignitii, Bibl. ecclesiae SS. Petri et Pauli cod. 11.
Lipsiae, Bibl. Universitatis cod. 845.
Londini, Musaeum Britannicum cod. Additional 23.775.
» » » cod. Cottonian., Cleopatra B. II.
Mediolani, Bibl. Ambrosiana cod. N. 39 Super.
Monachii, Bibl. Status cod. lat. 7874.
Mutinae, Bibl. Estensis, Collectio Campori cod. 161 App. I.
Neapoli, Musaeum Archivi Status cod. XXXIX.
» Bibl. Brancacciana cod. III. F. 9.
Parisiis, Bibl. Nationalis cod. lat. 1064.
» Bibl. Facultatis Theol. Protest. cod. non numeratus.
Romae, Bibl. Apostolica, cod. Vatican. lat. 1960.
» » » cod. Vatican. lat. 4752.
» » » cod. Vatican. lat. 7592.
» » » cod. Barberin. lat. 714.
» Bibl. Casanatensis cod. 505 (D. V. 9).
Vratislaviae, Bibl. Universitatis cod. I. F. 271.
Washingtoniae, Holy Name College, codd. 19 et 32.

Processus Canonizationis et Legendae variae

Sancti Ludovici O. F. M.

Episcopi Tolosani.

PROLEGOMENA.

CAPUT I. — CONSPECTUS CHRONOLOGICUS.

Ad intelligentiam eorum, quae de s. Ludovico in hoc volumine dicenda occurrunt, non inutile duximus brevem conspectum de vita, obitu, sepultura et canonizatione sancti viri praemittere.

1. - Vitae cursus.

Sanctus Ludovicus patrem habuit Carolum, filium Caroli I (fratris s. Ludovici regis Francorum), principem Salernitanum, ab ineunte anno 1279 Provinciae *(Provence)* gubernatorem [1], et ab anno 1285, mortuo Carolo I [2], regem Siciliae. Hic anno 1270 coniugem accepit Mariam, filiam Stephani IV, regis Hungarorum, ex qua nati sunt ei octo filii et quinque filiae [3]. Ludovicus, secundo genitus, natus est Brinoniae *(Brignoles,* in Provincia, nunc *départ. Var*) mense februario 1274 [4]; inde mox Neapolim translatus est, ubi quinque primos pueritiae annos transegit. In autumno anni 1279 cum parentibus et fratre suo Roberto (nato 1278) venit in Provinciam, mansurus in castro Brinoniae, ubi erat domus regia; ibi natus est etiam frater eius Raymundus Berengarii (1280). Cum Carolus, princeps Salernitanus die 5. V. 1284 victus esset ab Alfonso II, rege Aragoniae [5], et ab eo captivus teneretur in Cathalaunia [6], Ludovicus et duo fratres eius supradicti, virtute tractatuum de Oloron (25. VII. 1287) [7] et de Canfran (Campo Franco, 28. X. 1288) [8] pro liberatione patris sui obsides ducti sunt in Cathalauniam, ibique per septem annos

[1] Provincia antiquitus dividebatur in Superiorem et Inferiorem. Superior habebat 8 sic dictas senescallias, quarum nomina moderna sunt: Aix, Arles, Marseille, Brignoles, Hyères, Grasse, Draguignan, Toulon. Inferior habebat 4 senescallias: Digne, Sisteron, Forcalquier, Castellane. Ad Comitatum igitur Provinciae olim spectabant sequentes regiones, quae nunc dicuntur *départements,* scilicet: Bouches-du-Rhône, Var, Basses-Alpes, pars orientalis de Vaucluse et parva portio de la Drôme.

[2] Carolus I obiit Foveae *(Foggia)* 7. I. 1285.

[3] Quorum nomina sunt: Carolus Martellus († 19. VIII. 1295), Ludovicus, Robertus, Philippus, Raymundus Berengarii, Tristandus, Ioannes, Petrus, Margarita, Maria, Blanca, Eleonora, Beatrix.

[4] Cf. infra, p. XXVI-XXIX.

[5] Qui regnavit an. 1285-91, cuique successit Iacobus II regnaturus an. 1291-1327.

[6] Durante hac patris sui captivitate Ludovicus et fratres ipsius pro eius liberatione scripserunt ad Eduardum regem Angliae (2. V. 1286), qui ipsis consolatoriam remisit epistolam (15. VIII. 1286). Utraque epistola habetur infra, p. 443, doc. I et II.

[7] Rymer, *Foedera et conventiones, litterae...* I, II, Londini 1816, p. 677 s.

[8] Rymer, loc. cit., p. 687 s.

(31. X. 1288 - 31. X. 1295) retenti sunt, primum in castro Moncadae, dein in castro Ciuranae, tandem Barchinonae. Ludovicus, in obsidatu existens, a Caelestino V per bullam 7. X. 1294 [1] instituitur archiepiscopus Lugdunensis. De authenticitate bullae non est dubitandum; Ludovicum autem eam nunquam recepisse apparet vel ex eo quod nullus testium in Processu de hac promotione verbum facit. Quidquid sit, haec bulla nullum effectum habuit, et Bonifacius VIII, per bullam 8. IV. 1295, dictam promotionem cassavit ac 13. VII. 1295 archiepiscopum Lugdunensem instituit Henricum de Villariis [2]. Tempore obsidatus Ludovicus sub magistris *Francisco Bruni* et *Petro Scarrerii,* utroque O. F. M., studiis vacavit; ibique, die 19. XI. 1294, Tonsuram et Ordines minores *secreto* recepit a Francisco Bruni, iuxta indultum a Caelestino V concessum (3. X. 1294) [3]. In vigilia Omnium Sanctorum libertati restitutus (31. X. 1295) [4], ipsa die apud Bellam Gardiam fecit primum sibi radi magnam et patentem Tonsuram ecclesiasticam [5]; postridie, in festo Omnium Sanctorum, apud *Villabertran,* ad nuptias sororis suae Blancae cum Iacobo II, rege Aragoniae, Ludovicus praedicavit [6]. Inde progressus, in itinere versus Neapolim Romae transiens, ab ipso Bonifacio VIII subdiaconus ordinatur mense decembri 1295; Neapolim adveniens (1296) mansit in castro Novo et ibi iuri primogeniturae et regni renuntiavit, quod in eum, mortuo Carolo Martello, 19. VIII. 1295, devolutum erat. Diaconus ordinatur Neapoli per Landulphum, patriarcham Hierosolymitanum; postmodum, die 19. V. 1296, ordinatur sacerdos per Philippum, archiepiscopum Neapolitanum [7]. De licentia Bonifacii VIII habitum fratrum Minorum sumpsit *privatim* Romae in domo Gerardi [8] cardinalis Sabinensis, 24. XII. 1296, et ibidem eadem die professionem emisit in manus Ioannis Mincii de Murrovalle, Ministri generalis [9]. Die 30. XII. sequenti ab ipso Bonifacio VIII

---

[1] Cf. BF IV, p. 332, n. 5. Potthast, *Regesta Pontificum Romanorum,* n. 23990. Textus affertur etiam infra, p. 447s., doc. n. XVIIIs.

[2] Cf. BF IV, p. 341, n. 10. Potthast, n. 24063. Eubel, *Hierarchia catholica medii aevi* I[2], Monasterii 1913, p. 316. Hac editione semper utemur.

[3] Circa finem obsidatus Ludovicus et fratres eius invitarunt *Petrum Ioannis Olivi* ut se visitaret; quibus respondit Olivi epistola data Narbonae 18. III. 1295, edita a cl. Fr. Ehrle, in *Archiv f. Litt. u. Kirchengeschichte* III, p. 534-40, quam ex hoc desumpsit C. Vielle, *Saint Louis d'Anjou, évêque de Toulouse, sa vie, son temps, son culte,* Vanves 1930, p. 469-72, et gallice versam praebet p. 163-65. In hac epistola Olivi circa finem addit: « Fratrem Petrum [Scarrerii], socium vestrum atque lectorem, per vestram suppliciter expostulo salutari » ALKG III, p. 540. Paulo post liberationem suam Ludovicus scripsit etiam *Poncio Carbonelli* Barchinonae residenti. Hanc litteram gallice versam affert C. Vielle, op. cit., p. 147s., ex P Coll, *Crónica seraphica de la santa Provincia de Cataluna, 1738.*

[4] Die 2. XI. 1295, Iacobus II, rex Aragoniae, Bonifacio VIII pacem initam inter se et regem Carolum II nuntians, praeter alia scribit: « In Vigilia namque festi Omnium Sanctorum preteriti proximo restitui dicto regi filios suos, quos aput me pro obsidibus detinebam, Blancam eius filiam michi matrimonialiter copulans in uxorem ». H. Finke, *Acta Aragonensia* III, Berolini 1923, n. 24, p. 48.
[5] Pr. (= Processus) 110, l. 35s.
[6] Cf. infra, p. 344, n. 15, l. 5.

[7] De Ordinibus et renuntiatione cf. infra, p. XXIX-XXXIII.

[8] Gerardus Blancus, Ord. Cist., an. 1278 promotus cardin. presbyter SS. XII Apostolorum, dein (1281) cardin. episc. Sabinensis, obiit 1. III. 1302. Cf. Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 38s.

[9] Pr. 24, l. 29; 85, l. 8ss.; 103, l. 15s.; 113, l. 6ss. Cf. H. Holzapfel, *Manuale historiae Ord. fratrum Minorum,* Friburgi Brisg. 1909, p. 45ss. Promotus est cardinalis episcopus Portuen. et s. Rufinae 15. XII. 1302, obiit 1313. Cf. Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 36.

consecratur episcopus Tolosanus[1]. Die 5. II. 1297, in festo s. Agathae, celebrato solemni pontificali, habitum Minorum *publice* induit in ecclesia de Aracaeli[2], praesentibus cardinalibus Minoritis Matthaeo ab Aquasparta et Iacobo Thomasio Caietani[3], qui etiam «post prandium conduxerunt ipsum usque ad domum in qua inhabitabat»[4]. «Eadem die post dormicionem d.nus Ludovicus vocatus per d.num Papam... ivit ad eum pedes et in habitu fratrum Minorum»[5].

Mox vero, ut patris sui desiderio obtemperaret, relicta Urbe, iter aggressus est versus Parisios, transiens, ut brevius dicit Orta[6], «per Italiam in Gallias per Lugdunensem provinciam et Burgundiam». Ex variis autem testimoniis plura loca huius itinerarii colligi possunt. Senis «reliquit conventui s. Francisci Bibliam manu sua egregie conscriptam et minio eleganter exornatam»[7]; Florentiae moram facit in conventu s. Crucis; Sarzanae impeditur inundatione aquarum[8]; Niciae occurrit ei frater Fortis, qui cum ipso mansit usque Nemausum[9]; Draguignani obvium habet Guillelmum de Sabrano, abbatem S. Victoris Massilien., qui in eius societate stetit circa 15 dies et cum eo usque Tarasconem perrexit[10]; S. Maximini ipsi occurrit Ioannes de Us, eius in pueritia instructor, qui cum ipso remansit «et transeundo per Provinciam et eundo in Franciam et redeundo Tolosam»[11]. Transiens per Tarasconem et Nemausum venit Anicium *(Le Puy-en-Velay)*, ubi

---

[1] Ex relatione Vitalis de Villanova ad Iacobum II, regem Aragoniae, novimus Ioannem XXII sibi dixisse: «El rey Carles ere aytal rey e aytal senyor, com vos sabets, e aquesta eglesia ere pus tenguda a el que a princeps del mon: E el feu tot son poder, que sent Loys feyt cardenal e nuylls temps non poch obtenir». H. Finke, *Acta Aragonensia* II, Berlin 1908, p. 588.

[2] Pr. 26, l. 20; 39, l. 5ss.; 47, l. 5ss.; 56, l. 1; 85, l. 15s.; 103, l 24ss. Teste Elzean de Alamannone (Pr. 47, l. 14-16), «rex, audito quod d.nus Ludovicus sumpsisset habitum fratrum Minorum, fuit valde turbatus et contra eum et contra totum Ordinem, et inhibuit ne aliquis de fratribus Minoribus intraret ulterius domum suam». Solus fr. Elemosina, *Liber historiarum*, Paris. Nation. Ms. lat. *5006*, fol. 168c, refert: «Licet pater eius multum indignatus fuit et quasi impatienter iratus, tamen ad monitionem domini pape et rogatum temperatus a furia, presente papa, filium genibus flexis ante se prostratum benedixit».

[3] Hic, ex sorore nepos Bonifacii papae, promotus cardin. presbyter s. Clementis 17. XII. 1295, obiit 1. I. 1300. Cf. Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 12, 41. Eo tempore duo erant cardinales nomine Iacobus, scilicet Iac. Thomasius Caietanus, O. F. M., et Iac. Caietanus de Stephanescis. Hic autem certo agitur de primo (demortuo 1300), qui in Processu (p. 85, l. 22), ubi agitur de hac solemnitate, dicitur «quondam nepos d.ni Bonifacii pape», quod de secundo dici nequit, quia tempore Processus adhuc vivebat. Promotus quidem fuit card. diac. s. Georgii ad Velum aureum 17. XII. 1295, sed obiit 23. VI. 1341. Cf. Eubel, op. cit., p. 12, 50.

[4] Pr. 85, l. 21s.; 103, l. 30s. Iuxta Petrum Cocardi, episc. Troianum (Pr. 85, l. 24), Ludovicus tunc Romae habitabat in domo d.ni *Latini*, quondam episcopi Ostiensis († 10. VIII. 1294); iuxta Guillelmum de Cornelione et Bermundum de Roca (Pr. 31, l. 7; 39, l. 10), morabatur in domo d.ni *Benedicti*, quondam cardinalis († 14. XII. 1296) et nepotis Bonifacii papae. Ex his tamen non sequitur necessario contradictio inter testes, quia in eadem domo uterque cardinalis successive habitare potuit. De cardin. Latino Frangipani (Malabranca), O. Pr., et cardin. Benedicto Caietani iuniore cf. Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 35 et 49.

[5] Pr. 103, l. 33s. [6] Infra, p. 362, n. 46.

[7] Petrus Rodulph. Tossinian., *Historiarum seraphicae religionis libri tres...*, Venetiis 1586, fol. 121v. [8] Pr. 114, l 34. [9] Pr. 62, l. 26. [10] Pr. 78, l. 37.

[11] Pr. 82, l. 40s.

propter nives maximas pater eius unum de palafredis suis misit ei[1]; prope Brivatam (*Brioude*) in Alvernia, in quadragesima, tempore quo erant magnum gelu et nix, cappam suam dedit pauperi[2]. Inde vero usque ad Parisios alia loca huius itinerarii non inveniuntur adnotata.

Ineunte Hebdomada Sancta Parisius pervenit, ibique in domo fratrum Minorum «in die Cene (11. IV) celebravit et omnes Fratres comunicavit et eis postea pedes lavit»[3]; multisque pauperibus camisias, tunicas et sotulares dedit[4]; «in die Parasceve vel die iovis sancta predicavit clero in claustro fratrum Minorum»[5]; Sabbato Sancto «celebravit et predicavit in domo fratrum Predicatorum et fecit officium quod dies eadem requirebat. Et die sequenti Pasche celebravit in domo fratrum Minorum»[6], ac cum «magistris et bacchalariis lavit scutellas»[7]. Tempore suae morae Parisiis coram rege, magnatibus Franciae ac magistris et scholaribus in Universitate praedicavit[8].

Tandem, relicta civitate Parisiensi, per Aurelianos, Grandimontem[9] et Caturcum (*Cahors*)[10], currente iam, ut videtur, mense maio, pervenit Tolosam. Modico tempore quo stetit in suo episcopatu[11], Iacobum de Osa (futurum Ioannem XXII) suum constituit officialem et thesaurarium[12]; «ecclesiam b. Marie Deaurate reconciliavit»[13]; «usque ad sex vel septem pauperes scolares tenebat, quibus faciebat ministrari expensas pro Deo»[14]; «Sabbato post Pentecosten (8. VI) Ordines celebravit in cathedrali ecclesia Tholosàna»[15]. In festo s. Antonii Paduani (13. VI) fecit divinum officium in conventu fratrum Minorum Tolosae[16].

His peractis, in secunda medietate mensis iunii, «per Vasconiam et montes asperrimos Pyrenei venit in Cataloniam»[17], comitantibus Fratribus Guillelmo de Cornelione, Petro Scarrerii, Francisco Bruni ac Iacobo de Osa, suo officiali[18]. In hoc itinere transiens per comitatum de Pallars (*Puerto de Pallas*, in provincia Ilerdae), «cum somerius capelle sue non venisset hora debita celebrandi»[19], nolens Missam omittere, celebravit in quadam paupere ecclesia cum indumentis indecentibus[20]; visitavit etiam quamdam mulierem annosam infirmam, qua recusante confiteri sibi, eam propriis manibus pavit, lecto eius insedens, sed inde rediit pediculis plenus[21]. Inde venit Ilerdam, ubi erant rex et regina Aragoniae[22]. Causa autem sui itineris

---

[1] Pr. 40, l. 35s.

[2] Pr. 40, l. 22s.; 48, l. 31s.; 57, l. 28s.; 104, l. 35s. In codice Mutinensi amanuensis, ex facili confusione inter *n* et *v*, semper scribit *Brinatam* pro *Brivatam*; locus autem hic designatus latine dicitur *Brivata, Brivas, Brivatum*. Cf. J. Graesse, *Orbis latinus*, Dresden 1861, p. 38.

[3] Pr. 68, l. 19s.; 39, l. 29; Orta, infra, p. 357, n. 39. [4] Pr. 39, l. 23-30; 47, l. 38s.; 56, l. 34s.; 104, l. 3. [5] Pr. 30, l. 5. [6] Pr. 30, l. 9-11.

[7] Pr. 26, l. 42; 30, l. 12; 39, l. 32; 56, l. 35-40; Orta, infra, p. 357, n. 39.

[8] Orta, infra, p. 362, n. 46. [9] Pr. 86, l. 15. [10] Orta, loc. cit.

[11] Pr. 29, l. 43. [12] Cf. infra, p. XL. [13] Pr. 30, l. 1.

[14] Pr. 38, l. 39s. [15] Pr. 29, l. 43s.; 83, l. 3.

[16] Cf. AF III, p. 435; non vero Paduae, ut habet Glassberger, *Chronica*, in AF II, p. 108.

[17] Orta, infra, p. 362, n. 46. [18] Pr. 27, l. 18; 104, l. 31; 114, l. 15; 76, l. 16.

[19] Pr. 17, cap. 40. [20] Pr. 27, l. 18s. [21] Pr. 27, l. 25; 114, l. 20s.; 76, l. 18-20.

[22] M. Toynbee, *S. Louis of Toulouse and the Process of canonisation in the fourteenth century*, Manchester 1929, p. 126, dicit eos tunc Barchinonae fuisse; quod nec textibus iam citandis nec itinerario Ludovici convenire videtur.

in Cathalauniam non erat solum, ut visitaret «sororem suam [Blancam], reginam Aragonum»[1], in cuius nuptiis praesens fuerat et praedicaverat[2], sed etiam «iverat pro reformanda pace inter sororium suum regem Aragonie et comitem Fluxi *(Foix)*, inter quos tunc erat guerra gravis»[3]. «Visitatis rege Aragoniae et regina sorore sua, aliquandiu commoratus in civitate Ilerdae»[4], hospitabatur in domo fratrum Minorum; praedicavit apud fratres Praedicatores «in eorumdem Fratrum Capitulo»[5], id est in aula capitulari conventus; et «sorores s. Clarae consecravit»[6].

Ilerdam relinquens Barchinonam petiit, quo ante medium mensem iulium pervenit. Ibi, die 15. VII., «committante episcopo Barchilonensi[7], ecclesiam fratrum Minorum Barchinonensem consecravit[8] et in eadem civitate sorores s. Clarae benedixit»[9]. Tempore huius morae ponendum etiam opinamur quod narrat Orta[10]: «... ego ipse vidi Barchinonae, praesentibus religiosis et saecularibus, eum pulchre et optime *de quolibet* respondentem».

His peractis, iam tempus aderat, ut, post moram unius mensis in Cathalaunia, ad sua rediret episcopus. Novimus Ludovicum, per Perpinianum, Montempessulanum et Tarasconem transeuntem, pervenisse Brinoniam. Sequebatur ergo viam quae a Barchinona serpit per Geronam, Figueras et Pyrenaeos montes, quibus superatis, pervenit Perpinianum; hic Ludovicus socium suum magis familiarem, Franciscum Bruni, infirmatum reliquit[11]. Inde progressus, per Narbonam, Biterras *(Béziers)* et Montempessulanum[12] attigit Tarasconem. Veniens ergo, ut dicit Orta[13], «ad locum Tarasconi, ubi in maiori ecclesia sacrum corpus beatae Marthae, Christi hospitae, venerabiliter requiescit, superveniente eiusdem sanctae solemnitate [29. VII], praedicavit de mane immenso populo, qui ad diem festum illuc convenerat, et circa vesperas provinciali Capitulo fratrum Praedicatorum, quod erat ibi tunc temporis congregatum», nempe a die 28. VII[14]. Iter deinde celeriter prosequens, via ducente per civitates Arelatensem, Aquensem et S. Maximini, pervenit Brinoniam, ubi invenit patrem suum, regem Carolum II, ibi a die 31. VII. usque ad 3. IX. residentem[15], et 3. VIII. cum illo comedit[16].

---

[1] Pr. 17, cap. 40.

[2] Cf. supra, p. XVIII.

[3] Pr. 33, l. 33s.

[4] Orta, infra, p. 362, n. 46.

[5] Orta, infra, p. 344, n. 15

[6] Orta, infra, p. 362, n. 46

[7] Bernardus Peregri, O. F. M., episc. Barchinonen. 22. VI. 1288, obiit 24. III. 1300. Cf. Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 128.

[8] In Musaeo antiquitatum Barchinonae asservatur lapidi marmoreo incisa huius consecrationis memoria, cuius textum refert C. Vielle, op. cit., p. 258, nota 17: *Ann: dni: M: CC: XC: VII: idib: iulii: hec: ecclia: frm: minorum: in honore: Sti: nicholai: costructa: fuit: consect: p. dnm: frem: ludovicu: ordis: frm: minor: epm: tholosanu: illustr::: regis: caroli: filiu: prpte: dno: fre: bn: eidem: ordis: epo: barchn: et: sl: coscente: altar: bti.*

[9] Pr. 30, l. 2s.

[10] Infra, p. 343, n. 14.

[11] Pr. 115, l. 14.

[12] Orta, infra, p. 363, n. 48: «De partibus Cathaloniae progressus per Montem Pessulanum venit in provinciam Provinciae».

[13] Infra, p. 344, n. 16; cf. p. 363, n. 48.

[14] Cf. C. Douais, *Acta Capitulorum provincialium Ordinis fratrum Praedicatorum, 1239-1302*, Toulouse 1894, p. 410.

[15] Cf. V. Verlaque, *Saint Louis, prince royal, évêque de Toulouse et la famille d'Anjou au treizième siècle d'après des documents inédits*, Paris 1885, p. 121, nota 1.

[16] Pr. 49, l. 21.

2. - Obitus.

In festo s. Dominici (4. VIII, die dominica, 1297) Brinoniae in domo regia Ludovicus cantavit publice Missam cum capellanis suis et clericis, diaconi officio fungente fr. Guillelmo de Cornelione, et praedicavit, praesente etiam Magistro Duranto Curaterio[1]. Sequenti die celebravit in domo fratrum Minorum Brinoniae pro fratre suo quondam rege Hungariae, Carolo Martello (obiit 19. VIII. 1295) et, dicta Missa de mortuis, sensit frigus et arripuit eum infirmitas[2], quae per quatuordecim dies duravit[3].

Hoc tempore contigisse opinamur quod narrat *Guillelmus de S. Marcello*[4]. Hic quidem, ut ipse dicit[5], in festo s. Dominici (4. VIII) «non fuit presens quando [Ludovicus] celebravit, sed secunda vel tercia die sequenti vidit eum Brinoniae sedentem in lecto... et stetit ibi biduo cum eo». Ea igitur occasione conicimus evenisse quod ipse refert, nempe «quod una vice d.nus Ludovicus vocavit eum qui loquitur, quod veniret ad eum apud Brinoniam, et dixit sibi: Pater meus intendit vos mittere Romam pro reintegrando episcopatu Tholosano»[6]. Ex verbis 'reintegrando episcopatu' suspicamur Ludovicum apud Papam recise iterum institisse ut renuntiationem suam acceptaret, idque patrem suum scivisse, qui ideo Guillelmum ad Pontificem mittere voluit, ne hic renuntiationi consentiret. Ludovicus autem hanc missionem praeveniens et patris intentioni obsistens, Guillelmo firmissimam voluntatem suam manifestans, ait illi[7]: «Et ego nolo et alia intencione moveor, et est intencio mea quod vos procuretis cum Papa quod ipse recipiat renunciacionem meam, quia omnino intendo renunciare nec intendo habere curam animarum. Sufficit enim michi si possum reddere racionem Deo de anima mea». In eadem existens infirmitate «vocans ad se quemdam Fratrem de Ordine Minorum, quem familiarem et individuum comitem suae peregrinationis habuerat, dixit ei: «Ego, inquit, moriar et expedit mihi multum, quia onus episcopatus, quod est cervici meae impositum, est mihi quamplurimum onerosum, et propter nimiam occupationem temporalium orationi et devotioni vacare nequeo sicut vellem»[8]. His expositis ad nostram redeamus narrationem.

In die Assumptionis B. M. V. (15. VIII, feria quinta) fr. Petrus Scarrerii celebravit Missam in camera d.ni Ludovici et audivit ipsius confessionem[9]. Morienti

---

[1] Pr. 28, l. 24; 41, l 20; 70, l. 14; 77, l. 1; 87, l. 43; 105, l. 17.

[2] Pr. 105, l 17 s.

[3] Pr. 58, l. 18.

[4] Hic anno 1290 erat inquisitor in Comitatu Venesino, an. 1303 in Provincia, an. 1309 in Sicilia, an. 1310 missus a Papa ad pacificandos Romanos; an. 1311 apparet ut poenitentiarius pontificius, consiliarius, capellanus et familiaris Roberti, regis Siciliae; promotus est episc. Nicien. *(Nice)* 24. IV. 1317, obiit ante 5. IV. 1323, cui eo die successit Rostagnus. Cf. BF IV, p. 139, n. 228; p. 574, n. 257; BF V, n. 122 et 149. Hauréau, in *Hist. litt. de la France,* t. 32, Paris 1898, p. 282-85. Wadd., *Annales,* ad an. 1290, n. 4-6; 1298, n. 23; 1303, n. 27; 1309, n. 4; 1310, n. 10; tom. VI, *Reg. Pontif.,* p. 433, n. 32. Sbaralea, *Supplem.* I, p. 341. Eubel, *Hierarchia* I², p. 364. Eius testificatio in Processu habetur infra, p. 80-82. Cf. infra, p. XXVI, et p. 455, docum. n. XXXII.

[5] Pr. 81, l. 10-13.

[6] Pr. 80. l. 33-35.

[7] Pr. 80, l. 36-39.

[8] Orta, infra, p. 363, n. 48.

[9] Pr. 105, l. 22 s.

Ludovico praesentes erant pater eius rex Carolus[1], fr. Guillelmus de Cornelione[2], fr. Petrus Scarrerii[3], fr. Raymundus Gaufridi, qui beati tenebat manum quando transivit[4], fr. Franciscus Bruni[5], Iacobus Duèze (futurus papa Ioannes XXII)[6], Bermundus de Roca[7] et Elzean de Alamannone[8]. Transitus fuit die 19. VIII. 1297, prima noctis vigilia appropinquante[9].

Curriculum vitae s. Ludovici comprehendit Ioannes de Orta his verbis[10]: « Totius autem vitae suae decursus fuit viginti trium annorum et sex mensium. Quartumdecimum quippe annum attigerat cum in Cathaloniam obses pro patris sui liberatione ductus fuit, septemque annis in custodia mansit; per duos vero annos[11] et prope decem menses post liberationem a custodia supervixit... Transivit autem ex hoc mundo ad caelum vir beatissimus Ludovicus, Tolosanus episcopus, in loco qui Brinonia dicitur, anno Domini MCCXCVII, quartodecimo kalendas septembris media nocte feriae secundae infra octavam Assumptionis beatissimae Virginis genitricis Dei Mariae, et sepultus fuit infra eamdem octavam, in regia civitate Marsiliae, in ecclesia[12] fratrum Minorum, prout ipse iam dum viveret ordinarat ».

3. - Sepulcrum.

Sepultus autem est sub terra in medio chori. In *Officio translationis* (infra, p. 260) legitur (a Ioanne de Orta omissum): « Statim ut sacrum eius corpus traditum fuit sepulture, in tantum devocio populi inardescere cepit ad eum, ut turmatim venientes ad tumulum ibique devote in oratione prostrati, sancti suffragia cum lacrimis flagitabant. Plurimi vero nudis pedibus ac induti ciliciis sua vota sancto solventes cum diversis muneribus veniebant. Ibi videres ecclesiam in qua iacet totam cereorum et facularum luminibus ruttilantem, multorumque Cardinalium, Episcoporum, regum, principum et baronum aliorumque plurimorum ymaginibus adornatam. Ibi laudes et gracie pro sui Sancti honore altissimis Deo vocibus resonabant ». In *Libro Miraculorum*, infra edito, aliquoties mentio occurrit devotorum intercessionem s. Ludovici implorantium, qui super tumbam seu tumulum eius stabant[13] vel etiam dormiebant[14]. Huius sepulturae custos deputatus erat fr. Raymundus de Ficubus, Ord. Min. conversus, qui fuit quartus testis in Processu (p. 50-59). Huic

[1] Pr. 42, l. 3. [2] Pr. 28, l. 31. Notandum eius testimonium de extrema penuria s. Ludovici morientis, Pr. 29, l. 16-26. [3] Pr. 28, l. 32. [4] Pr. 70, l. 31. [5] Pr. 115, l. 28 s. [6] Pr. 41, l. 39 et p. 77, l. 28. [7] Pr. 41, l. 39. [8] Pr. 49, l. 25. [9] Pr. 29, l. 14 s. [10] Cf. infra, p. 365, n. 51.

[11] Hic est error manifestus. Cum enim Ludovicus ab obsidatu liberatus fuerit 31. X. 1295 et obierit 19. VIII. 1297, evidens est eum non per *duos annos*, sed tantum per *unum annum* integrum *et prope decem menses* post suam liberationem supervixisse.

[12] Scilicet in ecclesia *nova*, quae construi incepta fuit an. 1275, et in quam nondum terminatam corpora fr. Hugonis de Digna et sororis eius Dulcelinae iam anno 1287 translata fuerant (Cf. AFH XXXVII, 1944, p. 92). Cum autem ad complementum operis huius novae ecclesiae fratribus Minoribus Massiliensibus plura legata fierent, ortum est litigium, cuius examen et sententiam Robertus rex commisit Alberto Tizonis iurisperito (1326). Huius consulti iuridici textum edidit A. Callebaut, in AFH cit., p. 98-103. [13] Cf. infra, p. 280, l. 5; 287, l. 10.

[14] Cf. infra, p. 280, l. 10; 310, l. 3; 312, l. 25; 316, l. 17. De usu dormiendi et incubandi super sepulcro alicuius sancti cf. R. Kriss, *Wallfahrtsorte Europas*, München 1950, p. 182, 191, 301.

et eius successoribus Robertus rex, die 8. VI. 1321, assignavit pensionem annuam 100 sol. reg.[1]. In hoc sepulcro manserunt ossa s. Ludovici usque dum in eadem ecclesia fratrum Minorum translata sunt in mausoleum marmoreum (8. XI. 1319), pro quo aedificando Carolus II († 5. V. 1309) in suo testamento reliquerat 2000 lib. turon.[2].

Haec translatio narratur in *Officio translationis*[3], et iisdem ferme verbis apud Ioannem de Orta[4], sequenti modo: « Anno vero Domini millesimo tricentesimo decimo nono, sexto idus novembris, presentibus pluribus cardinalibus[5] per summum Pontificem ad hoc missis et pluribus prelatis et aliis, presentibus eciam domino Roberto Ierusalem et Sicilie rege, ipsius sancti uterino fratre, cum consorte sua regina Sancia, et regina Francie[6], ipsius sancti nepte, pluribus eciam principibus et baronibus aliisque personis solemnibus et immensa populi multitudine ... sacrum corpus ipsius translatum et in precioso sepulcro, ad eius gloriam preparato, cum honore debito reconditum est in ecclesia fratrum Minorum Marsilie[7], in qua eciam pridem fuerat tumulatum ». In *Officio translationis* additur (p. 262), a Ioanne de Orta omissum: « Dum ossa illa felicia de tumulo levarentur, inventum est in eius capite cerebrum ita intemeratum et recens, ac si sanctus ipse adhuc in corpore viveret... Quod dictus dominus rex Robertus reverenter accipiens et secum Neapolim deferens, in quadam ymagine de argento et auro, quam ad honorem eius fecit opere mirifico fabricari, cum gemmis et lapidibus preciosis ornari, illud honorifice collocavit ».

Anno autem 1423 Alfonsus rex Aragoniae, expugnata Massilia (19. XI), ossa s. Ludovici secum attulit Valentiam in Hispania, quo 1. XII. appulit, et ea ecclesiae cathedrali consignavit custodienda[8].

4. – Canonizatio.

Iam antequam sanctorum catalogo adscriptus est, b. Ludovicum cultu populari honorari coepisse constat ex testimonio Duranti Curaterii, in Processu[9] asserentis quod « Aquis cives eiusdem loci colunt et faciunt festum de ipso quolibet anno sicut de sancto; et in honorem Dei et ipsius d.ni Ludovici fecerunt et constituerunt cives predicti confratriam et quolibet anno augmentatur et crescit in numero personarum ». Pro parte etiam « Petri (de Ferrières) Arelatensis, Guillelmi (de Mandagot) Ebredunensis et Rostagni (de Novis) Aquensis archiepiscoporum et suffraganeorum

[1] Documentum affertur ap. V. Verlaque, op. cit., p. 171, nota 1, ex *Reg. Andegav.* 1344-45, B, n. 346, fol. 145.

[2] Cf. C. Vielle, op. cit., p. 300, ex L. A. Ruffi, *Histoire de saint Louis évêque de Toulouse et de son culte*, Avignon 1714, qui multa prae manibus habuit authentica documenta nunc deperdita.

[3] Cf. infra, p. 261. [4] Cf. infra, p. 380. Wadding., *Annales*, ad an. 1319, n. 2; AA. SS. mensis aug. t. III, p. 799.

[5] Puteolanus, infra, p. 403, n. 21, et Calotius, p. 412, n. 38, dicunt « sex cardinales ».

[6] Clementia, filia Caroli Martelli, vidua Ludovici X († 1316), regis Francorum.

[7] Puteolanus et Calotius, loc. cit., pro « translatum... Marsilie » habent: « de terra levatum et in argenteo et ornato sarcophago super altare reconditum in ecclesia, sumptuoso opere ad ipsius dedicata honorem ».

[8] Cf. Wadding., *Annales*, ad an. 1423, n. 6; AA. SS., loc. cit., p. 799 s.

[9] Pr. 93, l. 2 ss.

suorum et ... universitatis hominum civitatis Massilie »[1] Bonifacio papae VIII, vitae meritis et miraculis Ludovici « semel et iterum reverenter expositis, et cum instancia multa » petitum fuit « ut super premissis inquiri faceret diligenter et, veritate sibi patefacta lucidius, ad eiusdem Ludovici canonizacionem procederet »[2]. Ipse etiam Carolus II, pater Ludovici, die 27. I. 1300, ad Pontificem misit pro canonizatione obtinenda[3]. Bonifacius vero rem distulit, et « antequam ad hoc negotium manum felix apposuisset »[4] obiit (11. X. 1303). Benedictus autem XI, eius successor, qui novem tantum menses regnavit (22. X. 1303–7. VII. 1304), nihil pro canonizatione facere potuit[5].

Novo electo Pontifici Clementi V (5. VI. 1305) Durantus episcopus Massiliensis, Consilium generale Massiliense et omnes praelati Provinciae « per eorum patentes litteras supplicaverunt »[6] pro canonizatione obtinenda. His benigne annuens Pontifex, die 1. VIII. 1307, edidit bullam « *Ineffabilis providentia Dei* »[7], qua Guidoni (de Neufville) Xanctonensi et Raymundo Lectorensi episcopis[8] mandavit, ut de vita et miraculis servi Dei inquirerent.

Quo obtento, episcopus Durantus, nomine suo et omnium praelatorum Provinciae, simul ac Consilium generale Massiliense procuratores, instructores et promotores inquisitionis faciendae constituerunt[9], qui nominantur « Magister Raymundus Egidi, Raymundus Viridis, Massilienses canonici, et nobiles viri d.nus Gauffridus Ricani, miles, Petrus Bermundi de Sancto Felicio, domicellus, et Hugo de Fonte, cives Massilienses »[10].

Hi omnes die 23. II. 1308 existentes « in choro ecclesie cathedralis beate Marie Massilie » tradiderunt « Xanctonensi et Lectorensi episcopis »[11] bullam praedictam Clementis V et litteras episcopi Duranti ac Consilii generalis Massiliensis.

Die 26. II. « in capitulo ecclesie fratrum Praedicatorum civitatis Massiliensis »[12] procuratores praedicti tradiderunt episcopis inquisitoribus capitula seu articulos de vita et miraculis servi Dei[13], super quibus testes examinandi forent, et nominaverunt testes examinandos.

---

[1] Pr. 2, l. 22 ss. [2] Pr. 3, l. 1 ss. Cf. Orta, p. 378, n. 73.

[3] Cf. p. 455, documentum, n. XXX. [4] Orta, loc. cit.

[5] Idem, loc. cit. Mense iulio 1307 Clemens V cum Carolo II fuit Pictavis ad curiam Philippi Pulcri, in quo consessu petitum esse dicitur ut ad canonizationem Ludovici procederetur. Cf. Raynald., *Annales ecclesiastici*, t. 23, Paris. 1887, p. 384; Citoyen de Brignoles (Calixte Rolland, O. Cap.), *La vie de saint Louis*, Avignon 1780, p. 170. [6] Pr. 3, l. 7 s.

[7] Habetur infra, p. 1-3.

[8] Guido, capellan. pontificius et litt. apost. contradict. auditor, factus est episc. Anicien. *(Le Puy-en-Velay)* 20. VI. 1290, inde translatus ad sedem Xanctonen. *(Saintes)* 24. IV. 1296 † 7. IV. 1312 (?) Cf. Eubel, *Hierarchia* I², p. 91, 537. — Raymundus, sacrista eccl. Narbonen., diac., factus est episc. Lectoren. *(Leictoure)* 13 I. 1302 † 1308. Huius eccl. sic vacantis provisionem sibi reservavit Clemens V 23. VIII. 1308. Cf. Eubel, *Hierarchia* I², p. 299.

[9] Litterae episcopi et Consilii generalis Massiliensis habentur Pr. 3-5. Has institutiones ratas habuerunt omnes praelati Provinciae, quorum litterae afferuntur Pr. 5-8. Sunt autem Guillelmus de Mandagot, archiep. Ebredunen., cum sex suffraganeis, Rostagnus de Novis, archiep. Aquen., cum quinque suffraganeis et Petrus de Ferrières, archiep. Arelaten., cum septem suffraganeis, quorum omnium nomina refert Eubel, *Hierarchia* I², sub respectivis dioecesibus.

[10] Pr. 1, l. 12 ss. [11] Pr. 1, l. 21 ss. [12] Pr. 10, l. 10 s.

[13] Quorum tenor habetur Pr. 11-19.

« Ultima die februarii »[1] (die 29) incepta est examinatio testium, quorum primus erat fr. Guillelmus de Cornelione, lector fratrum Minorum Massiliae. Super vita et meritis d.ni Ludovici producti et auditi sunt 55 testes (p. 21-121); deinde incepit inquisitio testium de miraculis (p. 122-254).

Has omnes testium depositiones propria manu scripsit et in formam publicam redegit signoque suo solito consignavit notarius Bertrandus Salagnac, qui testium examinationi praesens interfuit[2].

Die 12. IX. 1311 pro expeditione inquisitionis factae de miraculis Robertus rex, frater B. Ludovici, mandari iussit fratri *Guillelmo de S. Marcello* florenos auri 40[3]. Relatio inquisitionis a Clemente V quibusdam Cardinalibus fuit tradita « ut examinatione diligenti praemissa, per eos sibi et universo Cardinalium collegio quid eis videretur super ipso negotio fideliter referretur. Verum pendente relatione, ipse dominus Papa »[4] obiit, 14. IV. 1314.

Eius successor Ioannes XXII (7. VIII. 1316-4. XII. 1334) « ipsam inquisitionem iterum examinari fecit per plurimos Cardinales. Qua diligenter discussa et examinata et ab omnibus Cardinalibus approbata, de fratrum suorum et omnium praelatorum, qui tunc erant in curia, concordi consilio et assensu beatum Ludovicum canonizandum decrevit »[5]. Tandem 7. IV. 1317 in ecclesia fratrum Praedicatorum Avinione Ludovicum sanctorum catalogo adscripsit, edita bulla « *Sol oriens* »[6].

De cultu, quem in variis locis s. Ludovicus obtinuit, non intendimus tractare, sed remittere liceat ad V. Verlaque, op. cit., p. 175-92; AA. SS. mensis aug. t. III, p. 800-802; E. Bertaux, *Les saints Louis dans l'art italien*, in *Revue des deux Mondes*, 1900; B. Kleinschmidt, *St. Ludwig von Toulouse in der Kunst*, in AFH II (1909), p. 197-215; speciatim vero C. Vielle, op. cit., p. 304-427, qui de eo diffusissime agit.

CAPUT II. — DISQUISITIONES.

Quoniam in vita s. Ludovici quaedam facta occurrunt, quae olim dubia vel incerta habebantur, alia vero de quibus adhuc hodiedum non omnes conveniunt, de iis nunc speciatim agendum est. Inquisitiones ergo erunt de loco nativitatis s. Ludovici, de Tonsura et Ordinibus minoribus in obsidatu receptis, de renuntiato iure primogeniturae et regni, de magistris eius et scriptis. In iis autem discutiendis innitemur, quantum licebit, testimoniis in Processu canonizationis relatis, et quidem iis praesertim quorum testes asserunt se factis ab ipsis narratis praesentes fuisse.

1. - De loco nativitatis s. Ludovici.

Dum nec in Processu inquisitionis de vita s. Ludovici, nec in bulla canonizationis, nec apud primaevos biographos habetur, ubi natus sit servus Dei, iam diu

[1] Pr. 20, l. 33. [2] Pr. 254. [3] *Reg. Andegav.* 195, 1310, C, fol. 121. Textus habetur ap. Vielle, op. cit., p. 289, nota 41. De Guillelmo cf. supra, p. XXII.

[4] Orta, loc. cit., p. 379. [5] Idem, loc. cit.

[6] Habetur infra, p. 395 ss. Descriptio canonizationis s. Ludovici episcopi, exarata a card. Iac. Gaetani Stephanesci, qui solemnitati adstitit, invenitur in *Ordo Romanus XIV*, cap. 115, ap. Migne, *Patrol. lat.*, t. 78, col. 1254-59. Cf. Ios. Loew, *Enciclopedia cattolica* III (1949), col. 606.

inter modernos scriptores controversia versatur circa locum nativitatis eius. Aliqui enim eum ortum dicunt Nuceriae Paganorum (*Nocera dei Pagani* seu *Nocera Inferiore)* prope Salernum; alii vero natum asserunt Brinoniae *(Brignoles, départ. Var)* in comitatu Provinciae[1].

Pro Nuceria stant Waddingus[2], Riccio Minieri[3], Bonaventura Gargiulo, episc., Ord. Cap.[4], et recenter M. Toynbee[5]. Examinanda sunt ergo argumenta quae passim pro Nuceria afferuntur.

Waddingus, *Annales,* t. IV, ad ann. 1275, n. 4 ait: «Nuceriae Paganorum nascitur hoc anno vel superiori mense februario s. Ludovicus». - In tomo IX, ad ann. 1400, n. 25, habet: «In Custodia Massiliensi coenobium oppidi Brinoniae, in quo Pisanus perperam ait, sanctum Ludovicum natum et denatum; verius secundum quam primum; alibi enim diximus ortum in regno Neapolitano». Iterata haec assertio Waddingi claritate quidem non caret, ast nullibi sui asserti vel minimum affert argumentum.

Aliorum argumenta ad sequentia reducuntur. Nuceriae Paganorum erat castellum regium, in quo filii regis saepe morabantur. Ast num ex eo sequitur quod ibi nati sint? — Aliud argumentum affertur ex eo quod nutrix Ludovici, Seria vel Serena nomine, erat uxor cuiusdam Thomae de Argentolo, nautae portus Brundusini. Quid inde? Quid enim obstat quin Seria, licet Apula, licet dicti Thomae uxor, si iam servitio principissae Mariae addicta, hanc secuta sit Brinoniam? — Hoc non admisso, adhuc obici posset statutam fuisse a Carolo II, 16. IX. 1298, annuam pensionem dictae nutrici solvendam[6]. Ex hoc autem non sequitur Ludovicum natum esse Nuceriae et Seriam statim post huius nativitatem in nutricem eius assumptam fuisse. Assumi etiam potuit postea, dum puer, iam Brinoniae ablactatus, translatus erat ad partes Nuceriae vel Neapolis, ubi Ludovicum usque ad aetatem quinque annorum permansisse constat, quo tempore Seria Ludovico servitia nutricis praestare potuit. — Nec iterum obici potest nullo documento constare principem Carolum cum uxore stetisse Brinoniae mense februario 1274. Sed nec ullum documentum in contrarium affertur. — M. Toynbee miratur, quod nullibi in Processu canonizationis locus nativitatis nominetur. Ast, ut iam diximus, nec in ipsa Bulla canonizationis ille locus indicatur, et, quod magis mirandum est, nec locus obitus (Brinonia) ibi nominatur. Ipsi quoque qui primi *Vitam* S. Ludovici scripserunt, uti Ioannes de Orta, Paulinus Puteolanus et Petrus Calotius, de loco nativitatis s. Ludovici altum servant silentium.

Nihil ergo ex praedictis argumentis concludi potest. Si igitur nullum aliud stringens documentum pro Nuceria affertur, fatendum est allata ratiocinia nihil probare.

Transeamus nunc ad aliam sententiam quae tenet S. Ludovicum natum esse Brinoniae. Argumenta desumenda sunt, aliis deficientibus, ex traditione.

---

[1] Brinonia (al. Brincola, Brunonia) sita est prope antiquam viam Aureliam, quae per Italiam serpens ducit in Provinciam.

[2] *Annales,* ad an. 1275, n. 4, et ad an. 1400, n. 25.

[3] *Genealogia di Carlo II d'Angiò re di Napoli,* in ASPN VII, Napoli 1882, p. 58.

[4] *Il glorioso san Ludovico, vescovo di Tolosa, storia illustrata,* Napoli 1897, p. 10-15

[5] Op. cit., p. 36 s.

[6] Documentum affertur apud C. Vielle, op. cit., p. 20, nota 53. Post Seriae mortem haec pensio, die 27. XI. 1308, in filiam eius Margaritam translata est. Cf. ibidem, p. 460, n. 1.

Primum quidem ac gravissimum est testimonium illustris Francisci de Mayronis[1], qui *circa 1288* natus Mayronac *(Meyronnes, départ. Basses-Alpes, Provence)*, obiit Placentiae post 1326[2], et sic contemporaneus et conterraneus fuit s. Ludovici. Testimonium eius desumimus ex Bibliothecae Nationalis Florentiae codice *Conv. Soppr. A. 9. 1582* (scripto an. 1384)[3], ubi fol. 162r et seqq. habetur sermo intitulatus: *In festo Ludovici archiepiscopi (!) Marsiliensis (!). Sermo: Humiliavit semetipsum*, in quo, fol. 164v habetur: «Sexto quantum ad statum sue consummationis, quia in eodem loco penitus et quidem ad domum in qua fuit natus, fuit defunctus ...». Idem sermo habetur in Bibliothecae Casanatensis Romae cod. *505 (D. V. 9)*, ubi fol. 72 seqq. intitulatur: *In festo beati Ludovici Ordinis Minorum.*[4] Incipit: *Humiliavit seipsum.* Ibi dicitur: «Sexto quantum ad statum sue consummationis, quia in eodem loco ubi natus regressus est ...». Salvis ergo variantibus lectionibus, in utroque codice idem asseritur, nempe s. Ludovicum natum esse Brinoniae, ubi et mortuum esse constat.

Bartholom. Pisanus, *De conformitate* (quem librum absolvit die 17 martii 1390), in *Anal. Francisc.*, IV, p. 516, ait: «veniens ad comitatum Provinciae castrum de Brignola, ubi, ut dicitur, fuerat ortus, graviter coepit infirmari». Infra vero apertius, p. 539, lin. 24, habet: «Custodia Marsiliae habet locum de Marsilia ... Locum Brignolae, in quo beatus Ludovicus noster ortus est».

Rodulph. Tossinianensis[5], fol. 120v, quidem habet sic: «Ortus est autem B. Ludovicus (ut ferunt) in castro Nuceriae Paganorum, ubi sacellum erectum in honorem eius». Ast illico, fol. 122r aperte dicit: «Brinoniae in aedibus regiis, ubi natus et educatus fuerat ... incidit in gravem febrem».

Marcus Ulyssiponen.[6]: «... arrivando nel Contado di Provenza, in una Villa chiamata Bricola, poco lontana da Marsiglia, s'infermò gravemente nella medesima Casa, dove nacque».

His addi possent testimonia Saussayi, Catelli et Francisci Pagii, quae apud *Acta Sanct.*[7] citantur, ac cum scriptoribus Bollandistis concludimus: «Certa itaque est

---

[1] Cf. Ch. Langlois, *François de Meyronnes*, in *Histoire littéraire de la France*, t. 37, Paris 1937, p. 305-42. Barth. Roth, *Franz von Mayronis, sein Leben, seine Werke, seine Lehre vom Formalunterschied in Gott*, Werl i. Westf. 1936. M. Bihl, O. F. M., in *The Catholic Encyclopedia* X (1911), 91. W. Lampen, O. F. M., *François de Meyronnes*, in *La France Franciscaine* IX (1926), p. 215-22. Edouard d'Alençon, O. M. Cap., in *Dictionnaire de Théologie catholique* X (1929) c. 1634-45. Sbaralea, *Supplementum* I, Romae 1908, p. 283-88. Sermones Mayronis editi sunt sub titulo *Opus de laudibus sanctorum*, Venetiis 1493, per Pelegrinum de Pasqualibus Bononiensem, et Basileae per Magistrum Iacobum de Pforczen, post partum Virginis salutiferum 1498. Cf. Hain, 10531 et 10532. Praeter codices citatos cf. Monachii *Clm 18219* (Teg. 219), fol. 38, sermo «*De S. Ludovico: Produxit filium regis*; cf. Roth, op. cit., p. 276. Lubicae, Stadtbibl., cod. *theolog. 8°*, continet sermones Mayronis et aliorum. [2] Cf. Roth, op. cit., p. 49.

[3] Cf. Roth, op. cit., p. 257. [4] Ex quo codice hunc sermonem ediderunt *Analecta Ordinis Capuccinorum* XIII (1897), p. 305-15. Fertur Franciscum hunc pronuntiasse sermonem occasione canonizationis s. Ludovici (1317). Cf. *Anal. Ord. Capuc.*, loc. cit., p. 307; Roth, op. cit., p. 18, nota 19. Quod si verum esset, magis utique inde valor eius testimonii cresceret. [5] *Historiarum seraphicae religionis libri tres*, Venetiis 1586.

[6] *Chroniche degli Ordini instituiti dal P. S Francesco*, parte II, Napoli 1680, p. 337.

[7] Mensis augusti tom. III, p. 776.

Brincolensium traditio, scilicet s. Ludovicum Brincolae et natum et mortuum; non vero Nuceriae in Italia editum».

2. - De Tonsura et Ordinibus minoribus s. Ludovico collatis.

Olim de collatione Tonsurae et Ordinum minorum ac de bulla Caelestini V non pauca dubia orta sunt, quae nunc ex textu Processus plena certitudine solvuntur per attestationem fr. Francisci Bruni Aptensis[1], confessarii s. Ludovici. Ipse enim, iam factus episcopus Gaietanus, asserit (infra, p. 110), «quod ipsemet ... dum erat in castro Syeurane, recepit litteras apostolicas[2] in quibus dominus Celestinus, tunc temporis Summus Pontifex, committebat eidem testi quod domino Ludovico faceret Tonsuram et quod eciam eum ad quatuor minores Ordines ordinaret». Quod et fecit «in festo beate Elyzabeth[3] vel circa... Interrogatus de assistentibus ibidem, dixit quod dominus Robbertus, nunc dux Calabriae, et dominus P(etrus) de Cocharello, miles nunc, tunc temporis domicellus existens; et testis qui loquitur propter periculum non audebat alios convocare, eciam Fratrem socium suum, quia erat de Cathalonia. Interrogatus si habeat litteram apostolicam, dixit quod non, quia statim, dicta Missa et premissis completis, propter periculum ipse testis laceravit eam et frusta sub terra abscondit ne viderentur; credit tamen quod dominus rex habebat aliam similem litteram, et ita dixit sibi rex, ut dixit. Dixit eciam quod post tonsuram et minores Ordines susceptos dictus dominus Ludovicus stetit in obsidatu multo tempore et portabat habitum secularem sicut prius, nec signa clericalia in aliquo apparebant, et propter hoc signanter paucos capillos absiderat de capite ipsius domini Ludovici. Post exitum vero de obsidatu ipsi venerunt apud Bellam Gardiam, et cum fuerunt ibi, in vigilia omnium Sanctorum fecit sibi radi tonsuram et magnam fieri et patentem dictus dominus Ludovicus, et induit vestes clericales et talares et cappam rotundam».

Haec gravis attestatio de Tonsura et quatuor minoribus Ordinibus confirmatur expressis verbis per fr. Petrum Scarrerii[4], olim magistrum s. Ludovici, postea episcopum Rapollensem, testem in ipso Processu. Et ipse addit (infra, p. 101, l. 14): «Cum dominus Ludovicus venit apud Bellam Gardiam post exitum obsidatus, fecit sibi radi coronam et publice portavit eam postea, et ipse vidit, ut dixit».

Testatur etiam Elzean de Alamannone quod «vidit apud Bellam Gardiam in confinio Perpiniani et Cathalonie quod quidam qui vocabatur Thomas, barberius regis, rasit dicto domino Ludovico capillos in vertice capitis et totundit eum vel rasit sibi capillos ad modum clerici» (infra, p. 44, l. 36ss.). Alius testis in Processu, nempe Guillelmus, abbas monasterii S. Victoris de Massilia[5], affirmat quod «vidit dominum Ludovicum apud Bellam Gar-

---

[1] De quo cf. infra, p. XXXIVs. [2] Ad quas alluditur infra, p. 448, docum. n. XIX. [3] Die 19. XI. [4] De eo cf. infra, p. XXXVIs. [5] Guillelmus de Sabrano, patruus S. Elzearii, electus est abbas S. Victoris Massiliensis anno 1294, institutus dein episcopus Dignen. *(Digne)* 25. I. 1324, obiit ante 17. XI. 1327, quo die et anno ei successit Elzearius de Villeneuve. Cf. *Gallia christ.* I, Paris. 1870, c. 692. Eubel, *Hierarchia,* I[2], p. 224.

diam in Cathalonia portantem tonsuram clericalem» (infra, p. 78, l. 11 s.). Narrat Ioannes de Orta Ludovicum in Natali Domini (1295), antequam per Bonifacium papam fieret subdiaconus, ut acolythum serviisse Romae in prima Missa in capella regis, et iterum eadem die in Missa solemni a Summo Pontifice celebrata (infra, p. 360).

His addere liceat quae ad Ordines maiores et episcopatum referuntur, ut curriculum vitae ecclesiasticae Ludovici simul totum habeatur.

Subdiaconus ordinatus est ab ipso papa Bonifacio VIII, in ecclesia S. Petri in Urbe[1], post Nativitatem Domini 1295 (die 27. XII. ?). Die incerta (Ian.-Febr. 1296) Bonifacius VIII Ludovico «subdiacono et capellano nostro» concedit annuam pensionem 1000 libr. turonen[2]. — *Diaconus* ordinatus est Neapoli, in fratrum Minorum ecclesia s. Laurentio dicata, per Radulphum (Brancaccium) creatum card. diac. S. Angeli per Caelestinum V, 18. IX. 1294, patriarcham Hierosolymitanum institutum a Bonifacio VIII die 22. IV. 1295[3]. Dies ordinationis nullibi indicatur. Cum autem Ludovicus ordinatus fuerit «cum multis aliis» (Pr. 61, l. 21), ergo in ordinatione publica, dies tres assignari possunt, scil. vel Sabbatum IV Temporum (18. II. 1296), vel Sabbatum ante Dominicam Passionis (10. III), vel Sabbatum Sanctum (24. III). — *Sacerdos* ordinatus est Neapoli, Sabbato post Pentecosten (19. V. 1296) per Philippum (Capece Minutolo), illius civitatis archiepiscopum[4]. — *Episcopus* ab ipso Papa consecratur, Dominica post Nativitatem Domini, die 30. XII. 1296[5].

3. – De renuntiato iure primogeniturae et regni.

Postquam Carolus Martellus, primogenitus Caroli II, 19. VIII. 1295 obierat, iura primogeniturae et regni in Ludovicum, secundo genitum, adhuc Barchinonae in obsidatu retentum, devolvebantur. Ipsum autem huic iuri renuntiasse ab omnibus auctoribus admittitur, qui tamen in solvenda quaestione de loco et tempore huius renuntiationis in varias abeunt sententias. Primum igitur de loco inquiramus.

Ioannes Pinius, ap. *Acta Sanctorum*[6], eo tempore conscripta quo Processus canonizationis nondum cognitus erat, his verbis concludit: «Actu solemni admodum ac publico renuntiavit quando *Romae* anno 1296 in conventu Arae coeli solemnem emisit professionem Ordinis FF. Minorum, ita tantisper tamen se gerens occulte, ut patrem non offenderet; sed die S. Agathae [5. II. 1297] suam professionem atque adeo primogeniturae suae iuri renuntiationem publice declaravit»; et addit Ludovi-

---

[1] Pr. 45, l. 14; 61, l. 7; 66, l. 44; 101, l. 18; 111, l. 30; Orta, p. 360, n. 44. - M. Toynbee, op. cit., p. 94, ordinatum dicit subdiaconum in ipso Natali Domini. Huic obstat quod ea die Ludovicus in Missa maiore Papae adhuc ut *acolythus* deservivit (cf. hic, parum supra). C. Vielle op., cit., p. 176, ordinationem remittit ad IV Tempora post Natale, igitur ad 18. II. 1296; quod nullo modo admitti potest, cum Ludovicus eo tempore non fuerit Romae, sed Neapoli (cf. infra, p XXXI).

[2] Documenta habentur infra, p. 449, n. XXIII s.

[3] Pr. 61, l. 19; 102, l. 3; 111, l. 40; Orta, loc. cit.; Eubel, *Hierarchia* I², p. 12, 275. Vocatur etiam Landulphus.

[4] Pr. 24, l. 1; 45, l. 34; 82, l. 31; 102, l. 10; Orta, loc. cit.; Eubel, *Hierarchia* I², p. 359.

[5] Pr. 72, l. 29. Cf. P. Calotius, infra, p. 408, n. 22; V. Verlaque, op. cit., p. 103 s.; M. Toynbee, op. cit, p. 113; C. Vielle, op. cit, p. 194. Bulla qua instituitur episcopus, data 29. XII. 1296, habetur infra, p. 450, n. XXVII.

[6] Mensis aug. t. III, p. 784 b.

cum illud ius in Robertum non transtulisse «post annum 1296, quo dictam Ordinis Seraphici professionem edidit». Etiam R. Minieri[1] et V. Verlaque[2] tenent Ludovicum renuntiasse *Romae* mense decembri 1296.

His autem expresse et aperte contradicitur a tribus testibus qui in Processu canonizationis asserunt se ad actum solemnem renuntiationis praesentes fuisse, quorum testimonia hic integre ponere iuvat.

Bermundus de Roca dicit «quod ipse vidit et audivit et presens fuit cum multitudine aliorum in *castro Novo Neapoli*» (Pr. 37, l. 41 s.).

Frater Fortis asserit quod ipse «fuit presens, ut dixit, et dominus Landulphus cardinalis et multi alii prelati et nobiles regni cum multitudine aliorum. Interrogatus de loco, dixit quod in *castro Novo*» (Pr. 61, l. 27 s.).

Elzean de Alamannone affirmat quod ipse «fuit presens cum magna multitudine populi in *castro Ovi Neapoli*, ubi erant pro maiori parte prelati et barones regni» (Pr. 45, l. 31 s.).

Hi igitur testes de visu in hoc conveniunt quod renuntiatio publice facta est *Neapoli*. Bermundus et fr. Fortis addunt quod fuit in *castro Novo*, dum tertius testis dicit quod fuit in *castro Ovi*. Huius error, qui ex facili confusione inter *Novo* et *Ovi* explicari potest, ex eo eliditur quod in solitario castro Ovi vix fuisset locus qui tantam multitudinem populi, de qua loquuntur omnes testes, capere posset. Castrum autem Novum[3], ubi erat domus regia, erat locus aptus et conveniens tam solemni actui maximi momenti pro successione regni et cui ideo Landulphus cardinalis et multi alii praelati et nobiles regni cum multitudine populi assistebant. Ideoque moderni scriptores admittunt renuntiationem solemnem et publicam factam fuisse *Neapoli in castro Novo, non autem Romae*[4].

De tempore quo Ludovicus renuntiaverit regno, nullum in toto Processu canonizationis explicitum habetur testimonium, ne quidem ab illis qui praesentes fuere, nec alibi invenitur documentum determinans quo tempore actus ille publicus et tam solemnis ac maximi momenti pro regno locum habuerit. Aliunde ergo argumenta desumenda sunt, quibus tempus cum probabilitate determinari possit.

Notum est Ludovicum, Robertum et Raymundum Berengarii, post liberationem ab obsidatu (31. X. 1295) cum parentibus suis iter facientes[5] versus Neapolim, moram fecisse Romae, quo 18. XII. pervenisse dicuntur, ibique certo usque ad festum Nativitatis remansisse. Narrat enim Ioannes de Orta[6] quod Ludovicus «Romae,

---

[1] ASPN VII, p. 60. [2] Op. cit., p. 101 s.

[3] De hoc Castro videas R. Filangieri, *Castel Nuovo, reggia angioina ed aragonese di Napoli*, Napoli 1934. [4] Cf. M. Toynbee, op. cit., p. 100. C Vielle, op. cit., p. 178.

[5] Itinerarium narrat Lambertus de Parisiis his verbis (Pr. 93, l. 31–42): «Postquam dictus d.nus Ludovicus et fratres sui de Cathalonia redierunt, venerunt apud *Aquis* in Provincia, ubi erant d.nus rex et regina. Et post aliquos dies dicti rex et regina, una cum d.no Ludovico et aliis liberis eorumdem, arripuerunt iter eundi in Apuliam... Et processerunt continuando dietas suas per *Provinciam*, terram *Ianuensem* et *Tusciam*, donec applicuerunt *Sutrium* ... Deinde intraverunt *Romam*, et ibi viderunt d.nus rex et regina et d.nus Ludovicus et alii Papam». Apud V. Verlaque, op. cit., p. 79–81, stationes itinerarii pressius indicantur hoc modo: 16. XI. Aquis; 18. XI. S. Maximini; 19. XI. Brinoniae; 20. XI. Draguignani; 24. XI. Niciae; 1. XII. Ianuae; '8. II. Romae. Cf. M. Toynbee, op. cit. p. 94 et C. Vielle, op. cit, p. 171.

[6] Cf. infra, p. 360.

antequam per dominum papam Bonifacium fieret subdiaconus, in Natali Domini in prima Missa fecit acolythatum in capella regis, ... Et eadem die in Missa maiore, ab eodem summo Pontifice solemniter celebrata, coram magna cleri et populi multitudine, cum uno puero paupere ... indutus superpellicio portansque cereum, ut acolythus altari voluit assidue deservire». Dum Romae morarentur, testante Lamberto de Parisiis, «viderunt dominus rex et regina et dominus Ludovicus et alii Papam» (Pr. 93, l. 42)[1].

Sane dubitandum non est, quin his diebus inter Papam et Carolum II actum etiam sit de huius filio Ludovico, qui, susceptis iam minoribus Ordinibus, vocatiotionem suam ecclesiasticam prosequi constantissime volebat. Quod autem Carolo regi a Pontifice persuasum fuerit, ut filii vocationi non amplius obsisteret[2], ex eo concludi potest, quod Ludovicus post festum Nativitatis ab ipso Papa ordinatus fuerit subdiaconus, forsan in festo s. Ioannis apostoli, 27. XII[3]. Mox vero, Romae relictis Ludovico et fratribus eius, Carolus rex Neapolim profectus est. Paucos vero adhuc dies Romae mansit Ludovicus, indeque profectus, brevique mora apud Veliternum[4] facta, tetendit Neapolim, quo parum post initium Ianuarii 1296 advenisse aestimari potest. Ibi, teste Lamberto de Parisiis (Pr. 94, l. 1 s.), «fuit hospitatus in castro Novo, in quodam loco sibi et familie deputato per patrem»; ac, teste Guillelmo de Cornelione (Pr. 25, l. 23), remansit «in castro Novo tribus mensibus vel circa». Cum autem ex supradictis certum sit Ludovicum regno renuntiasse in castro Novo, illud fecisse videtur tempore huius suae commorationis in dicto loco. Sed adhuc paulo pressius insistere possumus. Scimus enim Robertum, fratrem Ludovici, die 2. II. 1296[5] ad militiae dignitatem evectum esse, et die 13 eiusdem mensis proclamatum Ducem Calabriae et Vicarium regni[6], qui titulus ab hac die heredi regni reservabitur. Iam vero omnino improbabile videtur hoc factum fuisse antequam Ludovicus regno renuntiaverit. Quare concludendum videtur huic renuntiationi probabiliter assignandum esse initium Ianuarii 1296 (post adventum Ludovici in castro Novo) ut terminum post quem, diem autem 13. II. ut terminum ante quem[7]. An circa 2. II., quando ad solemnitatem, in qua Robertus factus est miles, concurrebant nobiliores regni, in medio relinquimus a peritioribus definiendum.

Haec nostra conclusio luculenter et solide confirmatur ex iis quae, documentis authenticis fulcita, refert R. Caggese[8], quaeque nec explicari nec admitti possunt nisi concedatur Ludovicum iuri primogeniturae et regni antea iam renuntiasse. Sunt autem sequentia. Die 20. II. 1296 Carolus rex invitat principaliores communitates regni, ut singulae Neapolim mittant duos procuratores ad faciendam Summo Pontifici solemnem petitionem, quatenus Robertus, iam *Dux Calabriae et Vicarius regni*,

---

[1] Ad hoc tempus referendum videtur quod dicit Bermundus de Roca (Pr. 37, l. 19-23): «Papa Bonifacius dederat sibi [Ludovico] unam cuppam auream et cuilibet de dictis fratribus suis, scilicet d.no Robberto et d.no Raymundo Berengarii, cuilibet unam cuppam auream, qui comederunt illa die cum Papa. Et... d.nus Ludovicus de cuppa sua, in qua erant quinque marche et dimidia, fecit fieri quatuor calices».

[2] Cf. M. Toynbee, op. cit., p. 94 s.; C. Vielle, op. cit., p. 176.

[3] Cf. supra, p. XXX, nota 1.

[4] Cf. infra, pp. 14, 45, 61.

[5] Cf. R. Minieri, ASPN VII, p 203, allegans *Reg. Andegav.*, 1296, G, n. 87, fol. 16 v; R. Caggese, *Roberto d'Angiò e i suoi tempi* I, Napoli 1922, p. 7.

[6] R. Minieri, loc. cit., allato eodem *Reg. Andegav.*, fol. 75 v.

[7] Cf. M. Toynbee, op. cit., p. 101.

[8] Loc. cit.

ab eo ut heres Siciliae agnoscatur, cuius investitura a Sede apostolica dependebat[1]; die 6. III. 1296 Robertus, ut *Vicarius regni*, emanat mandatum in favorem episcopi Melfitensis[2]; 2. IX. 1296 ipse Carolus rex Roberto, *primogenito carissimo*, concedit ut civitatem Brundusii sub eius protectione recipiat[3]; die 14. X. 1296 Robertus, ut *Vicarius regni*, prohibet cuidam Rinaldo Piccardo, ne ingrediatur civitatem Foveam *(Foggia)* aut in ea habitet[4].

4. - De instructoribus et magistris s. Ludovici.

Ludovici eiusque fratrum, Caroli Martelli et Roberti, Neapoli morantium tutor seu gubernator erat Nicolaus Druget (alias dictus N. de Reginet), et sub anno 1279 maiordomus erat Stephanus de la Forest[5].

Guillelmus de Manerio.

Dum autem anno 1279 Ludovicus et Robertus translati fuissent in Provinciam, in domo regia Brinoniae habitualem residentiam recepturi, ipsi et frater suus Raymundus Berengarii in Provincia natus (1278) informatorem seu instructorem habuere Guillelmum de Manerio Reynardi[6], militem gallicum de Normannia (Pr. 32, l. 32), qui erat vir « magne sapiencie et multe bonitatis et honestatis et antiquus homo » (Pr. 59, l. 25; 65, l. 16). Ei concredita erat cura de puerorum honesta et civili educatione, et docebat eos « in bonis moribus et honestate, sicut est consuetum in domo regis Francie » (Pr. 42, l. 30; 65, l. 32; 71, l. 30; 85, l. 37; 98, l. 15; 107, l. 10). Eo munere erga dictos pueros functus est « usque ad tempus quo fuerunt ducti in Cathaloniam in obsidatu pro patre » (Pr. 59, l. 29)[7], id est usque ad 31. X. 1288.

Ioannes de Us.

Pro instructione religiosa erat ibidem[8] quidam, nomine Ioannes de Us, qui testatur se vidisse Ludovicum in aetate « trium vel quatuor annorum » (Pr. 82, l. 16), sed potius dicendum in aetate quinque annorum, quia ex ipsis eius verbis apparet

---

[1] R. Minieri, *Saggio di codice diplomatico. Supplem.* I, n. 99, Napoli 1883, p. 102.

[2] *Syllabus membranarum* etc. II, I, Napoli 1824-32, p. 166.

[3] Cf. R. Caggese, loc. cit, allegans *Reg. Andegav.*, n. 88, c. 239.

[5] Ibid., c. 240.

[4] Cf. N. Barone, *La Ratio Thesaurariorum della cancellaria angioina*, in ASPN X (1885), p. 424. P. Durrieu, *Archives Angevines de Naples* II, Paris 1887, p. 320.

[6] Apud R. Minieri, l. c., ser. IV, t. V, p. 364, vocatur Guillelmus *de Miliard*. Quod habendum est ut error, confusione facta in vocibus *de Manerio*. Nullibi enim in Processu nomen G. de Miliard occurrit. De R. Minieri. cf. M. Schipa, in ASPN, nova ser. t. X (1924), p. 339. — Cf. M. Toynbee, op. cit., p. 39. C. Vielle, op. cit., p. 39, supponit hunc G. de Miliard successisse Guillelmo de Manerio.

[7] Guillelmus idem officium expleverat erga Ludovici patrem tempore minoris aetatis (Pr. 59, l. 24 s.).

[8] Id est in Provincia, non autem Neapoli, ut vult C. Vielle, op. cit., p. 20, 34. Cf. M. Toynbee, op. cit., p. 39, nota 4.

eum vidisse Ludovicum sub cura Guillelmi de Manerio in Provincia. Ipse « docuit eum alphabetum et orationem dominicam, scilicet *Pater noster* et *Ave Maria* » (Pr. 82, l. 17). Quanto vero tempore cum eis permanserit, non constat. Quando autem « dominus Ludovicus fuit factus presbyter (1296) per archiepiscopum Neapolitanum, ipse ... serviebat sibi cum superpellicio et custodiebat cappellam suam » (Pr. 82, l. 31 s.); ab eodem, iam facto episcopo (1297), « Tolosae ... sabbato post Pentecosten in ecclesia cathedrali » fuit ordinatus diaconus (Pr. 83, l. 2 s.). Cum vero post paucos dies « dominus Ludovicus arripuit iter eundi in Cathaloniam », Ioannes « recepit licenciam ab eo eundi in Franciam, et ab illo tempore non vidit eum » (Pr. 83, l. 5 s.). Postea factus est archidiaconus Baugengiaci *(Beaugency)* in ecclesia Aurelianensi, et ut talis testatur in Processu (Pr. 82 s.).

Petrus Debria et Philippus Normanni.

Bermundus de Roca dicit se vidisse Ludovicum dum « in etate sex vel septem annorum erat sub disciplina et correctione domini Guillelmi de Manerio Reynardi, militis de Normannia, et alii fratres sui, scilicet dominus Robbertus et dominus Raymundus Berengarii » (Pr. 32, l. 31 ss.)[1]. Et « dicti pueri habebant duos honestos sacerdotes qui alternis diebus et vicibus Missam eisdem cotidie celebrabant, quorum unus vocabatur Petrus Debria[2] et alius Philippus Normanni... Et illi sacerdotes docuerunt dominum Ludovicum alphabetum et *Pater noster* et *Ave Maria* et *Credo in Deum* et septem psalmos » (Pr. 33, l. 2-6). Ipsi ergo continuarunt quod Ioannes de Us iam inceperat.

Ioannes de Bymaret.

Praedictis subiungit idem Bermundus quod « processu temporis habuerunt dicti pueri quemdam clericum vocatum Iohannem de Bymaret, qui docebat eos in libris grammaticalibus et logicalibus ... per sex annos et ultra » (Pr. 33, l. 7-12; cf. 71, l. 28; 88, l. 7; 98, l. 14). Etiam in obsidatum secutus est Ludovicum et « ipsum docebat antequam venirent... fratres Minores » (Pr. 50, l. 34 s.). Primi autem Minores fuere *Franciscus Bruni*, qui 6. XII. 1288 advenit, et socius eius quidam Minor cathalanus (Pr. 98, l. 25 s.). Ioannes de Bymaret « bonus et honestus homo... docebat eos litteras, et multum erat diligens ad bene docendum eos » (Pr. 106, l. 41-43). Teste Raymundo Gaufridi « fuit canonicus vel prepositus Fontiscalquerii *(Forcalquier)* » (Pr. 65, l. 24 s.).

Franciscus Bruni, O. F. M.

Franciscus, ut ipse testatur, iam ab anno 1286, « quando dominus Ludovicus erat etatis duodecim annorum, incepit habere familiaritatem cum eo et frequenter veniebat ad eum et ad fratres suos, et dictus dominus Ludovicus, licet esset etatis

---

[1] Carolum Martellum nunquam in Provincia stetisse, probat M. Schipa, loc. cit., p. 331-39.

[2] Quia in Processu et apud auctores scribitur *Debria*, hanc formam hic servavimus, quamvis potius scribendum putamus *de Bria* (de *Brie*, prope Parisios).

illius, confitebatur ei » (Pr. 106, l. 31–33). Postquam Ludovicus et Robertus iam intraverant in obsidatum in castro Moncadae, in vigilia festi Omnium Sanctorum (1288), adiunctus est eis 6.XII sequenti Franciscus Bruni « cum quodam socio suo cathalano, in festo beati Nycolai » (Pr. 98, l. 25). Illuc in principio Quadragesimae 1289 ut obses advenit Raymundus Berengarii, frater Ludovici. Cum his tribus pueris stetit Franciscus toto tempore obsidatus, tam in castris Moncadae et Ciuranae quam Barchinonae, et post liberationem eorum (31. X. 1295) remansit cum Ludovico usque ad huius felicem obitum. Ipse in castro Ciuranae, iuxta indultum Caelestini V, secrete fecit Ludovico Tonsuram contulitque ei Ordines minores (Pr. 110; cf. supra, p. XXIX).

Familiaritatem semper habuit cum Ludovico. Frequenter enim praedicabat ei et aliis obsidibus (Pr. 108, l. 7); cum Ludovico dicebat officium ecclesiasticum (Pr. 107, l. 37); « audiebat eius confessionem et sibi ministrabat Eucaristie sacramentum ...; ipse domino Ludovico volenti et petenti cum virgis semel ad minus et quandoque vel bis vel ter dedit disciplinam singulis septimanis pro tempore quo fuit cum dicto domino Ludovico, et hoc in obsidatu et in castro Ovi » (Pr. 108, l. 7, 19-21); a Ludovico audivit de voto intrandi Ordinem Minorum et servandae castitatis (Pr. 108, l. 39; 111, l. 17), de praecipitatione a rupe, de eundo in regionem longinquam, de diaconatu et sacerdotio recipiendis a Papa (Pr. 109, l. 34; 111, l. 39); in castro Ovi « ipse fecit fieri pro Ludovico horticellum et apportari sarcellum » (Pr. 112, l. 16); erat unus de iis qui persuadebant Ludovico ut reciperet episcopatum (Pr. 112, l. 33 s.) et ut iret Parisius pro magisterio (Pr. 114, l. 38). Ipsius Francisci veterem habitum induit Ludovicus quando in domo Cardinalis Sabinensis habitum Minorum assumpsit (Pr. 115, l. 10). Ab ipso etiam novimus qui fuerint libri praedilecti quibus utebatur Ludovicus, scilicet *Vitae Patrum*, *Stimulus amoris* (Pr. 108, l. 33 s.), libri s. Bernardi, nempe *Ad Eugenium*, *Ad Senonensem archiepiscopum*, *Ad Cluniacensem abbatem* et *Contemplationis* (Pr. 112, l. 12 s.). Franciscus insimul cum Petro Scarrerio tum in obsidatu, tum post liberationem docebat Ludovicum scientias. Nominatur etiam inter testes quando Ludovicus condidit testamentum ac ei atque Petro Scarrerio legavit libros suos, de quibus infra, p. 453.

Die 18. II. 1306 Franciscus, confessor existens Roberti, ducis Calabriae, fratris sancti praesulis, et per ipsum Robertum multipliciter commendatus, institutus est episcopus Gaetanus *(Gaeta)* a Clemente V[1]. Eidem, die 5. I. 1310, idem Pontifex, annuens votis eiusdem Roberti, regis tunc Siciliae, indulsit ut ad triennium, ipsius regis servitiis insistens, suam dioecesim per alias idoneas personas visitare posset[2]. Obiit 1321 ante 21. VIII, quo die successorem habuit Franciscum Gattula[3].

---

[1] Cf. BF V, n. 53; Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 258. Errat tamen cl. editor BF V, p. 26, nota 3, dicens: « Hic electus habendus est idem atque ille *Franciscus Scarerius* ep. Segetanus, qui unacum fr. *Petro* ord. Min. postmodum ep. Rapollano vitam s. Ludovici ep. Tolosani scripsit ». Eumdem errorem repetit ad n. 102, nota 4. Notandum ergo quod episcopus Gaetanus non vocatur Franciscus *Scarrerius*, sed Franciscus *Bruni*, dum episcopus Rapollanus vocatur *Petrus Scarrerii*. Cf. Proc. 10, 98, 106.

[2] Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 258.

[3] Eubel, loc. cit.

Petrus Scarrerii, O. F. M.

Alter frater Minor[1], qui b. Ludovici fuit magister, est Petrus Scarrerii. Ex ipsius testimonio scimus quod « non noverat d.num Ludovicum quando ivit ad obsidatum in Cathaloniam nec vidit eum euntem » et quod « d.nus Ludovicus et frater suus d.nus Robbertus fere steterant per biennium antequam ipse testis veniret ad eos in obsidatu » (Pr. 98, l. 22-25). Et infra, iterum idem tempus sui adventus indicat dicens: « Frater Franciscus [Bruni] fuit ibi cum dictis germanis fere biennio, donec testis qui loquitur venit ad eos in obsidatu; et tunc... primo vidit d.num Ludovicum » (Pr. 98, l. 28-30). Novimus autem fr. Franciscum ad obsidatum venisse die 6. XII. 1288; ergo fr. Petrus Scarrerii advenit illuc in secunda medietate anni 1290. Fuit autem « cum d.no Ludovico quinque annis et plus » (Pr. 98, l. 30s.), nempe usque ad finem obsidatus et postea usque ad obitum Ludovici. Ipse « docuit d.num Ludovicum loqui litteraliter, et postea docuit eum logicalia, naturalia, moralia et theologica » (Pr. 98, l. 31 s.). Haec verba non ita censemus intelligenda quasi Petrus solus ea docuerit Ludovicum, vel iisdem excludatur fr. Franciscum Bruni in iis docendis partem habuisse.

De progressu autem Ludovici in iis studiis edocti sumus per Bermundum de Roca, qui « fuit in obsidatu per quatuor annos primos post ingressum obsidatus cum dicto d.no Ludovico [1288–92], et vidit quod, audita Missa singulis diebus, fratres Minores remanebant cum dicto d.no Ludovico in dicta capella et docebant eum usque ad horam prandii. Et illo primo anno parum audivit eum loquentem latinum; secundo anno audivit ipsum sepius loquentem latinum; tercio et quarto anno audivit dictum d.num Ludovicum disputantem cum dictis fratribus Minoribus magistris suis, videlicet fr. *Francisco* et fr. *Petro* » (Pr. 33, l. 19–26; cf. p. 71 s.). His concordat testimonium Raymundi Gaufridi, qui asserit quod in « septennio [obsidatus], quamquam de rudimentis gramatice d.nus Ludovicus prius aliquid didicisset, ibi tamen tam in gramaticalibus, logicalibus, philosophicis, moralibus et theologicis sic profecit, quod recte pocius videretur de sciencia sua divina infusio quam humani ingenii acquisicio » (Pr. 65 s.)[2]. Ipse Scarrerius summe extollit Ludovici progressus in scientiis, dicens: « quod in quinquennio dictus d.nus Ludovicus ita perfectus factus fuit in predictis per gratiam Dei, quod conferre [et] disputare poterat cum quibuscumque personis de eisdem », et quod « fuisset sufficiens lector in predictis, sicut apparuit, quia in predicto obsidatu ipse d.nus Ludovicus legit tractatus et logicalia et naturalia et aliqua theologica » (Pr. 98, l. 32-37)[3]. Post liberationem ab obsidatu permansit cum Ludovico et continuabat docere eum etiam Neapoli in castro Ovi et in castro Novo (Pr. 102, l. 16, 33s.), et ibi, ut dicit, Ludovicus « legit primum *Sententiarum*, presente fr. Guillelmo de Falgario,

---

[1] Frater Fortis, qui « fuit in multis conventibus Ordinis lector et heretice pravitatis inquisitor » (Pr. 59, l. 16 s.), dicit quod Ludovicus « non habuit alium doctorem pro illo tempore [obsidatus] nisi Fratres predictos », scilicet Franciscum Bruni et Petrum Scarrerii (Pr. 60, l. 13 s.). De iisdem testatur etiam, quod illi Fratres erant « boni viri, honesti et litterati et magni testimonii in Ordine » (Pr. 60, l. 11).

[2] Pr. 21, l. 21 s.; 60, l. 6.

[3] Pr. 51, l. 3-5; 60, l. 3-6.

magistro in theologia, et multis viris religiosis et secularibus» (Pr. 98, l. 37-39)[1]. Petrus praesens erat, quando Ludovicus in Montepessulano instituit, ut reciperetur ad Ordinem minoriticum (Pr. 101, l. 26), item quando factus est diaconus Neapoli (Pr. 102, l. 3); non erat autem praesens quando renuntiavit primogeniturae et regno (Pr. 102, l. 6 s.); iterum vero aderat quando Ludovicus sumpsit habitum Minorum Romae in domo Cardinalis Sabinensis et professionem emisit in manus Ioannis de Murrovalle, Ministri generalis (Pr. 103, l. 16-21), item quando in festo s. Agathae (5. II. 1297) Romae «in domo fratrum Minorum prope Capitolium... publice assumpsit habitum fratrum Minorum» (Pr. 103, l. 26-29); vidit Ludovicum Tolosae celebrantem Ordines sabbato post Pentecosten (Pr. 104, l. 17 s.); in festo Assumptionis in camera morientis Ludovici celebrat Missam, audit eius confessionem, communicat eum et adest dum servus Dei sancte obiit (Pr. 105, l. 23 ss.).

Petrus Scarrerius citatur inter testes dum Ludovicus conficit testamentum, eique et fr. Francisco Bruni beatus praesul legat (praeter tres *Biblias*, *Summam* S. Thomae et librum dictum *Flores sanctorum pulchriores)* omnes alios libros suos «inter ipsos aequaliter dividendos»[2]. Hos libros mox post mortem Ludovici Carolus II emit pretio 251 libr. coronatorum, eosque dedit fratribus Praedicatoribus conventus S. Maximini recenter ab ipso fundati[3].

Die 15. I. 1308 Scarrerius institutus est a Clemente V episcopus Rapollanus (*Rapolla*, in Basilicata), et obiit ante 14. XII. 1316, quo die et anno successorem habuit Bernardum[4].

* * *

Dicto iam de illis qui certo magistri b. Ludovici fuere, Francisco scilicet Bruni et Petro Scarrerio, nunc breviter agendum est de aliis, qui magistri eiusdem beati dicuntur, nempe de Richardo de Mediavilla, de Guillelmo de Falgario, de Poncio Carbonelli et de Iacobo de Osa (postea Ioan. XXII). Animadvertere autem iuvat vocem 'magister' non tantum docentem, sed etiam consiliarium aliquando designare, ut recte notatur et probatur apud Mollat[5].

Richardus de Mediavilla. O. F. M.

Richardum de Mediavilla[6] magistrum fuisse b. Ludovici in obsidatu (1288-95) a plerisque[7] affirmatum est, non autem probatum. Hanc autem opinionem amplius

[1] Pr. 60, l. 16-20.

[2] Cf. infra, p. 453.

[3] J. H. Albanès emptionis documentum, datum 16. III. 1298, edidit in *Le couvent royal de St-Maximin en Provence*, Marseille 1880, Appendix, p. 8, ex quo habetur ap. C. Vielle, op. cit., p. 383, nota 28, et in *Antonianum* VII (1932), p. 498.

[4] Cf. BF V, n. 102; Eubel, *Hierarchia* I², p. 112.

[5] Cf. infra, p. XL, nota 10.

[6] Cf. Wadding., *Annales*, ad an. 1278, n. 31; 1283, n. 1; 1302, n. 10. Sbaralea, *Supplem.* III, Romae 1936, p. 45 ss. Daunou, *Hist. litt. de la France*, t. 21, Paris 1847, p. 128-32. E. Hocedez, *Richard de Middleton*, Louvain 1925.

[7] Ign. Jeiler, in *Kirchenlexicon*² X, 1180. Prosper de Martigné, *La scolastique et les traditions franciscaines*, Paris 1888, p. 168. E. Burton, in *The Catholic Encyclopedia* XIII, p. 45. Ios. Lechner, *Die Sakramentenlehre des Richard von Mediavilla*, München 1925, p. 5. E. Hocedez, op. cit., p. 115. C. Vielle, op. cit., p. 87 s.

sustineri non posse, elucet ex iis quae ex Processu attulimus, ubi egimus de *Francisco Bruni* et de *Petro Scarrerii*, qui soli eo tempore fuere magistri b. Ludovici[1]. Post liberationem vero ab obsidatu, et quidem dum post susceptum presbyteratus Ordinem (20. V. 1296) staret in castro Ovi prope Neapolim, Ludovicus, teste Guillelmo de Cornelione, « conferebat in materia theologica, philosophica seu morali cum fratribus Minoribus sociis eiusdem d.ni Ludovici et cum fr. Ricardo de Mediavilla magistro in theologia, et cum aliis viris religiosis et secularibus litteratis,.. et ipse testis continue erat presens vel quasi in istis collacionibus et disputacionibus » (Pr. 24, l. 37-41)[2].

Ex hoc testimonio erui quidem potest Richardum iis disputationibus adstitisse, immo, si vultis, praesedisse, non vero ipsum fuisse magistrum qui b. Ludovicum docebat[3], alioquin etiam dicti alii viri religiosi et saeculares pari iure magistri ipsius dicendi forent. Ioannes quidem de Orta[4], loquens de prudentia b. Ludovici, qui « ad suum consortium viros industrios, vita probatos et doctrina peritos adscire solitus erat, quorum consilio ac prudentiae se suaque negotia committere posset secure et absque periculo disponenda », inter alios nominat etiam Richardum de Mediavilla simul cum « aliis viris solemnibus et sapientibus, tam religiosis quam saecularibus, quos vir sanctus in sua habuit comitiva ». Ex quibus verbis patet Richardum computari quidem inter consiliarios b. Ludovici, non autem inter eos qui Ludovicum docebant vel docuerant. Iis ergo inhaerendo quae in Processu de Richardo dicuntur, nullimode concludi potest ipsum b. Ludovici magistrum docentem fuisse, et aliunde solida desunt documenta quibus illud probari possit. Richardum inter 1307 et 1308 obiisse verisimilius videtur[5].

Guillelmus de Falgàrio, O. F. M.

Guillelmum de Falgario[6] socium fuisse Ludovici in obsidatu (1288-95) affirmant Prosper de Martigné[7], quem sequitur E. Hocedez[8]; C. Vielle[9], deficientibus argumentis, rem dubiam censet; W. Lampen[10] probabile habet; M. Toynbee[11] factum

[1] Cf. W. Lampen, *Utrum Richardus de Mediavilla fuerit s. Ludovici Tolosani magister*, in AFH XIX (1926), p. 113-16 et XXIII (1930), p. 246-8. Idem, in *La France Franciscaine* XIII (1930), p. 388-90. M. Toynbee, op. cit., p. 104.

[2] De huiusmodi disputationibus refert Bermundus de Roca: « Post prandium autem statim cum Fratribus et aliis de Ordine Predicatorum et sancti Augustini, qui frequenter commedebant cum eo, ponebat se ad disputandum... et d.nus Ludovicus multum inflammabatur et efficiebatur rubeus in disputacione » (Pr. 38, l. 14-17; cf. p. 60, l. 15-20; p. 84, l. 4-9).

[3] M. Toynbee, op. cit., p. 105, opinatur Richardum in castro Ovi magistrum Ludovici fuisse. Notandum tamen quod non licet argumentum sumere ex articulis Processus; hi enim non sunt aliud quam *enuntiata*, super quibus interrogandi sunt testes, ex quorum testimonio sunt *probanda*.

[4] Cf. infra, p. 345.

[5] Cf. E. Hocedez, op. cit., p. 120s.

[6] Non recte ab aliquibus vocatur *Petrus de Falgario*. Cf. AFH XXXIII (1940), p. 242-46. AF III, p. 373, nota 4. Sbaralea, *Supplem.* I, Romae 1908, p. 338. Wadding., *Annales*, ad an. 1278, n. 31; 1284, n. 1; 1285, n. 4; 1286, n. 1; 1287, n. 4; 1288, n. 33; 1300, n. 3. Daunou, *Hist. littér. de la France*, t. 21, Paris 1847, p. 306s.

[7] Op. cit., p. 167.

[8] Op. cit., p. 115s.

[9] Op. cit., p. 86s.

[10] AFH XIX (1926), p. 115.

[11] Op. cit., p. 63s.

excludit. Omnes tamen admittunt ipsum in castro Ovi (ergo post 20. II. 1296) cum aliis fuisse in comitiva b. Ludovici. Scimus etenim quod Ludovicus « post obsidatum Neapoli legit primum *Sententiarum* presente fratre Guillelmo de Falgario, magistro in theologia, et multis viris religiosis et secularibus » (Pr. 98, l. 37–39). Ast ex eo quod Guillelmus fuit praesens, utique non sequitur ipsum fuisse magistrum b. Ludovici. Scimus etiam « quod frater Guillelmus de Falgario post Completorium legebat sibi [Ludovico] aliqua, et, eo egrediente capellam, d.nus Ludovicus remanebat ibi diu solus et in oratione » (Pr. 58, l. 30-32). Hic agitur, ut apparet, de pia quadam lectione, non de scientiali doctrina. Novimus adhuc ex testimonio Bermundi de Roca, quod ipse Ludovicum « sepe invenit in capella prostratum in terra extensis brachiis ad modum crucis, videlicet tribus vel quatuor vicibus », et testis etiam addit « quod cum invenisset ita prostratum, retulit hoc testis qui loquitur fratri Guillelmo de Falgario, magistro in theologia et socio tunc d.ni Ludovici » (Pr. 54, l. 17-21), quod evenit non in obsidatu, sed in castro Ovi, ubi tunc dictus Guillelmus erat in comitiva b. Ludovici. Tandem apud Ioannem de Orta[1] Guillelmus nominatur inter eos qui consiliarii viri Dei fuere.

Ex omnibus his textibus constat quidem Guillelmum in castro Ovi socium exstitisse b. Ludovici, ex nullo autem illorum apparet ipsum sancti viri fuisse magistrum. Mortuo Arlotto de Prato, Ministro g.li O. F. Min., Guillelmus factus est Vicarius g.lis (1286 s.)[2]. A Bonifacio VIII institutus est episcopus Vivariensis *(Viviers)* 9. VII. 1296; quando obierit ignoratur, sed sedem Vivariensen iam anno 1298 occupat Albertus de Peyre[3].

Poncius Carbonelli, O. F. M.

Poncium Carbonelli fuisse magistrum b. Ludovici affirmant, quin argumenta solida afferant, *Catalogus sanctorum fratrum minorum*[4], Bartholom. Pisanus[5], Rodulph. Tossinianensis[6], Waddingus[7], Nic. Antonius[8], Prosper de Martigné[9], E. Hocedez[10], Ios. Pou[11], C. Vielle[12], Greg. Cleary[13] et alii. Negant autem, et quidem recte, Franc. Ehrle[14], M. Bihl[15] et M. Toynbee[16]. Nam nec in toto Processu canonizationis nec apud Ioan. de Orta unquam nomen eius occurrit, quod eo magis mirandum est, quod omnes alii fratres Minores, qui Ludovicum docuerunt vel in eius societate fuere, ex-

---

[1] Cf. infra, p. 345, n. 48. [2] Cf. AF III, p. 382

[3] Cf. BF IV, p. 401; Eubel, *Hierarchia* I², p. 533.

[4] Edit. L. Lemmens, Romae 1903, p. 43.

[5] *De conformitate vitae b. Francisci*, AF IV, p. 310 et 324.

[6] *Histor. seraph. religionis*, fol. 121 r.

[7] *Annales*, ad an. 1288, n. 33; *Scriptores*, Romae 1906, p. 197; quod etiam repetit adnotator ad *Supplementum*, Romae 1921, p. 387.

[8] *Bibliotheca hispana vetus*² II, Matriti 1788, p. 95.

[9] Loc. cit., p. 167. [10] Loc. cit., p. 115.

[11] In *Archivo Ibero-Americano* XVIII (1922), p. 6, 14. [12] Loc. cit., p. 84 s.

[13] In *The Catholic Encyclopedia* XII, p. 234.

[14] *Historia bibliothecae Romanorum Pontificum*, Romae 1890, p. 141.

[15] In AFH II (1909), p. 140.

[16] Loc. cit., p. 64.

pressis eorum nominibus citantur. Iuxta Pou[1] natus est c. 1260 et obiit c. 1337[2]. Apud Waddingum[3], C. Vielle[4] et alios hic Poncius Carbonelli confunditur cum Spiritualium sequace Poncio Potugati seu Bautogati[5]; apud alios etiam confunditur cum quodam Poncio, O. F. M., qui 7. VIII. 1345 factus est archiepiscopus Seleuciensis[6].

Iacobus de Osa.

Iacobus de Osa, alias Duèze, postea episcopus Foroiuliensis, deinceps Papa, nomine Ioannes XXII, neque in obsidatu neque Neapoli fuit in societate b. Ludovici[7]. Hoc elucet ex ipsius responsis ad cap. 1-5, de quibus dicit se nihil scire (Pr. 75, l. 7-14). Ex eius testimonio novimus quod «ex quo prefatus d.nus Ludovicus Tholosam applicuit» (1297), ipse Iacobus, tunc professor iuris in universitate Tolosana, «erat eius officialis et familiaris et domesticus suus» (Pr. 75, l. 16 s.), et «ex tunc usque dictus d.nus Ludovicus diem clausit extremum, sicut familiaris et domesticus frequentavit domum ipsius» (Pr. 75, l. 25-26). Ipsi Ludovicus iniunxit «quod summam sui episcopatus exquireret et eciam expensarum, et taliter ordinaretur hospicium suum et temperarentur expense quod superesset satis ad largas helemosinas faciendum» (Pr. 75, l. 35-37). Socius etiam fuit Ludovici euntis in Cathalauniam (1297) «causa visitandi sororem suam reginam Aragonum» (Pr. 17, l. 10 s. et 76, l. 16). Denique a festo s. Dominici usque ad mortem sancti praesulis astitit huic continuo et in infirmitate «servivit sibi [Ludovico] ipse... multum assidue sicut familiaris suus» (Pr. 77, l. 2 s.). In omnibus igitur his Iacobus se profitetur quidem officialem b. Ludovici, eiusque familiarem et domesticum, nunquam vero dicit se, qua magistrum, Ludovicum docuisse. In sola Legenda *In translatione s. Ludovici*[8] et iisdem ferme verbis apud Ioannem de Orta[9] dicitur, quod Iacobus «fuerat ipsius socius et magister». Ut autem iam animadvertit Baluzius, «vox... magistri tum denotabat *praeceptorem domesticum*», et Mollat[10] explicat vocem 'magister' designasse *consiliarium*, cum, ut ait, certum sit Iacobum de Osa non fuisse praeceptorem s. Ludovici, eo sensu quod sancto praesuli legum scientias docuerit. Et revera nullibi expresse dicitur Iacobum, brevissimo tempore quo cum Ludovico stetit, huic hanc vel aliam scientiam tradidisse. Guillelmus quidem de Cornelione testatur se audivisse a Iacobo de Osa, quod, cum Ludovicus «ex dispensacione summi Pontificis leges audire cepisset, in infirmitate tamen veritus quod id esset Deo displicabile, ordi-

---

[1] Loc. cit., p. 11.

[2] De eius ad curiam Siciliae missione (1315 s.), ei commissa a Iacobo II, rege Aragoniae, cf. R. Caggese, op. cit., II, p. 164, 168-70. Ios. Pou, O. F. M., *Archivo Ibero-Americano* XVIII (1922), p. 15-21, ex Archivo Aragoniae profert quinque documenta inedita.

[3] *Annales*, ad an. 1297, n. 35.

[4] Loc. cit., p. 86.

[5] De quo cf. Ehrle, loc. cit., p. 8; *Archiv f. Litter. u. Kirchengeschichte* II, 300.

[6] BF VI, n. 331. Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 444. Quae confusio etiam habetur in BF VI, p. 531, nota 6. Confusio oriri potuit ex eo quod nomina *Poncius* et *Carbonelli* vulgatissima erant in Hispania.

[7] Cf. V. Verlaque, *Jean XXII, sa vie et ses œuvres,* Paris 1883, p. 28 ss.; idem, *Saint Louis prince royal, évêque de Toulouse,* p. 34 ss. M. Toynbee, op. cit., p. 63. C. Vielle, op. cit., p. 83 s.

[8] Cf. infra, p. 259.

[9] Cf. infra, p. 379.

[10] S. Baluzius-G. Mollat, *Vitae Paparum Avenionensium* II, Paris 1928, p. 180, nota 4.

navit, immo vovit eas ulterius non audire» (Pr. 18, l. 22-24; cf. 28, l. 37). Franciscus etiam Bruni dicit «quod d.nus Ludovicus dixerat sibi quod ita voverat, set ipse non fuit presens quando fecit votum» (Pr. 115, l. 21). Ex his testimoniis constare potest Ludovicum incepisse audire leges, ast assertiones de voto facto refelluntur a Petro Scarrerio testante «contenta in ipso capitulo [31] esse vera, hoc excepto quod non audivit quod voverit, set bene vovere voluit, set testis qui loquitur non permisit» (Pr. 105, l. 28-30).

* * *

De scriptis s. Ludovico attributis.

Dum Waddingus nullum scriptum s. Ludovici affert, Sbaralea[1] asserit Ludovicum scripsisse *Conciones varias, quas variis locis, variisque de causis habuit:* et *Testamentum suum.* De dictis concionibus nullibi vestigium invenitur; Testamentum vero editur infra, p. 452-55.

Cl. Ambrosius Amelli sub nomine sancti Ludovici episcopi Tolosani tractatulum quemdam edidit[2] ex cod. Bibl. Laurentianae, Ashburn. *1051,* fol. 170v, sub titulo *Sententia in musica sonora subiecti* (sic) *Ludovici sancti,* incipientem: *Omnes homines, sicut dicit philosophus, naturaliter scire desiderant. Humana igitur curiositas;* desinentem vero: *hiis qui inveniuntur sonis. Et hec dicta sufficiant de subiecto musice sonore. Explicit subiectum in musica sonora quod Ludovicus sanctus per predictas suis* (sic) *assignat rationes.* Huius scripti auctor, dicit se etiam edidisse alium tractatum cui titulus *Liber de musice commendatione.* Utriusque tractatus s. Ludovicum auctorem habet cl. Amelli. Ast errorem eius detexit H. Cochin[3], probavitque auctorem dicti tractatus *Sententia* esse Ludovicum Heyliger[4], musicum flandrum ex Beeringen (in Limburgo Belgii). Quare et *Liber de musice commendatione* eidem Heyliger tribuendus est.

CAPUT III. — DE OPUSCULIS IN HOC VOLUMINE EDITIS.

Singula opuscula examinaturi quae nostra praebet editio, ordinem sequemur quo in ea occurrunt et respectivorum codicum descriptionem ad unumquodque adiiciemus. Cum igitur in praesenti volumine codex M u t i n e n s i s integre prout iacet editus sit (p. 1-254), pluraque contineat de quibus inquirendum nobis erit, primum eius generalis notitia praemittenda est.

---

[1] *Supplementum* II[2], Romae 1921, p. 187.

[2] *Di uno scritto inedito di S. Lodovico vescovo di Tolosa intorno alla musica,* in AFH II (1909), p. 378-83.

[3] *Sur le Socrate de Plutarque. Le musicien flamand Ludovicus Sanctus de Beeringen,* in *Mélanges d'Archéologie et d'Histoire,* t. 37 (1918-19), p. 3-32.

[4] Nomen *Heyliger* derivat a voce flandrica *heilig,* quae latine vertitur *sanctus.* Ex eo quod in tractatus titulo dicitur *Ludovici sancti,* non autem *sancti Ludovici,* suspicio de errore iam oriri potuisset.

Servatur hic codex Mutinae, in Bibliotheca Estensi, Collectio Campori [1], nunc signatus *N. 161* [2], *App. I*, olim in catalogo Campori signatus *Y. R. 4. 1*, sub titulo: *Ludovici Tolosani episcopi Vita saec. XV*. Est codex membran., foliorum 115, mm. 342×241, saec. XIV (non XV), bipartitis paginis, a variis manibus exaratus. Fol. 1a in margine inferiori, littera cursiva saec. XVI notatur: *Libro della vita e miraculi di messer Sto Aloise* (vox veneta pro *Lodovico* vel *Luigi*). Hic est ille codex de quo scribit, anno 1586, Petrus Rodulphius Tossinianensis, O. Min. Conv. [3]: « Extat Venetiis in sacrario apud Minores *processus*, quo habetur vita B. Ludovici, et omnia miracula accurate conscripta ». Quomodo autem hoc Ms. in Collectionem Campori pervenerit, nescitur. Ast non improbabile videtur, ut notat M. Toynbee [4], codicem Venetiis Mutinam migrasse tempore perturbationis ortae ex illarum regionum occupatione per Austriacos et Gallos ineunte saec. XIX.

In codice Mutinensi continentur sequentia: Processus canonizationis, Vita *Vergente mundi vespere*, Translatio, Monasterium venetum, Tabula miraculorum. De singulis nunc per ordinem agendum est.

1. – Processus canonizationis.

Occupat folia 1a-107b, una manu (A), littera notarili cursiva conscripta, initialibus rubro caeruleoque alternatim depictis. Fol. 1a rubrica: *Ista est inquisicio facta per venerabilem... regis Sicilie predicti nati.* Incipit: *In nomine Domini, amen. Anno a nativitate eiusdem* (infra, p. 1). Fol. 107b desinit: *Et ego Bernardus Salagnac... signoque meo solito consignavi rogatus. Et sic est finis totius operis, pro quo Deus gloriosus sit benedictus in secula seculorum. Amen* (infra, p. 254).

Hoc documentum, hucusque ineditum, in solo codice Mutinensi servatum, summi est valoris, eo quod est apographum instrumenti authentici a notario Bernardo Salagnac exarati, qui « examinationi testium productorum super vita, moribus, meritis et miraculis dicti domini Ludovici praesens » interfuit, propria manu conscripsit « et de mandato dominorum Inquisitorum seu Commissariorum in hanc publicam formam » redegit (infra, p. 254). Inde patet hunc Processum fundamentum et fontem primarium aestimandum esse ad vitam s. Ludovici historice exponendam [5]. Ex relationibus enim testium multae circumstantiae vitae sancti praesulis elucidantur, et non pauca, quae usque nunc vel dubia vel incerta erant, solvuntur et authenticis testimoniis confirmantur.

Processus habet partes tres. Prima (fol. 1a-7b) refert documenta institutionis tribunalis ecclesiastici, bullam scilicet Clementis V *Ineffabilis providentia* (1. VIII. 1307), litteras procuratorum, articulos 55 de vita et moribus s. Ludovici, super quibus interrogandi sunt testes, 25 capitula miraculorum examinandorum et formam iuramenti ab instructoribus et procuratoribus praestandi. His omnibus integre relatis, sequitur declaratio notarii attestantis haec acta fuisse in aula capitulari fratrum Praedicatorum Massiliae 26. II. 1308.

---

[1] De hoc codice cf. AFH II (1909), p. 382 s. - Placet hic referre quae de Bibliotheca D. Matthaei Campori, Marchionis Mutinensis, dicit P. Seraphinus Gaddoni, in AFH II (1909), p. 643, nota 1: « Amplam manuscriptorum seriem, ab se studiossime conlectam, Ioseph Campori, huius [Matthaei] pater, mutinensi Atestinorum publicae Bibliothecae adhuc vivens donavit, inter quos multi de re franciscana codices eminent ».

[2] Non autem *N. 169*, uti habetur in AFH II (1909), p. 382.

[3] *Historiarum seraphicae religionis libri tres...*, Venetiis 1586, fol. 122v.

[4] Op. cit., p. 6 s.

[5] Processus textu a nobis accepto iam usi sunt M. Toynbee et C. Vielle in biographiis suis saepe citatis.

In parte secunda (f. 7b-52a), praemissa rubrica *In nomine Domini, amen. Incipit examinatio testium productorum super vita... in ecclesia fratrum Minorum Massiliensium sepulti* (infra, p. 21), habentur excussiones testium 35, quorum primus est, die ultima februarii, fr. Guillelmus de Cornelione, lector fratrum Minorum Massiliae. Fol. 52a post examen ultimi testis (infra, p. 121) depingitur hoc signum)—|—(, ad quod notarius in sua finali attestatione remittit (infra p. 254). Deinde sequitur: *Finis attestacionum et dictorum testium quos produxerunt super vita, moribus et meritis prefati domini Ludovici* (infra p. 121). Reliquum fol. 52a vacat. Testes principaliores fuere Guillelmus de Cornelione, lector fratrum Minorum in conventu Massiliae, p. 21-32; Raymundus de Ficubus, conversus, p. 50-59; Fortis, in multis conventibus Ord. Min. lector et haereticae pravitatis inquisitor, p. 59-65; Raymundus Gaufridi, magister in theologia, olim Minister g.lis Ord. Min., p. 65-71; Guillelmus de S. Marcello, p. 80-82; Petrus Cocardi, episc. Troianus, p. 83-87; Petrus Scarrerii, episc. Rapollanus, p. 98-106; Franciscus Bruni, episc. Gaetanus, p. 106-16. Hi omnes erant de Ordine fratrum Minorum. Alii sunt: Bermundus de Roca, domicellus, p. 32-42; Elzean de Alamannone, p. 42-50; Iacobus, episc. Foroiulien., postea papa Ioannes XXII, p. 75-77; Durantus Curaterii, p. 87-93.

Tertia pars (f. 52b-107a), praemissa rubrica *In nomine Domini, amen. Incipiunt attestaciones super miraculis... episcopi Tholosani. Et primo super capitulo de mortuis... ut sequitur* (infra, p. 122), refert attestationes testium super miraculis per merita s. Ludovici patratis. Fol. 107a, concluso examine ultimi testis, per verba *maritus suus supra proximo*, depingitur signum |—⊖—|, ad quod remittitur in finali conclusione notarii (infra, p. 254). Deinde sequitur: *Finis attestacionum et dictorum testium productorum super miraculis... de Massilia sepulti.* Tandem fol. 107b habetur finalis attestatio notarii: *Et ego Bernardus Salagnac... consignavi rogatus.* Totum concluditur his verbis: *Et sic est finis huius operis pro quo Deus gloriosus sit benedictus in secula seculorum. Amen* (infra, p. 254). Reliquum spatium folii 107b occupatur quadam figura depicta quasi signum notarile imitante.

2. - Vita «Vergente mundi vespere».

Fol. 107c-108c, alia manu (B), saec. XIV, littera gothica, linear. 45-48, post rubricam *Incipit vita beati Ludovici quondam episcopi Tholosani* (infra, p. 255) incipit: *Ioannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Vergente mundi vespere;* desinit: *ubera matris suxit. Amen* (infra, p. 258, l. 16).

Haec brevis Vita sese praebet acsi esset bulla pontificia. Verba autem *Vergente mundi vespere* nullius bullae Ioannis XXII sunt initium, sed iis incipit hymnus ad I Vesperas s. Ludovici et iterum antiphona ad Magnificat in II Vesperis[1]. Textus in duas partes dividi potest, in quarum priore (infra, p. 255, l. 3-29), paucis praemissis de parentela s. Ludovici et de eius ingressu in Ordinem Minorum, diffusa praebetur glossa in prophetiam Isaiae: *Egredietur virga de radice Iesse,* quae tota in dicto Sancto adimpleta dicitur. Pars altera, incipiens a verbis *Quamquam autem*

[1] Cf. G. M. Dreves, S. I., *Historiae rhythmicae. Liturgische Reimofficien des Mittelalters* Folge VI, in *Analecta Hymnica medii aevi* XXVI, Leipzig 1897. p. 265, 273. C. Vielle, op. cit., p. 434.

(infra, p. 254, l. 30), pergensque usque ad p. 258, l. 16, omnia (salvis variantibus lectionibus) sumit ex authentica bulla Ioannis XXII *Sol oriens*[1], ex qua tamen in fine solum primum miraculum affert, textumque suum obtruncat per verba *ubera matris suxit. Amen* (infra, 258, l. 16). Ut illico patet, haec sic dicta *Vita* nullius est momenti, cum nihil afferat quod hagiographiae inserviat praeter ea quae ex supradicta bulla exscribuntur[2].

Notare tamen volumus apertam relationem existere inter primam partem huius Vitae et *Vitam* codicis Parisini Nation. lat. *5376*, de qua alibi actum est[3]. Estne utraque *Vita* opus eiusdem auctoris anonymi? Difficile dictu est. Ut autem horum textuum mutua dependentia pateat, partem utriusque iuxtaponere iuvabit.

Parisin. (AFH l. c., p. 121 s.).

...*Ysaias suo videtur vaticinio premonstrasse. Egredietur, ait, virga... timoris Domini. In* ipso siquidem *beato Ludovico videtur hec prophecia mirabiliter adimpleta.*

De radice si*quidem Iesse, de regali ex utroque parente* progenie suam traxit originem... *Assendit* autem, *quia de virtute in virtutem* semper proficiendo *processit. Virga siquidem fuit alta contemplacione, recta intencione,* florida honestate, fructifera bonorum operum fecunditate, *firma et infrangibilis* paciencie longanimitate. *Assendit eciam ad perfectionis apicem,* ut *flos lilii candore virginitatis refulgens, odore* sanctitatis *devotos post se traens*...

Super ipsum clare *requievit spiritus gracie septiformis: spiritus sapiencie, quo velud prudens* negociator *comutavit temporalia pro eternis; spiritus intellectus eum* replevit, qui eius mentem *ad cognicionem et contemplacionem celestium illustravit; spiritus consilii* ipsum direxit *quo doctus non solum Christi precepta, sed* eciam *consilia evangelica adimplevit;*

Mutin. (infra, p. 255).

...*videtur Ysaias vaticinio suo premonstra*re. *Egredietur, ait, virga... timoris Domini.* Vere *in* Christi confessore *beato Ludovico videtur hec prophecia mirabiliter adimpleta.*

Ipse *quidem de radice Yesse, de regali* scilicet *ex utroque parente* propagine genitus, *ascendit, quia de virtute in virtutem* continue *processit. Virga siquidem fuit alta contemplacione, recta intencione, firma et infrangibilis* in tribulacione. *Ascendit etiam ad perfectionis apicem,* velud *flos lilii candore virginitatis refulgens, odore* suavitatis *devotos post se trahens.*

Super quem *requievit spiritus gracie septiformis: spiritus sapiencie, quo velut prudens* mercator *commutavit temporalia pro eternis; spiritus intellectus,* quo *eum ad agnicionem et contemplacionem celestium illustravit; spiritus consilii, quo doctus non solum Christi precepta sed* et *evangelica consilia adimplevit;*

---

[1] Cf. infra, p. 395-97.

[2] Textus invenitur etiam in sequentibus codicibus. Vat. lat. *5814* saec. XIV, fol. 480r-84v, incipiens *Vergente,* desinit *patientissime toleravit* (infra, p. 255, l. 26); divitur in 9 lectiones. - Cod. Vatic. Regin. *1740,* fol. 322cd, desinit *ornatum saeculi contempsit* (infra, p. 255, l. 7); habet vix septem lineas nostrae editionis. - Cod. Vallicellanus *B. 75,* saec. XIV, fol. 271-75, integrum textum habet. - Cod. Capituli Novariensis, n. *XXVII,* olim *53,* saec. XV, fol. 58v-60v, textus completus.

[3] AFH XL (1947), p. 118-42.

spiritus fortitudinis super ipsum... *mente et corpore roboratus, carcerem, vincula,* exilium, tribulaciones *et* angustias, *sicut probant exempla inferius annotata* [1], cum mira mentis ilaritate et consolacione *toleravit. Spiritu sciencie* repletus fuit ut, *ultra humanum modum* brevi tempore *in* divinis *scripturis* et *humanis* litteris sufficienter instructus...

spiritus fortitudinis, quo *mente et corpore roboratus carcerem, vincula et* adversitates varias, *sicut probant exempla annotata inferius,* pacientissime *toleravit; spiritus sciencie,* qui eum *in humanis scripturis* quasi *ultra modum humani* ingenii celeriter informavit...

3. - Translationis officium.

Fol. 108d-110b, eadem manu (B) saec. XIV, relicto spatio pro initialibus depingendis, praemissa rubrica *In translatione s. Ludovici episcopi et confessoris Ordinis fratrum Minorum,* incipit: *Gloriosus Dei confessor* (infra, p. 258); desinit: *in secula seculorum. Amen. Et sic est finis* (infra, p. 262, l. 18). Deinde sequuntur Epistola *Iuvenis et acutus inveniar,* et Evangelium *In illo tempore... Sinite parvulos.*

Huius Legendae pars prior, nempe usque ad verba *voces Deo devote resonabant* (infra, p. 260, l. 14), iam ex codd. Vat. lat. *4759* (fol. 531-33, saec. XV) et *7692* (fol. 408 s., saec. XV) edita est a P. Eduardo Alenconiensi, O. M. Cap., ap. *Analecta Ord. Min. Capuccinorum* XIV (1898), p. 156-58. Huius variantes in nostra editione adnotatae sunt. Codex Vat. lat. *4759* desinit: *dum viveret ordinavit* (infra, p. 260, l. 4); codex Vat. lat. *7692* textum dividit in 9 lectiones et desinit: *Deo devote resonabant* (infra, p. 260, l. 14) [2].

Continetur etiam in codice Washingtonien., Biblioth. Holy Name College, n. *49,* cuius descriptio hic praemittenda est.

Est codex membran. saec. XV, fol. I+63, mm. 120×80, legatura italica c. 1840 [3]. Una manu littera gothica nitidissime exaratus est, initialibus pulchre depictis; folia numeris romanis signantur. Folia 1 et 25 excisa sunt.

In eo habentur sequentia: 1. - Fol. I insititio textus italica lingua, quem edimus infra, p. XLVII.

2. - Fol. 2r-8r textus acephalus bullae canonizationis. Incipit: *manifestans. Igitur letentur celi* (infra, p. 395, l. 15); desinit: *annotanda* (infra, p. 397, l. 38).

3. - Fol. 8r rubrica: *Nota quod predictus Summus Pontifex annotari fecit hic hec miracula sub compendio, que habentur in libro sue canoniçationis diffusius scripta et examinata dignis et veris testimoniis et demum per predictum Summum Pontificem suis cum fratribus approbata.* Miracula in bulla recensita non recitat, sed seriem 26 miraculorum affert remittendo semper ad «cartas» codicis Mutinensis (Cf. infra, p. 428 s.). Narratio istorum habetur fol. 8r-21r.

---

[1] In codice Parisino reapse talia exempla afferuntur, in textu autem Mutinensi nullum huiusmodi occurrit.

[2] Idem textus invenitur in codice monasterii s. Clarae Bononiae, continente *Breviarium s. Catharinae Bononien*, saec. XV, fol. 397a-98d; desinit *memoria celebratur* (infra, p. 260, l. 36); dividitur in novem lectiones. Codicis descriptio habetur in AFH IV (1911), p. 732-47. - Cod. Vat. lat. *5814,* fol. 480r-84v, saec. XIV. - Cod. Vallicellanus *B. 75,* saec. XIV, fol. 270v-77r, in imis marginibus.

[3] Cf. Seymour de Ricci, *Census of Medieval and Renaissance Manuscripts* I, New York 1935, p. 473.

Deinde, fol. 21v-23r, redit ad bullam canonizationis: *Ceterum quia... anno primo* (infra, p. 399, l. 20-40); et fol. 23r concludit: *Multa quidem et alia mirabilia... ne legentibus fastidium pariant* (infra, p. 429).

4. - Fol. 23r-24v post rubricam: *Epistola in festo sancti Ludovici. Lectio libri Sapientie. Capitulo VIIJ°*, sequitur: *Iuvenis et acutus... ad corpus incoinquinatum.* Fol. 24r rubrica: *In festo sancti Ludovici ad Missam Evangelium secundum Marcum. Capitulo X°;* sequitur: *In illo tempore... Sinite parvulos,* quod fol. 24v desinit: *vade quecumque* (infra, p. 262), et hic textus abrumpitur, quia folium 25 excisum est.

5. - Fol. 26r-33v textus acephalus Translationis incipit: *Appropinquante* (infra, p. 259, l. 3); desinit: *seculorum. Amen* (infra, p. 262). Huius variantes notavimus infra, p. 430.

6. - Fol. 33v-61v textus completus de Monasterio veneto, de quo infra.

7. - Fol. 62r-63r *Tabula*, quae habetur infra, p. 435, ubi delenda est nota 1.

Inter codicem Washington. *19* et nostrum Mutinensem (uterque Venetiis provenit) evidens et strictissima est relatio, quae notari meretur. Uti iam diximus supra, p. XLV, n. 3, in serie miraculorum ad singula annotat folia seu « cartas » codicis nostri Mutinensis, v. g.: *Primo. De puero suscitato. Carta lij^a. De infantula suscitata. liiij^a* (infra, p. 428 s.).

Etiam inter nostrum Translationis textum et Vitam a Ioanne de Orta conscriptam intima viget relatio. Hanc dependentiam iam infra, p. 361, nota 2, et sequentibus paginis, adnotavit editor. Recte etiam ibi animadvertitur Translationis textum supradicta Vita posteriorem esse, immo huius esse compendium et passim meram repetitionem. Quod autem posterior sit hic textus, elucere potest ex iis quae de concursu ad sepulcrum s. Ludovici addit (infra, p. 260, l. 7-14): *Statim ... resonabant;* et etiam ex additis versus finem (infra, p. 262, l. 6-13): *Nec pretereundum ... collocavit.* Haec omnia omittit Ioannes de Orta, et inter textum ab eo mutuatum interseruntur. Ut autem relatio inter utrumque textum facilius appareat, sequens adicimus schema.

Translatio.	Orta.
259, l. 4-11.	363, n. 48, l. 9s.; 364, n. 50, l. 3s.
» l. 15-18: Dominus... duraverunt.	364, n. 50, l. 4-7.
» l. 20: Consimili... Baucio.	365, n. 50, l. 7s.
» l. 22-260, l. 6: Iuvenis... permansura.	365, n. 50, l. 10-n. 51, l. 24.
260, l. 15-32: Volens...divulgata.	366, n. 52; 378, n. 73.
» l. 7-262, l. 5: Acclamantibus... tumulatum.	378, n. 73-75, l. 13.
262, l. 15-17: usque... Amen.	380, n. 75, l. 14-16.

4. - Monasterium Venetum.

Fol. 110b-112b, alia manu (C) saec. XV, minoribus litteris gothicis, lineis 53-55, absque titulo recensetur initium Monasterii s. Ludovici episcopi Tolosani Venetiis fundati anno 1388. Relicto magno spatio pro depingenda grandiuscula littera initiali **O**, continuat singulas maiusculas verticali ordine ponens: *PTIMO & PRESTAN*, deinde minusculis prosequitur: *tissimo sacerdoti...* Fol. 111a, relicto iterum magno spatio pro depingenda littera **Q**, pergit, litteris ordine verticali dispositis et separatis hoc modo: *VA/DAM/ENIM/NOC/TE IL/LUCE/SSEN/TE G/LOR/IOSSI* (!); deinde litteris minusculis continuat: *mi Ieronimi.* Omnia initialia nigro exarantur. Fol. 112b

desinit: *et pertinere videntur. Vale.* Residuum columnae (3/4) et folia 112v-113v vacant. - Inter fol. 111v et 112r in codice Mutinensi desunt folia. Quae ibi deficiunt desumi potuerunt ex codice Washington. *19* supra descripto (p. xlv).

Hic codex (fol. 33v-61v) textum de Monasterio veneto integrum habet, de cuius auctore[1], manu moderna, in principio, fol. I insititio, haec adnotantur: «Paolo Pancrazio Maffei, Canonico Regolare Lateranense, ha portato dall'italiano al latino la Vita di S.to Aluise, e con essa la storia della fondazione del monistero in Venezia di religiose vergini viventi alla Regola di S.to Agostino alla direzione de Antonia Veniero, e che fu la prima Abbadessa. Questo scrittore ha fiorito sul finire del secolo XIII[2] e anni seguenti del secolo XIV. Da Scipione Marchese Maffei viene rappresentato uomo di molta cultura e assai inclinato alla soda religione e vera pietà *(Verona illustrata* ecc.). Dal Tiraboschi è qualificato uomo di dottrina e letteratura. Del medesimo ragiona con onore il Morari nel suo *Diz[ionar]io.* — Questo prezioso codice manca di due pagine, della I e della XXV, un tempo levate forse da inetta persona a cagione di tavoliere a miniatura che recavano, come ad evidenza si raccoglie dalla tavola XXV, ch'esibiva la himmaginetta di S.to Aluise».

Fol. 33v textui praemittit hanc rubricam: *Venerabilis et optimi religiosi Pauli de Maffeis, canonici regularis Ordinis sancti Augustini, epistola ad prestantissimum sacerdotem Thomam Cremonensem in visionem illam preclarissimam de edificatione ecclesie et monasterii sancti Ludovici in hac illustrissima civitate Venetiarum.* Deinde, magna ornatissima littera O incipit: *Optimo et prestantissimo* (infra, p. 263); desinit fol. 61v: *pertinere videntur. Vale* (infra, p. 269). Tandem concludit: *Explicit epistola in visione edificationis ecclesie seu monasterii sancti Ludovici episcopi, Castelli diocesis, quam visionem habuit predicta domina Anthonia Venerio in M°CCC°XCIX° vel circa. Traducta fuit e materna lingua in latinum in MCCCCXXIJ° per religiosum virum Paulum de supra.* — Huius codicis variantes et complementum ad textum nostrum editum habentur infra, p. 430-35.

5. - Tabula.

Codex Mutinen. fol. 114a-115b, littera cursiva, manu primi amanuensis (A) exaratur Tabula, quae, praemisso titulo: *Hic incipit tabula de miraculis factis meritis b. Ludovici quondam episcopi Tholosani,* incipit: *Et primo;* desinit: *Et sic est finis tabule miraculorum; pro quo Deus gloriosus sit benedictus in secula seculorum. Amen* (infra, p. 270-74).

In codice Washington. *19,* fol. 62r, praemissa rubrica: *Tabula vite miraculorumque beati Ludovici et visionis ecclesie,* incipit: *Vita beati Ludovici j^a. De puero suscitato viij^a.* Per vocem *vite* intelligenda est bulla canonizationis, in codice quidem acephala, quae etiam in multis codicibus Vita dicitur. Per «cartas» hic signatas remittitur ad folia *ipsius codicis,* non ad illa Mutinensis, ut fit ubi codex, in corpore textus, miracula recenset, uti iam diximus (p. XLVI). Delenda est ergo nota apposita ad p. 435. Fol. 63r desinit: *Narratio ipsius visionis. Ante igitur ferme. xxxix^a. Deo gratias.*

His quae hucusque tractavimus, cuncta quae in codice Mutinensi praebentur examinata sunt, et quidem eo ordine quo in volumine nostro edita occurrunt. Nunc iam de aliis opusculis hic editis agendum est.

---

[1] De eo cf. infra, p. 263, nota 1.

[2] More italico *trecento, quattrocento,* pro saeculo XIV, XV.

6. – Liber miraculorum.

In hoc libro, nunc primum edito, recensentur illa 211 miracula, quae infra, p. 275–331, occurrunt. Illa autem non ex Processu desumuntur, sed patrata feruntur vel antequam corpus s. Ludovici sepulturae mandaretur[1], vel postea obtenta ab iis qui sese Sancto devovebant[2] aut sepulcrum eius visitabant (quorum aliqui ex devotione super tumbam stabant aut etiam dormiebant)[3], vel solo tactu reliquiarum eius[4]. Singula miracula a fide dignis testibus relata asseruntur, quorum aliqui super sancta evangelia iurasse dicuntur[5]. Videtur fuisse liber diurnus sacristae, fratris Minoris massiliensis, ad sepulcri custodiam deputati[6]. Dolendum sane quod diligens sacrista post singula miracula non signaverit diem, mensem et annum, uti exempla habemus in AF III, p. 435–38, 447, 450 (cf. infra, p. 427). Inde enim valor historicus huius libri pro cultu s. Ludovici crevisset plurimum. Hic *Liber miraculorum* habetur in unico codice iam describendo, proveniente ex Seminario dioecesano Augustodunensi[7].

Augustoduni *(Autun)*, Bibl. Municipalis cod. *69*, membran., saec. XIV/XV, foliorum I+35, littera gothica plenis lineis conscriptus.

In folio I insititio in initio codicis, in parte superiori, littera cursiva antiqua: *Sanctus Ludovicus de Marsillia archiepiscopus;* ibidem delineatur figura sancti antistitis stantis in habitu pontificali cum mitra et baculo pastorali. Manu saec. XIX: *MSS. 69/Liber miraculorum/S.ti Ludovici episcopi/.In folio sur velin/XIV^e-XV^e siècle.*

Folio 1r in margine superiori, manu saec. XVIII: *Liber miraculorum S. Ludovici/episcopi. S 88.* Prima littera initialis P, spatium 7 linearum occupans, rubro et caeruleo depingitur, ceterae initiales alternatim rubro et caeruleo exarantur.

Fol. 10v, in margine, amanuensis synchronus, referens se ad ultima verba numeri 67 *plurimi de eius vicinia* (infra, p. 290, l. 31-34), scripsit: *Huc usque perveniunt iiij^or rotuli primi miraculorum in pargameno transcripti. Et ab hinc inferius continentur miracula in rotulis antiquis de papiro usque ad illud miraculum quod incipit* Hugo de Berra[8]. *Et abinde continentur miracula usque ad finem libri in sequentibus 9 rotulis pargamenis.*

Fol. 35r desinit: *suum sepulcrum, sicut promiserat, visitavit* (infra, p. 331).

Ex nota fol. 10v eruitur codicem esse compilationem conflatam ex tribus partibus. In prima parte (fol. 1r–10v) transcribuntur quae in primis quatuor rotulis membranaceis olim erant adnotata; in secunda vero (fol. 10v–31v) illa in antiquis rotulis cartaceis conscripta; in tertia (fol. 31v–35r) continuatur recentium miraculorum inscriptio. Haec autem cessavit, forsan post expugnatam Massiliam (1423), rapto corpore sancti praesulis et Valentiam in Hispania deportato (cf. supra, p. XXIV).

---

[1] Cf. infra, p. 275, l. 9; 279, l. 34; 288, l. 29; 305, l. 10.

[2] Cf. infra, p. 275, l. 10, 17, 29; 276, l. 9, 20, 29, 37 etc.

[3] Cf. supra, p. XXIII, nota 14. [4] Cf. infra, p. 279, l. 35

[5] Cf. infra, p. 309, l. 1; 310, l. 17, 33. [6] Cf. supra, p. XXIIIs.

[7] Inter huius Seminarii codices numeratur adhuc in *Catalogue général des MSS. des Bibliothèques publiques des départements* I, Paris 1849, p. 28, n. 69. Die vero 14.I.1909 hi codices ut depositum concrediti sunt Bibliothecae Municipali Augustodunensi. Cf. *Dictionnaire d'Histoire et de Géographie ecclésiastiques* V, Paris 1931, col. 904. [8] Cf. infra, p. 325, n. 192.

Animadvertere liceat Librum miraculorum momento non carere etiam pro antiqua topographia civitatis Massiliae, cuius viae et burga frequenter nominantur, v. g., ut pauca ex multis afferamus: iuxta Piscariam (p. 276, l. 33); iuxta Paradisum (277, l. 2); iuxta Syon (280, l. 4); iuxta Lapidem (280, l. 9); in burgo Sancte Clare (280, l. 22); in Panateria (278, l. 18); in Blancaria (278, l. 26); in Bladaria (282, l. 4); in via Emendatorum (282, l. 19); in via de Iherusalem (282, l. 35); en la Nonaria Sobejrana (314, l. 39); in carreria Forensium (319, l. 34); a las Torres (320, l. 30); del cartier Sancti Iohannis (322, l. 35); als Escars (325, l. 32) etc.

7. – Vita S. Ludovici auctore Ioanne de Orta.

Antequam de hoc opusculo disseramus convenit quaedam praemittere de antiquioribus scriptoribus, qui de Vita servi Dei tractasse dicuntur.

Waddingus autem primus fuit, qui de antiquioribus biographis sequentem protulit notitiam[1]: «Scripserunt eius vitam fr. Franciscus Scarrerius episcopus Segetanus, fr. Petrus episcopus Epulanus[2], et fr. Fortius[3], comites eius individui, Laurentius Surius, Anonymus s. Ludovico aequalis, cuius opusculum cultius et auctius reddidit Henricus Sedulius, fr. Guillelmus de S. Marcello[4], et alii». Clarissimus Annalista non citat fontem unde hauserit nomina illorum quatuor Fratrum, quos ut biographos affert, ast absque dubio ea sumpsit ex Petro Rodulphio Tossinianensi, qui dicit[5]: «Testantur F. Franciscus Scarrerius episcopus Segetanus, F. Petrus episcopus Epulanus et F. Fortius, eius comites individui». De his quidem et de Guillelmo de S. Marcello recte dicit Tossinianensis quod *testantur*, nempe in Processu canonizationis, quem auctor novit[6]; Waddingus autem, terminos propositionis praetergrediens, vocem *testantur* mutavit in *scripserunt eius vitam*, cetera vero usque ad *individui* verbotenus ex Tossinianensi exscripsit.

Verba autem Waddingi, nomina quatuor Fratrum biographorum s. Ludovici proferentis, causa et origo fuerunt erroris ac confusionis, quae deinceps apud posteriores scriptores irrepserunt. Eadem enim iam verbotenus repetit Arturus a Monasterio[7]: «Vitam eius descripserunt F. Franciscus Scarrerius... individui: F. Guillelmus de S. Marcello».

Mirum tamen est Waddingum de his quatuor biographis, quos affert in t. V *Annalium*, an. 1642 vulgato, nihil referre in suo opere *Scriptores Ordinis Minorum*, an. 1650 primum edito. Sed nec ante eum H. Willotus[8] de illis quidquam dixerat.

Posteriores autem bibliographi, nempe Ioannes a S. Antonio[9] et Sbaralea[10], eosdem supradictos quatuor propriis locis inter scriptores Vitae s. Ludovici

[1] *Annales*, ad an. 1298, n. 23.

[2] Legas *Franciscus Bruni* et *Petrus Scarrerii*, de quibus cf. supra, p. XXXIV-VII.

[3] Eius testimonium in Processu canonizationis habetur infra, p. 59-65.

[4] De eo cf. supra, p. XXII. Hunc ut biographum affert Waddingus ex eo quod dicit Rodulphius, loco mox citando, fol. 121v: «Testatur F. Guillelmus de S. Marcello».

[5] *Historiae seraph. relig.*, fol. 121r. [6] Cf. supra, p. XLII.

[7] *Martyrologium Franciscanum*, Paris. 1653, p. 378.

[8] *Athenae orthodoxorum*, Leodii 1589.

[9] *Bibliotheca universa Franciscana* I, Matriti 1732, p. 352, 435 s.; II, Matriti 1732, p, 42, 445.

[10] *Supplementum* I, p. 253, 300, 341; II, p. 338.

afferunt. Immo Sbaralea [1] addit Petrum episcopum Epulanum scripsisse «circa annum 1300». De Vita, Guillelmo a S. Marcello a Waddingo attributa, hanc proponit hypothesim [2]: «Eaque forsan est, quam evulgarunt AA. SS. Collectores Bollandii, to. 3 Augusti die 19. iam interpolatam et commentario illustratam ab Henrico Sedulio Belga». Etiam C. Vielle, op. cit., p. XV, admittit Vitam s. Ludovici a coaevis, apud Waddingum citatis, scriptam fuisse. Waddingo et Sbaraleae fisus, B. Hauréau, in *Histoire littéraire de la France* [3], tractat de dicto Guillelmo «auteur supposé de la Vie de Saint Louis, évêque de Toulouse». Cognita tamen Vita sub nomine Ioannis de Orta, Sbaraleam relinquens, scribit [4]: «Si donc Guillaume de Saint-Marcel en a fait une, comme l'assure Wadding, elle est perdue, et c'est une perte regrettable». Non est autem cur doleamus, quia quod nunquam exstitit, deperdi non potest.

Aliam autem hypothesim protulit Ed. Alenconiensis [5], nempe de fr. Fortio: «Forsan ille fr. Fortius erit noster Ioannes de Orta, cuius nomen fuit a Tossinianensi deformatum?». Vana iterum hypothesis! Postquam autem egit de supradictis quatuor biographis a Waddingo prolatis, recte tandem concludit [6]: «Demptis Laurentio Surio et Anonimo Seduliano, nullus ex citatis ab auctore Annalium Minorum probatur scripsisse reapse Vitam s. Ludovici; fuerunt solummodo testes auditi in inquisitione facta de vita et miraculis sancti Episcopi Tolosani». Et haec est vera et solida sententia, cui omnes nunc adhaerent [7].

His praelibatis de praesumptis antiquioribus biographis, nunc ad Vitam sub nomine Ioannis de Orta vulgatam transeamus.

Auctor, tacito suo nomine, dicit [8] se scripturum «quae partim in eius [Ludovici] domo et societate existens oculata fide» perspexit; quo autem officio erga Ludovicum functus sit, nullibi revelat. De eius nomine inquirentes statim in gravem impingimus quaestionem. Inter undecim [9] enim codices quos novimus, e quibus novem in nostra editione adhibiti sunt, unus solus nomen eius profert, ceteri vero anonymi sunt. In unico codice Musaei Britannici *Additional 23775*, in initio codicis, manu saec. XVI, diversa ab ea quae textum exaravit, sequens affigitur titulus:

Vita S^ti Ludovici Episcopi
Tholosani filij Caroli secundi
Siciliae Regis
profuse et accurate conscripta
a Ioanne de Orta de Civitate Trani
Apulo eius Archidiacono Eleemosinario
Cappellano domestico ac familiari
et aliquandiu confessario
synchrono et oculato teste.

---

[1] *Supplem.* II, p. 338. [2] *Supplem.* I, p. 341. [3] Tom. XXXII, p. 282-85.
[4] Loc. cit., p. 285. [5] *Anal. Ord. Min. Capuc.* XIII (1897), p. 342.
[6] Loc. cit. [7] Cf. etiam AA. SS. mensis aug. III, p. 805.
[8] Cf. infra, p. 335, l. 9 s.
[9] Inter hos numeramus etiam codicem anonymum a Sedulio editum, et codicem, item anonymum, *Ngy 1789*, mutilum in fine, Bibliothecae regiae Hafniensis, de quo cf. E. Joergensen, *Catalogus codicum latinorum medii aevi Bibliothecae regiae Hafniensis*, Hafniae 1923, p. 200.

Notandum autem dictum codicem duas habere partes, nempe: fol. 3r–12v Legendam liturgicam *Almus Christi confessor;* fol. 12v-74r Vitam s. Ludovici *Scripturus*. Titulus vero praedictus ad primam partem, utpote brevissimam, referri non potest, sed solum ad secundam, ubi revera « profuse et accurate » Vita s. praesulis conscribitur. Notandum etiam, immediate ante textum in capite neutrius partis titulum vel auctoris nomen apponi. Fisi tamen titulo supra citato, moderni scriptores auctorem huius Vitae Ioannem de Orta nominant.

Hic ergo oritur quaestio: Quis est ille Ioannes de Orta, Apulus, de civitate Trani, synchronus et oculatus testis, tot officiis functus? Primo quidem aspectu isti tituli quasi certitudinem circa personam auctoris ingerere deberent. Ast econtra, praecise ex his oritur nobis difficultas et diffidentia [1].

Si vera enim sunt quae ei attribuuntur, fieri non potest, ut videtur, quin de eo aliquid ex documentis hucusque notis eruatur vel saltem nomen eius pateflat. In attestationibus autem 33 testium, in Processu canonizationis productorum, nunquam et a nullo nomen eius profertur, nec etiam in ipso testamento s. Ludovici memoratur. Hoc sane mirandum est et dubium auget circa identitatem huius Ioannis. Et primum quidem de archidiacono sancti praesulis nemo unquam verbulum facit. Eleemosynariorum nomina non pauca occurrunt, sed inter hos nunquam quidam nomine Ioannes de Orta recensetur. Confessarii fuere et saepe nominantur Franciscus Bruni et Petrus Scarrerii [2], alius vero nemo. Familiares non pauci fuere, praecipue duo praedicti eius confessarii. Quater enim in Vita occurrit mentio de socio « magis familiari » d.ni Ludovici [3], et semper designatur vel Franciscus vel P. Scarrerii. Iis etiam in testamento suo legavit omnes libros suos, paucis exceptis, « propter plura grata servitia, quae ab ipsis longo tempore recolo suscepisse » [4]. Hi etiam vere testes synchroni et oculati fuere; Franciscus quippe a die 6. XII. 1288, Petrus vero a fine 1290 semper usque ad eius obitum cum Ludovico steterunt [5]. In annotationibus nostris ad Vitam 36 vicibus remittitur ad utriusque attestationes; ex quo patet quanti eorum testimonia aestimaverit auctor.

Nunc iam ad ea accedamus in quibus auctor bis in propria persona loquitur. Primo ait, p. 337, n. 3: « sicut a serenissima d.na regina eius matre et ab aliis qui eius nutriendi curam habebant d i d i c i ». Agitur hic de Ludovico, qui « cum puerulus esset annorum septem... saepius lectum dimittere et in tapetis iacere inventus est ». Hoc ergo refertur ad tempus ante obsidatum [6], quod Ludovicus, ab anno quinto aetatis suae in Provincia peregit [7]. Inde autem nihil inferri potest ut nomen auctoris detegatur. Etenim etiam Franciscus Bruni et Petrus Scarrerii multique alii illud a regina matre discere potuerunt.

---

[1] Ed. Alenconiensis, loc. cit., p. 339, postquam protulit titulum supra citatum, scribit: « Haec omnia sufficiunt quidem ad fiduciam auctori praebendam, curiositati vero nostrae pauciora sunt, cum de illo Ioanne nihil amplius noscamus ».

[2] Cf. supra, p. XXXV, XXXVII. [3] Infra, p. 340, n. 9, l. 8 s, et p. 356, n. 36, l. 11, et in utroque loco agitur de Petro Scarrerii (Proc. 107, l. 37, et p. 100, l. 18); alibi, p. 349, n. 24, l. 9, agitur de Francisco Bruni (Proc. 108, l. 18 s.); tandem quod dicitur p. 356 s., n. 37 s., tum Fr. Bruni, tum P. Scarrerii testantur ab ipso d.no Ludovico audivisse (Proc. 109, l. 34 s. e p. 100, l. 34 s.). [4] Cf. infra, p. 453. [5] Cf. supra, p. XXXV, XXXVII.

[6] Annos 14 natus in obsidatum adductus est Ludovicus.

[7] Cf. supra, p. XVI.

Alio autem loco[1] apertius testimonium reapse personale profert, loquens de Ludovico, qui in «scientiis divinis pariter et humanis» in tantum profecit, «quod de eisdem publice ac private disputaret subtiliter et decenter, sicut et ego ipse vidi Barcinonae, praesentibus religiosis et saecularibus, eum pulchre et optime *de quolibet* respondentem». Hic ergo agitur de disputationibus *de quolibet;* unde ad hoc referri non potest testimonium Raymundi Gaufridi[2], qui loquitur non iam de disputationibus, sed de simplici *praedicatione,* quam fecit Ludovicus in provinciali Capitulo Fratrum Barchinonae, et quidem an. 1294-95, quando Ludovicus in dicta civitate erat adhuc obses cum suis fratribus, qui et ipsi venerunt ad Capitulum. Raymundus Gaufridi enim testatur[3] «quod non audivit d.num Ludovicum predicantem in Cathalonia, nisi semel quando ipse testis qui loquitur tenebat Capitulum provinciale in Barchilona[4], et tunc venerunt fratres carnales d.ni Ludovici, et d.nus Ludovicus proposuit inter fratres Minores in Capitulo egregie verbum Dei per modum collacionis, recommendando se ipsum et fratres suos et in fine patrem et matrem oracionibus Fratrum».

Ad hoc ergo factum certo non alludit auctor, sed ad aliud quod etiam Barchinonae locum habuisse probabile est, quando scilicet Ludovicus, iam episcopus, mense iulio anni 1297, ibi moram fecit[5]. Nomina novimus eorum qui in hoc itinere et in dicta civitate erant cum Ludovico, scilicet fratres Guillelmus de Cornelione, Petrus Scarrerii, Franciscus Bruni et eius officialis Iacobus de Osa[6]. Sed neque hac occasione nomen Ioannis de Orta emergit, quod valde mirandum videtur. De hac disputatione in Processu nulla occurrit mentio, sed auctor scire potuit a viris fide dignis, a quibus alia plura auditu percepit.

Inspectis igitur Processu ac etiam codicibus, qui omnes praeter unum anonymi sunt, et examinatis undequaque tum quae ad criticam externam tum quae ad criticam internam spectant, quocumque demum dirigamus inquisitionem, nunquam invenimus nominatum quemdam Ioannem de Orta. Itaque usque dum nova documenta non emerserint, concludendum est nomen auctoris adhuc sub modio latere[7], et huius Ioannis identitatem remanere aenigma[8].

Hypothesim suggerit C. Vielle[9] quaerendo an verus auctor Vitae non sit Franciscus Bruni. Argumentum sumit ex eo quod, ut asserit, in Vita dicitur auctorem novem annos apud Ludovicum permansisse, et dictus Franciscus, ut novimus ex Processu, totidem annos socius fuit Ludovici. Hoc ultimum quidem verum est; sed quod asseritur illud in Vita haberi, in hac nullibi invenitur. Hypothesis ergo fundamento penitus caret.

Quidquid autem sit de auctoris nomine, valor et auctoritas Vitae ab eo exaratae magni aestimari meretur propter fontes e quibus narrata hauriuntur, quorum praecipuus utique est Processus canonizationis. Hunc quidem nunquam expressis verbis nominat; non est autem dubium quin illum sedulo et continuo inspexerit.

---

[1] Infra, p. 343, n. 14, l. 14 s. [2] Ut censet M. Toynbee, op. cit., p. 13.

[3] Pr. 66, l. 6-11. [4] Raymundus ergo hoc Capitulum tenuit quando erat adhuc Minister g.lis (1289-95). [5] Cf. supra, p. XXI. [6] Cf. supra, p. XX.

[7] Ita Fr. Van Ortroy, in *Anal. Bolland.* IX, p. 280.

[8] M. Toynbee, op. cit., p. 12: «The identity of John of Orta remains a puzzle».

[9] Op. cit., p. XVI.

Ut enim ex frequentibus annotationibus nostris ad Vitae textum evidenter elucet, Vita haec fundatur maxime in assertis eorum, qui in dicto Processu, tactis sacrosanctis evangeliis, testati sunt, inter quos eminent Petrus Scarrerius et Franciscus Bruni, ad quorum testimonia, ut iam diximus[1], non minus quam 36 vicibus remittitur in notis.

Auctorem prae manibus habuisse Processum, adhuc evidentius apparet ex serie 30 miraculorum quam affert (p. 367, n. 53-377, n. 71), quae omnia, exceptis quatuor, inveniuntur in Processu, ut ex annotationibus nostris ad ea luculenter patet. Non autem ea recitat ex Bulla canonizationis, quia in hac nomina personarum non exprimuntur, in Vita vero recensentur. Nec ea recitat eo ordine quo in Processu occurrunt, uti elucet ex schemate sequenti.

Vita num.	Process. pag.	Bulla num.	Vita num.	Process. pag.	Bulla num.
53	187	—	61	200	—
54, l. 1-6	188	—	62, l. 1-9	216	—
» l. 7-12	166	10	» l. 10-20	218	—
» l. 13-15	206	—	» l. 21-29	214	—
55	227	—	63	221	—
56, l. 1-6	209	13	64	228	—
» l. 7-12	153	7	65, l. 1-9	249	—
» l. 13-19	153	—	» l. 10-20	244	—
57, l. 1-10	157	8	66	256	—
» l. 11-13	158	9	67	235	13
58, l. 1-8	150	—	*68*	*Mir. n. 56*	—
» l. 9-13	151	—	*69*	?	—
» l. 16-22	173	—	70	130	2
59	169	—	*71, l. 1-10*	*Mir. n. 205?*	—
60	176	—	» *l. 11-19*	*Sedul. n. 47*	—

Quae in fine huius schematis litteris obliquis signantur, desunt in Processu, sed n. 68 certo occurrit in *Libro Miraculorum* (Mir.), et probabiliter etiam n. 71, l. 1-10, licet hic nomina differant. Hic *Liber Miraculorum*, ut iam diximus[2], Massiliae asservabatur, ubi evenit etiam miraculum sub n. 69 narratum de quadam muliere massiliensi, quod alibi non invenimus relatum. Quod sub n. 71, l. 11-19 affertur de Alaracia lombarda occurrit etiam apud Anonymum a Sedulio editum, in AA. SS. mensis aug. III, p. 817b.

---

[1] Cf. supra, p. LI. [2] Cf. supra, p. XLVIII.

Non pauca etiam facta vel horum circumstantiae narrantur, de quibus in Processu non occurrit mentio, sed quorum vel auctor ipse testis oculatus fuit, cum in domo et societate Ludovici exsisteret, vel quae a viris fide dignis audire potuit, praesertim ab iis qui longo tempore socii fuere Ludovici. Plura talium factorum vel circumstantiarum hic recensere iuvabit.

Ludovicus septennis, saepius, relicto lecto, in tapetis iacens inventus est (p. 537, n. 5, l. 5-7). In castro Ciuranae gravissima afflictus infirmitate, in vigilia Purificationis b. Mariae votum emisit promittens b. Virgini et b. Francisco quod, si sanaretur, fratrum Minorum Ordinem intraret. Sanitati restitutus, in sequenti festo Pentecostes, in capella castri b. Virgini dedicata, votum castitatis expresse renovavit (538, n. 5). Ibidem, sub equo prostratus, illaesus evadit. Circumstantiae huius casus vivide exponuntur, quae in Processu non narrantur (539, n. 6). Barchinonae disputat *de quolibet* (543, n. 14, l. 14s.). Ibidem habitat in hospitio quod propinquum erat ecclesiae Templariorum (558, n. 40, l. 9s.). Ibidem visitavit ecclesiam fratrum Praedicatorum ad videndum sacram quamdam spinam coronae dominicae, ibi reverenter asservatam (558, n. 41, l. 2). Ibidem obtinere non potuit ut ad se adduceretur leprosus, quia statutum civitatis inhibebat ne leprosi irent per oppidum nisi in die Parasceve (558, n. 41, l. 8). Ilerdae hospitabatur in domo fratrum Minorum propinqua domui fratrum Praedicatorum, apud quos praedicavit (544, n. 15, l. 10s.). Patri suo suadenti ut uxorem duceret acquiescere noluit (546, n. 19, l. 8). Viro cuidam persuadenti expedire ut regni gubernacula non renueret, non obaudivit (546, n. 20, l. 6s.). Ad molestiam caloris, sudoris et sorditiei evitandam aliquando ad dormiendum induebat habitulum ex vetere habitu socii sui factum (548, n. 23, l. 5s.). Exsistens episcopus, vilem portans cuiusdam socii sui habitum, dicebat se scutiferum vel vallectum fore ipsius Fratris, quia eius mutatoria deferebat (548, n. 23, l. 10s.). Cappam, quam pro se nimis pretiosam iudicabat, cuidam episcopo pauperi dari fecit (548, n. 23, l. 12s.). Habitum quemdam dissui fecit, quia nimis curiose sutum iudicabat (548, n. 23, l. 14s.). Parisiis Universitati scholarium praedicavit portans habitum Minoriticum. Tarascone populo praedicavit de mane et circa vesperas provinciali Capitulo fratrum Praedicatorum (544, n. 16, l. 6-14). Camerarios habebat duos antiquos viros laicos scapulariis aliisque vestibus religiosis indutos (550, n. 27, l. 5). Barbitonsori suo praecepit ut nihil reciperet a tonsurandis praeter id quod pro suo laboritio merebatur (554, n. 33, l. 1 s.). In Castro Ovi exsistens, parvulam scapham intrans, Neapolim ad patrem suum se velociter contulit, obtinuitque ut sententia incisionis pugnorum, in hostes patris lata, revocaretur, et plus quam 150 de eis, qui nondum truncati fuerant, liberari fecit et absolvi (555, n. 35, l. 8-16). Romae, in die Nativitatis, Missae ut acolythus inservivit in palatio regis et in Missa a Summo Pontifice celebrata (560, n. 44, l. 3-7). In die Assumptionis, Eucharistiam ultimo recepturus, de grabato, in quo decumbebat, habitu indutus exsiliit et venit in occursum Domini Salvatoris (564, n. 49, l. 6). Ne longior series fastidium pariat, remittimus ad ea quae narrantur de Ludovico sibi ipsi poenitentiam imponente (550, n. 26, l. 9); de beneficio negato insufficienter instructis (551, n. 49, l. 4-14); de incisione capillorum longiorum ordinandis iam indutis (551, n. 29, l. 15-18); de roncino negato patris sui consiliario (554, n. 34, l. 15-18) etc.

De auctoris scientia, prout ex hac Vita desumi potest, pauca dicenda occurrunt. Ipse quidem profitetur se non abundare scientia (p. 535, l. 4s.); negari tamen

non potest eum Sacrae Scripturae et asceticae doctrinae non mediocrem habuisse scientiam, ut apparet ex frequentibus eius citationibus et allusionibus quibus textum suum infarcire novit. Ordine chronologico procedit in solis illis partibus, quae numeris 46–51 et 73–75 signantur; in quinque autem primis capitulis iuxta virtutes materiam distribuit, sicut etiam s. Bonaventura fecerat in sua *Legenda maiore*, quam auctor prae oculis habuisse constat, ut ex infra citandis patebit. Rerum etiam franciscanarum non ignarus fuit. Ex *Regula fratrum Minorum*[1] affert verba «quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo» (p. 348, n. 22, l. 17 s.).

Verbotenus quoque quaedam recitat quae in *Legenda maiore* s. Bonaventurae occurrunt[2], v. g.: «Hinc... in exemplis dandis excessus» (infra, p. 333, n. 33, l. 5)[3]. «Ex infirmitate illa gravissima, quae omni conclusit languori» (363, n. 49, l. 3 s.)[4]. «Cunctis in eum divinis completis mysteriis, anima eius sanctissima carne soluta et in abyssum claritatis absorpta, in Domino obdormivit» (p. 364, n. 50, l. 1–3)[5]. His sequentia addere liceat:

Bonav., p. 560, n. 1, l. 11-13.	**Orta**, p. 353, n. 34, l. 1 s.
Inerat namque iuvenis Francisci praecordiis *divinitus indita quaedam ad pauperes miseratio liberalis, quae secum ab infantia crescens.*	*Indita* quidem *divinitus* erat eius animo *quaedam ad pauperes miseratio liberalis, quae secum ab infantia crescens.*
p. 579, n. 5, l. 3-5.	p. 349, n. 25, l. 3 s.
Mulierum familiaritates, *colloquia et aspectus...* sollicitius *evitari* iubebat, asserens, *per* huiusmodi *debilem frangi et fortem saepe spiritum infirmari.*	Omnino *colloquia et aspectus mulierum... evitabat*, sciens *per* haec *debilem frangi et fortem saepe spiritum infirmari.*
p. 587, n. 1, l. 3.	p. 355, n. 36, l. 3.
Inter cetera *charismatum dona, quae a largo Datore...* obtinuit.	*Inter* omnia *charismatum dona, quae a largo Datore...* acceperat.

Insuper, sicut *Legenda maior* s. Bonaventurae in duas partes dividitur, propria conclusione distinctas, in quarum priore agitur de vita, canonizatione et translatione s. Francisci, in altera de miraculis post eius mortem ostensis, ita pariter apud Orta post narratam vitam et sepulturam s. Ludovici, sequitur capitulum de miraculis, canonizatione et translatione eius, et post utramque partem ponitur distincta conclusio finalis. In fine primae partis apud Orta plura verbotenus conveniunt cum fine secundae partis Bonaventurae, ut ex iuxtapositis textibus apparet.

Bonaventura, p. 652.	**Orta**, p. 366.
Quo nos introducat verus populi ductor et Salvator, Christus Iesus crucifixus, *per merita* servi *sui* Francisci, ad laudem et gloriam unius Dei et trini, *qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.*	*Quo*, mortalitatis Iordano transito, *per*... confessoris *sui* et episcopi Ludovici *merita, nos introducat verus ductor populi et Salvator Christus Iesus, qui* cum Patre et Spiritu sancto *vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.*

[1] *Regula* II, c. 6, in *Bibliotheca Franc. ascetica medii aevi* I, Ad Claras Aquas 1904, p. 68.
[2] Bonaventura ex Celani *Vita* II multa verbotenus exscribit, uti apparet ex textu dictae Legendae, editae in AF X (1926-41), p. 557-626. [3] *Leg. mai.* IX, n. 4, l. 8; II Cel., n. 172, l. 8.
[4] *Leg. mai.* XIV, n. 3, l. 8; II Cel., n. 214, l. 27. [5] *Leg. mai.* XIV, n. 6, l. 1 s.

His consideratis et perpensis, spontanea menti assurgit quaestio: an sub nomine Ioannis de Orta non lateat quidam frater Minor? Ast, deficientibus hucusque solidis argumentis, huic quaesito valida responsio dari nequit. Forsan tamen non abs re erit animadvertere initium primi capituli Vitae (p. 336, n. 2): «Ludovicus, fidelis Christi famulus humilisque Francisci discipulus».

Non semel etiam apud Orta occurrunt quaedam verbatim ex Bulla canonizationis desumpta, quorum longiores Bullae tractus, pluribus brevioribus omissis, hic subiungimus, obliquis illos litteris signando.

B (=Bulla), p. 395, l. 35: *quod infra septennium, quo* inibi *obses* fuit, *sub* institutione *fratrum Minorum, quos secum habebat* in *socios* (Orta, n. 14, l. 10-22).

B p. 396, l. 18 s.: *Fratres* nihilominus *duo, interdum quatuor, in sua* iacebant *camera* in *suae testimonium* nitidae *puritatis* (O. n. 27, l. 3-5).

B p. 397, l. 5-8: *factus* iam *episcopus per* unum *suum familiarem secretarium mandavit inquiri de suorum quantitate reddituum, quantumque sibi* sufficeret *pro moderatis expensis et rationabilibus faciendis,* volens quod *totum residuum* in sustendandis *pauperibus* poneretur (O. n. 34, l. 6-9).

B 397, l. 22 s.: *clericos, quibus de beneficiis providere volebat,* examinando *de articulis fidei, vita et moribus diligenter* (O. n. 29, l. 1 s.),

B 397, l. 28-30: *in occursum Domini Salvatoris, cruce* etiam *sibi data per quemdam ex sociis, genuflexit in lecto, ut potuit, ac in oratione devota et silentio postmodum diu mansit* (O. n. 49, l. 6-9).

Tempus, quo hoc opusculum conscriptum fuit, facile indagari potest. Narrat enim translationem corporis s. Ludovici, quae facta est 8.XI.1319 (p. 380, n. 75, l. 5-15); et de Iacobo de Osa dicit: «nunc divina providentia in cathedra beati Petri residet, sanctissimus scilicet pater Iohannes XXII» (p. 345, n, 18, l. 7 s.). Hic autem obiit 4.XII.1334. Opusculum ergo scriptum est inter annos 1319 et 1334.

Influxum autem haec Vita habuit in alias Legendas, quae de s. Ludovico exaratae fuere, praesertim in eas quas fere eodem tempore conscripserunt Paulinus Venetus et Petrus Calotius[1]. Ex ea etiam dependet *Officium translationis,* uti iam diximus[2]. Etiam in illa Vita codicis Parisiensis et codicis Ottoboniani, de quibus alibi fuse actum est[3], plura occurrunt quae verbatim in hoc opusculo inveniuntur.

Quod fortunam huius Legendae apud posteros attinet, non consulto et praemeditate quaesivimus versiones in alias linguas. Cum vero translatio in linguam germanicam nobis in tribus codicibus occurrerit, eam breviter annotare iuvat, profundiorem investigationem aliis relinquentes.

Codex *2857* Bibliothecae Nationalis Vindobonensis, saec. XV, continet fol. 151r-204v Vitam s. Ludovici germanice. Incipit: *Als ich vorhab ze schriben daz wirdig leben des hochgelopten...* Desinit: *durch sin grundlose parmhertzigkait. Amen*[4] Uti ex primis verbis concludere licet, agitur de Vita Ioannis de Orta.

Idem dicendum est de codice *455* Bibliothecae quae vocatur Fürstlich Fürstenbergische Hofbibliothek in Donaueschingen. Est codex cartaceus saec. XV et com-

[1] Horum Legendae eduntur infra, p. 400-13. [2] Cf. supra, p. XLVI.

[3] *De Vita s. Ludovici ep. Tolosani contenta in codd. Paris. Nat. lat. 5376 et Ottobon. lat. 2516,* in AFH XL (1947), p. 118-40. [4] *Tabulae codicum manu scriptorum... in Bibliotheca Palatina Vindobonensi asservatorum* II, Vindobonae 1878, p. 141.

prehendit Legendas germanicas sanctorum Francisci, Antonii, Clarae Assisiensis et Ludovici episcopi. Haec implet fol. 61r-105r. Incipit: *Die vorred der legent des helgen bischof sant Ludwigs. Das leben des helgen bischofs Ludwici ze schribend An ruffe ich sinen inwoner den helgen gaist.* Desinit: *durch das verdinen sant Ludwigs allen den die den selben helgen guteclichen an ruffent das gunnet und verhilfet unser her Jesus Cristus der mit Gott vatter und hailgen gaist ain Gott ewenclich lept und richset. Amen* [1].

Tandem codex *Germanicus 5115* Bibliothecae Status Monachii, scriptus an. 1461 a Barbara Päugerin, moniali Ord. s. Clarae, idem opus exhibet fol. 2r-105r. Incipit: *Das ist die gnadrich loblich legend vnssers demütigen minrichen Engelschlichen vatters sant ludwigs des hochwirdigen bischofs.* Desinit: *Der selbig wel durch sin furbit vnd verdienen vns Allen vmb got erwerben Ain gut sellig kristilich End vnd das mier (!) got och Ewigklichen schowen mit Allen vnsser welten hailgen vnd Engel on End. Amen* [2].

His praelibatis, iam accedere licet ad anteriores editiones huius Vitae et ad codices, quibus nostra editio innititur. Textum hunc iam anno 1885 cognovit V. Verlaque [3] ex codice infra citando sub n. 4. Eum autem primus edidit, anno 1890, P. Fr. Van Ortroy, S. I. [4], adhibens tres codices infra signatos sub nn. 3, 4 et 5. Iterum deinde, anno 1897, hunc eumdem publici iuris fecit P. Ed. Alenconiensis, O. M. Cap. [5], iuxta d.ni V. Verlaque apographum ex codice sub n. 4 signato, et quoddam MS Musaei Franciscani, Massiliis a P. Ludovico-Antonio a Bruntuto *(Porrentruy)*, instituti. Cl. auctor fatetur se novisse editionem Patris Van Ortroy opere suo iam perfecto [6].

Editio nostra facta est iuxta fidem novem [7] codicum integre collatorum, quorum descriptio infra sequitur. Hi codices in duas dispertiuntur familias, nempe **BDP** et **ALMNSF**. Ultimi sex priorem, id est antiquiorem, Legendae redactionem praebentes, ad textum stabiliendum, ut plurimum, editori duces visi sunt securiores, ut ipse fatetur p. 357, nota 1. Stricta relatio inter codices **BDP** luculentius apparet ex tota *Appendice* I, p. 581-90, quae in iis solis occurrit.

---

[1] K. A. Barack, *Die Handschriften der Fürstlich Fürstenbergischen Hofbibliothek zu Donaueschingen,* Tübingen 1865, p. 309 s. Ampliores notitias nobis subministravit dominus Johne, Director bibliothecae, cui publice profitemur gratitudinis debitum.

[2] Cf. V. Zeidler, *Die Legenden des hl. Ludwig von Toulouse,* in *Zeitschrift für deutsches Altertum und deutsche Litteratur* XXXIV (1890), p. 235-41; *Analecta Bolland.* XI (1892), p. 185. Directio bibliothecae gratiose nobis indicavit verba, quibus Legenda inchoat et explicit.

[3] Op. cit., p. VI.

[4] In *Anal. Bolland.* IX (1890), p. 281-333.

[5] In *Anal. Ord. Min. Capuc.* XIII (1897), p. 343-51; 361-72; XIV (1898), p. 16-27; 83-89.

[6] Loc. cit., XIV, p. 181.

[7] His adnumeramus etiam cod. Washington. Holy Name College, n. *32* (nobis F), ex quo variantes lectiones eduntur infra, p. 436-38. Olim in Bibliotheca secreta Sacri Conventus S. Francisci Assisii existebat huius Vitae codex, hodie deperditus vel dispersus, qui in Inventario anni 1381 recensebatur sic: « ccix § - Legenda sancti ludovici episcopi et confessoris. Et de inceptione ordinis. Ac vita sancti egidii de Assisio layci. ord. min. In papiro. absque postibus. - Cuius principium est. *Scripturus vitam beati ludovici.* Finis vero. *Cunctis retro diebus.* - In quo omnes quaterni sunt V.-M- ». Cf. L. Alessandri, *Inventario dell' antica biblioteca del convento di S. Francesco in Assisi compilato nel 1381,* Assisi 1906, p. 83.

Post *Vitam* sequuntur in nostra editione duae Appendices. In prima notantur 54 miracula, quae in solis codicibus **BDP** occurrunt, quaeque ex cod. **B** iam edita fuere a P. Fr. Van Ortroy, S. I., in *Anal. Bolland.* IX, p. 341–53, et a P. Ed. Alenconiensi, O. M. Cap., in *Anal. Ord. Min. Capuc.* XIV, p. 181-83. In secunda Appendice adduntur adhuc 7 miracula. in solo codice **M** descripta, post quae in **M** sequuntur alia 5, hic non edita, quia iam narrata in *Vita*, nn. 67, 70, 71 (duo), 72. Codices in nostra editione adhibiti sunt sequentes.

1. - Dublinii, Collegii Ssmae Trinitatis, cod. *E. 5. 11* (Catal. 175). Membran., acephalus, saec. XIV/XV, foliorum 93, mm. 332X242, partim bipartitis paginis, partim lineis plenis scriptus. Huius codicis descriptionem et analysim praebuit P. Grosjean, S. I, ap. *Anal. Bolland.* XLVI (1928), p. 98-100. Nobis serviunt sola folia 113r-122v.

Fol. 113r-21r post rubricam *Incipit vita s. Ludovici episcopi et confessoris, regis Cicilie primogeniti, Ordinis fratrum Minorum,* incipit: *Scripturus;* desinit: *qui* [*regnat*] *cum Patre et Spiritu Sancto coeternus per immortalia seculorum secula.*

Fol. 121r-22v: *Sequuntur aliqua miracula... post mortem. Accidit in vita;* desinit: *me vellent devorare. Explicit legenda sancti Ludovici cum miraculis eiusdem. Summa omnium miraculorum 86* (infra, p. 381-90).

Huius codicis varias lectiones ad textum Vitae in *Anal. Bolland.* IX (1890), p. 281-340, a P. Francisco Van Ortroy, S. I., editum, signavit P. Grosjean, S. I., in *Anal. Bolland.* XLVI (1928), p. 346-54.

2. - Lipsiae, Bibliothecae Universitatis, codex *845*, saec. XIV, hodie inter deperditos inscriptus, ut nobis communicavit cl. Director Bibliothecae. Fol. 144v-74r Vita s. Ludovici anonyma et absque titulo, *Scripturus.* Desinit: *in secula seculorum. Amen. Explicit legenda s. Ludovici episcopi Tolosani de Ordine Minorum.*

3. - Londini, Britannici Musaei, Cotton., codex *Cleopatra B. II,* foliorum 233, mm. 204X133, partim membran., partim chartaceus, tum plenis lineis, tum paginis bipartitis, scriptura gothica cursiva saec. XIV et XV exaratus. Descriptio huius codicis habetur in *Anal. Bolland.* IX, p. 280, et diffusius apud P. Sabatier, *Collection d'études et de documents* I, Paris 1898, p. CLXIX.

Fol. 186d-207d, chartaceis, bipartis paginis, saec. XV, incipit absque titulo: *Scripturus;* desinit: *qui regnat cum Patre et Spiritu Sancto coeternus per immortalia seculorum secula.*

Fol. 207d-12d: *Sequuntur aliqua miracula... post mortem. Accidit in vita;* desinit: *me vellent devorare* (infra, p. 381-90).

4. - Londini, Britannici Musaei, codex *Additional 25.775,* membran., foliorum 90, mm. 162X117, mediante saec. XV littera humanistica rotunda lineis plenis exaratus, litterisque initialibus affabre depictis atque deauratis. In principio codicis legitur titulus: *Vita Sti Ludovici* (cf. supra, p. L); infra: *Bibliothecae serenissimi Alphonsi Aragonum et Sicilie Regis num. 55* [1].

Fol. 3r-12v Legenda liturgica *Almus Christi confessor* (infra, p. 414-21).

Fol. 12v-74r Vita s. Ludovici *Scripturus* (infra, p. 335-80). Utrumque scriptum titulo caret. Desinit: *in secula seculorum. Amen. Vite beati Ludovici episcopi finis* (infra, p. 380).

5. - Mediolani, Bibliothecae Ambrosianae codex *N. 59 Super.*, mm. 163X122, foliorum 42, lineis plenis, littera gothica cursiva saec. XIV exeunte, initialibus et titulis rubro exaratis. Frequentissimis mendis librariis scatet. De hoc codice agitur in *Anal. Bolland.* IX, p. 278 s.

Fol. 1r-5v rubrica: *Incipit vita beati Ludovici episcopi de Ordine fratrum Minorum.* Deinde sequitur: *Almus Christi confessor.* Desinit: *in secula seculorum. Amen* (infra, p. 421). Est Legenda liturgica, quae dividitur in novem lectiones.

---

[1] P. Fr. Van Ortroy, in *Anal. Bolland.* IX, p. 279, nota 1, coniicit hunc esse Alphonsum V, de quo cf. supra, p. XXIV.

Fol. 5v-24v Vita anonyma s. Ludovici cum titulo: *Incipit prologus;* deinde: *Scripturus;* desinit: *devote fuerat commendata* (infra, p. 376, l. 21). Capitulum 6 (infra, p. 361-66) ponit ante 5; omittit sequentia miracula: n. 54-58; n. 67 s. (p. 367-75).

Fol. 25r-41v Legenda s. Clarae: *Admirabilis femina Clara.*

6. - Monachii, Bibl. Status, cod. *7874,* membran. 4°, mm. 220X155, saec. XIV, folia recenter numerata 72, proveniens ex conventu fratrum Minorum Ingolstadiensi. Partim pulcra littera gothica recta, partim gothica cursiva lineis plenis exaratus. Ligatura originalis operculis ligneis corio tectis. Dorso consumpto superposita est carta cum hac inscriptione: *Vita/sanctorum/ Antonii/et/Ludovici/tolos:/in/pergame/no/Cod. lat./7874/Hi. V.* In superiori parte primi operculi manu saec. XIV/XV inscriptus erat titulus qui nunc fere omnis abrasus est. Legi adhuc potest *[L]egend[a] Anto[nii] de padua/ ... Ludovici* (?) ... *ordi[nis] fra[trum] Mino[rum].*

Fol. 1r-39v, littera gothica recta, incipit Legenda S. Antonii Patavini *Assidua fratrum postulatione;* desinit: *rivum gratie sicientibus effundas. Amen. Explicit vita beati patris Anthonii confessoris Ordinis Fratrum Minorum.* - Hunc codicem nec citat nec adhibet L. de Kerval, qui hanc Legendam simul cum alia edidit sub titulo *S. Antonii de Padua vitae duae,* in *Collection d'études et de documents* V, Parisiis 1904.

Fol. 40r-66v, littera partim gothica recta, partim cursiva, Vita anonyma s. Ludovici cum titulo: *Incipit prologus in vitam beati Ludovici episcopi Tholosanensis de Ordine seraphici confessoris sancti patris nostri Francisci;* deinde: *Scripturus.* Desinit: *secula seculorum. Amen* (infra, p. 366, l. 27). Post haec pergit: *De ipsius miraculis, canonizatione et translatione. Et primo decretalis domini Iohannis pape XXII, que incipit: Iohannes episcopus servus servorum Dei universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Sol oriens mundo etc., que tota legitur pro lectionibus in choro et ideo hic causa brevitatis non ponitur.*

Fol. 67r, Rubrica: «*Secuntur miracula ... suscitatis*» (infra, p. 381). Sub hoc titulo, relinquens textum nostrum (p. 366ss.), ponit sequentia miracula: 1° (fol. 67r-68v) quindecim illa quae in Bulla recensentur (p. 397-99); 2° (fol. 68v-69v) septem in aliis compilationibus deficientia, quae in nostra *Appendice* II edimus (p. 391); 3° (fol. 69v-71r) quinque ex serie Ioannis de Orta, scil. n. 67, 70, 71 (duo), 72 (p. 375 et 376-78). Post verba *in melius alterandi* (p. 378), ceteris omissis, continuat: *Que secuntur sunt de bulla canonizationis ipsius sancti. Hec igitur sunt mirabilia,* et exscribit reliqua ex dicta Bulla, ac desinit (fol. 72v): *vij ydus aprilis pontificatus nostri anno primo* (p 399). Deinde *Explicit leganda* (!) *sancti Ludovici episcopi Tholosani de ordine Fratrum Minorum.*

7. - Neapoli, in Musaeo Archivi Status, codex *XXXIX,* mense septembri 1943 a malevolis incendio destructus. Huius codicis descriptionem desumimus ex notitia exsistente in Inventario dicti Musaei, quam cl. d.nus R. Filangieri, huius Musaei Conservator dignissimus, nobis humanissime communicavit. cui ex corde gratias agere lubet. Erat codex membran. in 4° parvo, saec. XIV, pulcherrimis picturis ornatus et optime conservatus, bipartitis paginis, initialibus alternatim rubro et caeruleo depictis exaratus, habens folia numerata 259. Continebat Vitam s. Francisci et miracula eius post mortem auctore s. Bonaventura et Vitam s. Ludovici.

Fol. 193r-257r Vita anonyma s. Ludovici, praemisso titulo *In nomine Domini nostri Iesu Christi incipit prologus in vita beati Ludovici episcopi,* incipit: *Scripturus vitam;* desinit: *in secula seculorum. Amen. Explicit vita beati Ludovici episcopi.* Deinde littera cursiva, diversa ab illa qua textus conscribitur: *Est Bibliothecae Kalephatorum Bariensium. Alexander Maria Kalephatus indignus Oriae in Messania episcopus*[1] *advocabat. 1790.*

8. - Parisiis, Facultas theologiae protest., codex non numeratus, membran., saec. XV, mm. 330X238, folia 198, initialia rubra, quaedam etiam caerulea, paginis bipartitis, lin. 43, per-

[1] A. M. Calefati, episcopus Orien. *(Uria)* 17.IX. 1781 † 30.XII.1793. Cf. P. B. Gams, *Series episcoporum ecclesiae catholicae,* Ratisbonae 1873, p. 909.

pulcre littera gothica a duobus amanuensibus exaratus, quorum alter scripsit folia 1-129, alter vero fol. 130-98. Contenta in hoc codice diffuse et optime, sub titulo *MS Rosenthal,* describit P. Sabatier, in *Collection d'études et de documents* IV, Paris 1902, p. xxxi-vi. Nostra tantum interest quod sequitur.

Fol. 149b-63b absque titulo Vita S. Ludovici: *Scripturus vitam;* desinit: *qui regnat cum Patre et Spiritu Sancto coeternus per immortalia seculorum secula. Amen.* Deinde, fol. 163b-67a, sub titulo *Sequuntur aliqua miracula que Dominus... reliqua post mortem,* recensentur 34 miracula in nostra *Appendice* I relata (p. 381-90).

9. - Washingtoniae, Bibliothecae Holy Name College cod. *52* membran., saec. XIV, foliorum 26, mm. 190X140, lineis plenis nitidissime scriptus in Italia. Legatura moderna germanica. Probabiliter proveniens ex Antiquariatu L. Rosenthal[1]. Usque ad fol. 21r initialia nigro exarantur, deinceps vero iis depingendis spatium vacuum relinquitur. Cum autem hic codex serius ad nos pervenerit, eius textum diligenter cum nostro iam edito contulimus lectionesque variantes collegimus (infra, p. 436-39). Est codex optimae notae, cum melioribus codicibus plerumque consonans.

Fol. 1r-25r post rubricam: *In nomine Domini nostri Ihesu Christi incipit prologus in vitam beati Ludovici episcopi,* incipit: *Scripturus vitam;* desinit: *in secula seculorum. Amen. Explicit vita beati Ludovici episcopi. Anima scriptoris salvetur ab omnibus horis. Finito libro isto sit laus et gloria Christo.*

Fol. 25r–26v praebet brevissimam Vitam b. Ludovici in versibus. Res quidem parvi momenti litterarii est et gratus lusus verborum, quam invenies infra, p. 438-40. Cf. infra, p. LXVIII.

8. – Vita s. Ludovici auctore Paulino Puteolano, O. F. M.

Ut de vita Paulini quaedam praemittamus quae certa probataque sint, nihil melius duximus quam, iuxta exposita a P. A. Ghinato[2], sequentia breviter proponere. Paulinus, natus Venetiis[3] post medium saec. XIII (inter 1270-74), iuvenis Ordinem Minorum ingressus est. Ex documentis authenticis a P. Ghinato allatis sequentia elici possunt. Paulinus assistit capitulo conventuali Paduae (12.XII.1293); Lector Venetiis (30.XI.1301); Custos custodiae Venetiarum (5.X.1304); Inquisitor haereticae pravitatis in Marca Tervisina (ab aug. 1305 usque ad iunium 1307); Lector Venetiis (23.III.1308). Inter annos 1313-15 componit opus suum *Il Rettore,* rogante M. Badoero duce Cretae, huicque dedicatum. Ex depositione fr. Aynardi de Ceneta, guardiani Tervisini, habemus quod Paulinus « nimis delicatus fuit in vestibus, cibis et potibus... emebat pelles nimis delicatas de agnello existens inquisitor... tenuit duos ioculatores ad sonandum instrumenta sua in loco Conecلani in estate », quibus « dedit grossos duodecim pro mercede iniquitatis... Libros insuper multiplicavit scribi faciendo e emendo ».

Vir erat magnae aestimationis apud magnates. Iam 1315-16 Respublica Venetiarum eum elegit nuntium ad Robertum, regem Siciliae, in causa civitatis Ferrariae a Venetis occupatae. Iterum 1320 eadem Respublica ei commisit legationem ad

[1] Cf. Seymour de Ricci, *Census of Medieval and Renaissance Manuscripts* I, New York 1935, p. 475.

[2] In *Le Venezie Francescane* XVI (1949), p. 30-46; 94-118; XVII (1950), p. 12-28. Cf. etiam C. Caggese, op. cit., II, p. 374-77.

[3] Ideoque dicitur etiam Paulinus Venetus, sub quo nomine de eo agit Sbaralea, *Supplem.* II, p. 307 s.

eumdem regem Robertum, tunc in Provinciae comitatu residentem, in causa Ianuensium, qui navem cuiusdam civis Veneti depraedaverant. Probabiliter iam hoc anno 1320 Paulinus erat Avinione; certum autem est ipsum anno 1321 ibi stabilem habuisse residentiam in Curia pontificia, ut elicitur ex eo quod mense septembri dicti anni comparet ut capellanus et poenitentiarius Ioannis papae XXII, qui ei et aliis committit examinandum opus Marini Sanuti *Secreta fidelium crucis*. Quanta aestimatione habebatur Paulinus apud Ioannem XXII elucet vel ex eo quod Pontifex anno 1322 ipsum ad ducem Venetiarum misit nuntium eique non minus quam sex negotia in decursu huius anni commisit cum Venetis tractanda, nempe in causa Vicecomitum Mediolanensium, Estensium, civitatis Fanensis, haeretici Zeroli, salinarum Cerviae et Iacobi Sauri socii Inquisitoris Marchiae Tervisinae. Toto tempore harum tractationum Paulinus mansit Venetiis et ad finem 1322 Avenionem rediit. Huius viri insignes dotes cognoscens, Ioannes XXII eum per bullam 20.VI.1324 [1] datam, episcopum instituit Puteolanum *(Pozzuoli,* prope Neapolim). Non illico autem Paulinus sedem suam adivit, nam litteris 1.VII.1324 Pontifex ei mandat ut ad ecclesiam suam se conferat, sed 15.IV.1325 ipsi indulget ut quamdiu negotiis a Sede apostolica sibi commissis insistit, non teneatur in sua ecclesia personaliter residere neque a quoquam super hoc debeat molestari [2]. Tandem an. 1326 ad sedem suam Puteolanam pervenit. Quam gratus fuerit Paulinus regi Roberto, quantumque ab eo habitus, liquet ex eo quod rex eum inter consiliarios suos assumpserit. Obiit autem anno 1344 die incerta, sed ante 5.VII, quo ei successit Landulphus [3]. Ex inventario autem bonorum mobilium defuncti Paulini, iure spolii ad sanctam Sedem spectantium, a subcollectore pontificio Ioanne de Clupo die 22.VI. exarato, erui potest Paulinum parum ante hunc diem obiisse, cum ibi dicatur «condam domini Paulini immediate proxime mortui» [4].

Praecipua scripta fratris Paulini sunt *Chronologia magna, Epitome historiarum* (exaratum ante 1313) [5] et *Satyrica gestarum rerum* (composta c. 1334ss.), de quibus docte ac diffuse agit H. Golubovich, in *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa* [6], qui etiam ait [7] ultimam notitiam in *Satyrica* inscriptam referri ad annum 1320. Nostra autem solummodo interest Legenda s. Ludovici episcopi Tolosani, quam Paulinus in sua *Satyrica* inseruit, quamque ex codice Vat. lat. *1960,* sub nomine Iordani edidit A. Muratorius [8]. Huius textum, novae eiusdem codicis collationi subiectum, infra edimus (p. 400-5).

Vaticanus lat. *1960* est codex membran. saec. XIV, mm. 442X285, foll. 271, bipartitis paginis exaratus, quem minutim recenset B. Nogara, *Codices Vaticani latini* III, Romae 1912, p. 373s. Fol. 262rv habetur Legenda s. Ludovici.

Valor autem huius Legendae elici potest ex intimis relationibus quas Paulinum cum rege Roberto habuisse constat; maxime autem desumitur ex eo quod Puteo-

[1] BF V, n. 541. Eubel, *Hierarchia* I², p. 409.
[2] Cf. A. Ghinato, loc. cit., XVII, p. 18.
[3] Cf. Eubel, loc. cit.
[4] Cf. A. Ghinato, loc. cit., XVII, p. 27.
[5] De hoc opere cf. AFH XV (1922), p. 155ss.
[6] Tom. II, Quaracchi 1913, p. 76-102.
[7] Loc. cit., p. 81 et 83.
[8] *Antiquitates italicae medii aevi* IV, Mediolani 1741, col. 1024-27.

lanus ipsum textum Processus canonizationis, ut in codice Mutinensi continetur, prae manibus habuit. Hoc ei facile contigit, dum Avinione ad Curiam pontificiam tamquam capellanus et poenitentiarius apostolicus aderat, vel dum Venetiis nuntii apostolici munere fungebatur. Hoc erui potest ex verbis s. Ludovici ab eo allatis «quandocumque eum Fratres recipere vellent» [1], quae ad litteram occurrunt in Processu [2]. Magis autem elucet ex iis quae in fine Legendae dicit de miraculis [3]: «circa XX variis l e g i i n f i r m i t a t i b u s liberatos et totidem iuxta notarium haberi». In Processu narratur de 24 infirmitatibus sanatis, quae manu notarii Bernardi Salagnae subsignantur. Paulinus vidit etiam *Librum miraculorum* [4], ut eruitur ex eius verbis [5]: «et in quaternis [6] alii CC». Revera *Liber miraculorum* recenset 211 sanationes.

Cum in Paulini Legenda multa inveniantur, quae verbatim vel fere eadem in illa Calotii occurunt, M. Toynbee [7] absolute asserit Legendam Paulini conflatam esse sententiis ex Calotio selectis, ordine tamen mutato. Utrum autem tam categorice hoc affirmari possit, dubitare licet, quamvis sciamus Paulinum multa ab aliis accepisse. Ut enim sciatur quis ex altero transcribere potuerit, sciri debet quando praecise uterque suum opus exaraverit, quod de neutro affirmari potest.

Iam diximus [8] Paulinum suum textum usque ad annum 1320 perduxisse, quod M. Toynbee non animadvertit, cum ignorasse videatur testimonium H. Golubovich, cuius opus supra citatum nunquam affert. Calotius vero, teste A. Poncelet [9], citato a M. Toynbee, loquitur in suo Legendario de quibusdam reliquiis a Dominico patriarcha Gradensi [10] inventis, ut hic Calotio «dixit MCCCXXX», immo redactio Legendarii forte post annum 1342 evenit [11].

Sed et alia consideranda sunt. Apud Paulinum pleraque desunt, quae a Calotio narrantur, v. g. ea quae apud hunc occurrunt sub nn. 5 7 14 18 24 25 26 28 29, quae magna ex parte ad verbum ex Orta proveniunt, uti ex Schemate nostro (infra, p. 415) erui potest.

Item, circa ea quae narrat Calotius [12] de apparitione s. Ludovici, dum eius exsequiae Massiliae agerentur, nempe quod Hugo de Vicinis «peciit cum grandi fletu a fratre Raymundo Gaufredi si sanctum videret episcopum», notandum quod de Gaufredi tacet Raymundus Bancon, dum de hac apparitione testatur in Processu [13]; tacet Orta, tacet Puteolanus; et quod plus est, ipse quoque R. Gaufredi in sua attestatione in Processu [14] de hac apparitione nec verbulum quidem facit. Calotius autem ea sumpsit ex *Officio translationis* [15], ubi tamen cetera cum Orta [16] conveniunt et quidem fere verbotenus. Si revera Paulinus Calotium exscripsit, quomodo explicandum quod de Gaufredi taceat? Insuper, Orta [17] refert hanc apparitionem locum habuisse «quamdiu exsequiae duraverunt», et Paulinus ait: «cum agerentur

---

[1] Infra, p. 401, l. 22. [2] Infra, p. 101, l. 30. [3] Infra, p. 403, l. 31 s.
[4] Editur infra, p. 275-331. [5] Infra, p. 403, l. 32-35.
[6] De his quaternis cf. supra, p. XLVIII. [7] Op. cit., p. 20. [8] Cf. supra, p. LXI.
[9] *Le Légendier de Pierre Calo*, in *Anal. Bolland.* XXIX (1910), p. 31.
[10] Episcopus Torcellan. c. 1314, translatus ad Graden. 16.I.1318, obiit 1332, cui 6.XI.1332 successit Dinus de Radicofano. Cf. Eubel, *Hierarchia* I², p. 267, 489. [11] Cf. infra, p. LXIII.
[12] Infra, p. 410s., n. 33 [13] Infra, p. 97, l. 27-36. [14] Infra, p. 65-71.
[15] Infra, p. 259, l. 18-20. [16] Infra, p. 364s., n. 50, l. 4-9. [17] Loc. cit., p. 365, l. 7.

exequie ». Calotius autem nec locum nec tempus apparitionis memorat. Haec quidem minima censeri possunt, ast in minutioso examine etiam minima non sunt spernenda. Alibi Calotius [1] refert de Fratre coram Ludovico moribundo piam recitante historiam. De Fratre autem eiusque historia narrata tacent Orta et Paulinus.

Addas ea quae habet Orta sub nn. 73–75, quaeque in *Officio translationis* [2] verbotenus repetuntur, fundamentum esse eorum quae a Paulino, sub nn. 17–21, et prorsus eisdem verbis a Calotio, sub nn. 54–58, narrantur. Sunt autem apud utrumque quaedam, quae nec ex Orta nec ex dicto *Officio* proveniunt, nempe verba [3] « Venerabiles autem archiepiscopi Arelatensis, Ebredunensis et Aquensis eorumque suffraganei ac cives Massilie » etc. Haec autem desumi potuerunt ex bulla Clementis V [4], quae in initio Processus affertur. Apud Orta [5] autem et in saepedicto *Officio* [6] de hac archiepiscoporum etc. missione ad Papam pro obtinenda s. Ludovici canonizatione, breviter dicitur: « solemnibusque ex parte ecclesiarum Provinciae nuntiis », nullo nomine expresso. Ex comparatione ergo utriusque huius recensionis evidens est nec Calotium, nec Puteolanum, ab *Officio translationis* dependere, cuius contrarium de Calotio asserit M. Toynbee [7].

9. - Vita s. Ludovici auctore Petro Calotio, O. P.

De Petro Calotio Clugiensi, O. P. [8], optime egit A. Poncelet, S. I., in *Anal. Boll.* XXIX (1910), p. 50-108, cuius sententiae, solidis argumentis fulcitae, inhaerendo, sequentia statuere iam licet. Petrus mortuus non est 1310, ut prius ferebatur, sed probabiliter anno 1348. Eius *Legendarium* certo exaratum est post 1330 et ante 1340. Hoc patet ex codice Barberino lat. *713* [9], ubi, fol. 190, amanuensis notat: « Iste liber est domini Mathei cardinalis de Ursinis Romani et imperpetuum cardinalis ». Iste cardinalis obiit, non an. 1345, sed 18. VIII. 1340 [10]. Si ipsius Petri est additio quaedam de corpore s. Hilarionis: « quod ego vidi MCCCXLII », redactio Legendarii post hunc annum ponenda esset.

Legendarium Petri habetur in duobus codicibus Bibliothecae Vaticanae, nempe Barber. lat. *713* (Pars I) et Barber. lat. *714* (Pars II).

Codex Barber. lat. *714* (olim *929*, postea *XIV, 87)* est Ms membran., mm. 324 X 226, foliorum 340, paginis bipartitis saec. XIV exaratum. Fol. 89rv habetur Vita s. Ludovici iuxta hunc codicem infra edita (p. 404-13) [11].

De fontibus Calotii quaedam nunc dicenda sunt. De relatione eius ad Puteolanum iam diximus satis [12]. Utrum vero usus sit testimoniis in Processu canonizationis

---

[1] Infra, p. 410, n. 31, l. 20-23. [2] Infra, p. 260-62.

[3] Infra, p. 402, l. 33s., et p. 411, l. 10s. [4] Infra, p. 2.

[5] Infra, p. 378, n. 73, l. 6s. [6] Infra, p. 260, l. 37s. [7] Op. cit., p. 20.

[8] De eo cf. I. Quetif-I. Echard, *Scriptores Ord. Praedicatorum* I, Lutetiae Pariorum, 1721, p. 511 a. [9] Codex provenit ex conventu Fratrum O. P. Romae ad Minervam. Cf. *Mélanges Aug. Pelzer*, Louvain 1947, p. 618, n. 137. [10] Cf. C. Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 37.

[11] Eadem Legenda occurrit etiam in codice *IX. 17*, fol. 60-64, Bibliothecae Marcianae Venetiis, et in cod. *XVI. G. 23*, fol. 16v-18, Bibl. Cathedralis S. Petri Eboraci *(York)*. Neuter codex ad nos tempore opportuno pervenire potuit. [12] Cf. supra, p. LXII.

prolatis, dubium videtur. Quandoque tamen ipsum inspexisse capitula articulorum, super quibus interrogandi erant testes, videtur posse desumi ex duobus eius textibus, qui mire cum dictis articulis conveniunt.

Pag. 409s., l. 41s.: Examinabat eos *de* decem *preceptis*, de *articulis fidei* et de *capitalibus viciis* (Cf. p. 17, cap. 59, l. 1 s.).

Pag. 410, l. 20-25, ubi de Fratre piam narrante historiam, quam « donec *febrilis* ferveret *accessio*, non parvo temporis spacio instillavit ». In cap. 5, p. 19, l. 1-7 dicitur: « Quam cum ille satis utique longam... virum Dei *accessio febrilis* arripuit ». Febrilem supervenisse accessionem et historiam fuisse longam non memorant nec Petrus Scarrerii [1], nec Franciscus Bruni [2], nec Ioannes de Osa [3], qui tamen in Processu de hac piae historiae narratione testantur, de qua, ut diximus iam [4], Orta et Puteolanus tacent.

Certum est autem Calotium ex Orta multa sumpsisse, etiam verbotenus, mutata tamen quandoque forma verborum. Pauca, speciminis gratia, afferre sufficiet, quae obliquis litteris signabimus.

Pag. 405, l. 2-5: *In manibus* Summi Pontificis *resignavit, allegans raciones quas potuit.* Cumque... argueretur... quod *fatue fecisset, respondit quod* libenter volebat a Summo Pontifice *fatuus reputari ut* eum a pontificali honore *liberaret* (Orta, n. 42, l. 7-11).

Pag. 405, l. 18-20: *Vita* ista nullo modo est *appetenda,* ubi *sumus inimici Dei et frequenter* peccamus, *saltem venialiter* (O. n. 20, l. 15-17).

Pag. 405, l. 34s.: Familiarem locucionem *nunquam* admittebat vel raro, *nisi persone mature, honeste, humilis et devote... Et cum simplicibus sermocinacio eius* (O. n. 31, l. 10-12).

Pag. 406, l. 4: *Antequam* fratrum Minorum *indueret habitum, iacebat indutus continue* (O. n. 24, l. 6).

Pag. 406, l. 26s.: *psalmos cum litania* et psalmis *Voce mea, et Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus, in quibus devocionem* multam *conceperat* (O. n. 9, l. 1-4).

Pag. 407, l. 6s.: *nulli animum voluptati dedit, etatem moribus transcendens* (O. n. 2, l. 19s.).

Pag. 407, l. 13-16: Multis annis *de ligno* vere *crucis* et *aliis reliquiis super se* devote portabat; *crucem* eciam... Terre Sancte... *usque* ad suscepcionem habitus *publice* Minorum *portavit in vestibus* (O. n. 12, l. 12-14).

Pag. 407, l. 38s.: *Dixit* aliquando *quod pro liberacione sua* nunquam ad Dominum oracionem dixerat, *nisi semel* et sub *condicione, si sue anime expediret* (O. n. 4, l. 18s.).

Pag. 408, l. 34s.: *cappam... pauperculo episcopo dari* iussit. *Habitum quemdam fecit dissui, quia sibi* videbatur *curiose consutus* (O. n. 23, l. 12-15).

Pag. 409, l. 12-16: *cum habitu indigeret,* non habuit nisi *vilem* et a socio mutuatum, et tunc letus aiebat quia illius *Fratris* esset *scutifer*, cuius raubas indigens *deferebat... Cum semel radi vellet...* in bacili, in quo *equorum mensurabantur* prebende, *elegit radi* (O. n. 23, l. 10-12; 17-19).

Pag. 409, l. 34-36: Manu *propria duos pueros iudeos baptiçavit Neapoli... Ibat letanter ad videndum* pauperes *cum daretur* eis *elemosina et, si quid deficeret, illico* supleri volebat (O. n. 33, l. 10s.; n. 35, l. 4-6).

Pag. 410, l. 3-5: Accidit... ut *clericum quemdam* repelleret, *qui* impetraverat *in forma pauperum in episcopatu suo, licet examinatum se* diceret *in* Romana *curia, quia sibi insufficiens pro* adipiscendo *beneficio videretur* (O. n. 29, l. 12-14).

---

[1] Proc., p. 105, l. 39-41.
[2] Proc., p. 115, l. 32s.
[3] Proc., p. 77, l. 21-23.
[4] Cf. supra, p. LXII.

Quaedam etiam particularia seu minuta *(détails)* habet Calotius, quae alibi non invenimus, quaeque a quodam s. Ludovici socio scire potuit. Exemplo sint sequentia.

Pag. 405, l. 6s.: Et dicebat interdum quod mallet in Provincia esse presul, quia posset ibi melius errata corrigere, malos punire, populos informare.

Pag. 405, l. 11: Ante mortem suam per menses duos... per montes Pyreneos ad sua repeditans.

P. 406, l. 8-11: Semel, dum equitaret per Franciam, beati Marci vigiliam... voluit ieiunare. In vigilia quoque beati Iohannis, multo labore afflictus propter laboriosum transitum montis Pyrenei nec medici iussu, nec fratrum inductionibus ad capiendum vespertinum cibum potuit suaderi.

Pag. 406, l. 17s.: Crebras oraciones habebat et quasi iaculatas, sicut fratres in Egypto.

Pag. 408, l. 39-41: Cum primo incurrit Tolosam, rogatus a magnis viris ut deambulatorem vel palafredum aut magnum mulum ascenderet, obstinate renuit.

Pag. 410, l. 3: Accidit per tres septimanas ante mortem ipsius ut clericum quemdam repelleret.

Pag. 410, l. 24: Dixerat enim die tertia ante mortem quod expediebat anime sue ex hac vita migrare.

10. - Legenda liturgica « Almus Christi confessor ».

Cum Ioannes XXII in bulla canonizationis (7.IV.1317) mandasset, ut s. Ludovici festum solemniter XIV Kal. septembris ageretur [1], non est dubium quin etiam in Ordine Minorum eius festivitas statim celebrata fuerit, eo vel magis quod Ludovicus post s. Franciscum et s. Antonium erat tertius frater Minor qui sanctorum catalogo adscribebatur.

Ubi primum occasio data est, nempe in Capitulo g.li an. 1319 Marsiliae celebrato, « fuit institutum, ut fiat de cetero festum de sancta Martha et de Christi corpore cum octavis, et de sancto Ludovico per totum Ordinem » [2]. Sed annuam solemnitatem insufficientem reputantes, Capitulares huic primo decreto adiunxerunt aliud [3]: « Item, quod fiat commemoratio [4] de sancto Ludovico in matutino et vesperis sicut de beato Francisco et beato Antonio; et *Alleluia*, quod fecit ad honorem dicti sancti venerabilis d.nus d.nus Iacobus Gaetanus [5], per totum Ordinem decantetur ».

Sequens Capitulum g.le Perusinum anni 1322 nil novi ordinavit, sed forsan ut fervorem illorum refrenaret, qui, ut festum iam ad altiorem attolleretur ritum instabant, decrevit [6]: « Item, festum sancti Ludovici quinta die post Assumptionem beate Virginis celebretur; et fiat festum duplex, non tamen cum octava, donec aliud a Romana curia habeatur ». Postea vero ritus forte auctus est, cum codex Parisiensis, a nobis infra citandus, trinam lectionum seriem contineat.

[1] Cf. infra, p. 399, l. 29-32.

[2] Cf. AF III, p. 473. Wadding., *Annales*, ad an. 1319, n. 1. AFH XXIII (1930), p. 121.

[3] Edidit L. Oliger, in *Miscellanea Francescana* XLV (1945), p. 130.

[4] Intelligitur quotidiana commemoratio.

[5] Iuxta L. Oliger, loc. cit., p. 128, agitur procul dubio de Cardinali Iac. Caietano de Stephanescis, de quo cf. supra, p. XIX, nota 3.

[6] Cf. AFH XXIII (1930), p. 125, n. 10.

Tandem, in Capitulo g.li Marsiliensi an. 1343 fuit ordinatum quod de cetero diceretur « in festo sancti Ludovici episcopi officium compositum per d.num Robertum, eius germanum »[1].

Ex his ordinationibus, in quibus non datur initium officii, revera paucissima carpere licet de ipso officio, quale fuerit. Iam dudum enim a G. M. Dreves editae sunt tres historiae rhythmicae de s. Ludovico et plures hymni liturgici in honorem eiusdem sancti. Primum officium incipit: *Flos germen florum*[2], secundum *Ludovicus filius regis*[3], tertium vero *Tecum fuit principium*[4]. Hoc ultimum a C. Vielle[5], qui codices tolosanos compulsavit, habetur ut officium compositum a rege Roberto, cui etiam adscribitur a L. Oliger[6]. Paucis mutatis illud occurrit in codice nostro **P** (infra, n. 3), dum secundum, *Ludovicus filius regis*, habetur in codice **V**, (infra, n. 4). Alii codices non habent partes rhythmicas, sed solam Legendam.

Nostra hic interest sola Legenda liturgica, cuius textus a nobis editus fundatur in quinque sequentibus codicibus.

1. - Londini, Brit. Musaeum cod. *Additional 23. 775*, fol. 1r-10v, de quo cf. supra, p. LVIII. Praebet textum continuum, minime in lectiones divisum. Desinit: *carnis mortificatione vividum* (infra, p. 420, l. 12).

2. - Mediolani, Bibl. Ambrosiana cod. *N. 39 Super.*, fol. 1r-5v, de quo cf. supra, p. LVIII. Legenda discinditur in novem lectiones. Desinit: *cum adhuc viveret, ordinaverat* (infra, p. 420, l. 9).

3. - Parisiis, Bibl. Nat. cod. lat. *1064* (olim *Graignières 16)*[7], membran., saec. XV, mm. 230 X 168, folior. 483, bipartitis paginis, littera gothica. Est Breviarium Franciscanum, cuius Proprium Sanctorum habetur fol. 263-453, bipartitis paginis, initialibus pulcherrime ornatis. Fol. 391d-97a, praemissa rubrica *In sancti Ludovici ep. et conf. Ordinis fratrum Minorum*, sequitur totum officium rhythmicum *Tecum principium*. Legenda habet 27 lectiones, trina serie 9 lectionum distinctas, cum 8 Responsoriis. Desinit: *qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.* (infra, p. 421, l. 3).

4. - Romae, Bibl. Apost. cod. Vat. lat. *4752*, tom. II, membran., saec. XIV, mm. 195 X 135, folior. 304-588, bipartitis paginis, littera gothica, initialibus rubro et caeruleo pulcre ornatis. Fol. 533d-36b continet aliud officium rhythmicum *Ludovicus filius regis*. Legenda dividitur in 9 lectiones cum 8 Responsoriis. Desinit: *Minorum religione paupercula Domino deservire* (infra, p. 416, l. 3).

---

[1] Cf. AF III, p. 139.

[2] Antiphonas et responsoria edidit G. M. Dreves, *Historiae rhythmicae medii aevi* VI, n. 92, in *Analecta hymnica* XXVI, hymnos autem in *Analecta* cit. XI, nn. 334-36.

[3] Idem, *Historiae* cit., n. 93 et *Hymni inediti medii aevi* I, n. 344, 346, 347, in *Analecta* cit. IV, Leipzig 1888.

[4] Idem, *Historiae* cit., n. 94, et *Hymni* cit., nn. 344, 345, 347, 349, 351.

[5] Op. cit., p. 431.

[6] Cf. AFH V (1912), p. 593, et *Miscellanea Francescana* XLV (1945), p. 128, nota 6. De regis Roberti scientia, ingenio scriptisque ac de viris illustribus, qui in eius erant comitiva, cf. C. Caggese, op. cit., II, p. 363-92; G. B. Siragusa, *L'ingegno, il sapere e gl' intendimenti di Roberto d' Angiò*, Torino-Palermo 1891. Hi duo scriptores tamen de officio a Roberto composito nihil dicunt, et de eodem tacet etiam W. Goetz, *König Robert von Neapel (1309-1343). Seine Persönlichkeit und sein Verhältnis zum Humanismus*, Tübingen 1908, de quo cf. AFH V (1912), p. 593.

[7] De hoc codice cf. V. Leroquais, *Les Bréviaires manuscrits des bibliothèques publiques de France* III, Paris 1934, p. 72-74.

5. - Romae, Bibl. Apost. cod. Vat. lat. *7592*, membran., saec. XIV, mm. 307X208, folior. 407, bipartitis paginis. Contenta in hoc amplo Legendario accuratissime describit A. Poncelet, S. I., *Catalogus codicum hagiographicorum latinorum Bibl. Vaticanae*, Bruxellis 1910, p. 208-13. Nobis inservit tantum, fol. 344a-45b, Legenda incompleta *Almus Christi confessor*, littera gothica conscripta, incipiens cum rubrica: *De sancto Lodovico episcopo et confessore de Ordine fratrum Minorum.* Textus Legendae non dividitur per lectiones. Desinit: *residuum pro Christi pauperibus reservaret* (infra, p. 417, l. 22).

Textum huius Legendae edidit E. Alenconiensis[1] iuxta codicem Parisiensem *1064* (supra, n. 3), adiectis variantibus ex codicibus Londinensi et Vaticano supra signatis sub nn. 1 et 5.

In ipsa etiam Legenda plura occurrunt, quae verbotenus cum textu Ioannis de Orta conveniunt, quorum aliqua, minoribus omissis, afferemus obliquis litteris ea signantes.

A. Lectio 1, l. 5: *sacra illustris pueri infancia divinam elegit pocius servitutem. Ab ipso* namque *puericie sue tempore cor gerens senile* (Orta, n. 2, l. 18-21).

Lectio 2, l. 11: ductus *est in Cathaloniam* et *pro patris sui liberacione pacisque* paccione (O. n. 4, l. 5s.) .

Lectio 3, l. 3ss.: *quod infra septennium quo obses* fuit, *sub* magisterio et informacione *Fratrum Minorum, quos* semper *secum* informatores *in moribus* (O. n. 14, l. 10s.).

Lectio 6, l. 29: *vultu sereno*... exteriorisque *vultus composicio* interioris letitie *testis* erat (O. 8, l. 14).

Lectio 8, l. 10: *hoc facere recusantibus, non habens* vir Dei *quid amplius* faceret, *votum quod... et in manu generalis Ministri professionem... fecit* (O. n. 21, l. 6s. et n. 22, l. 4).

B. Lectio 2, l. 12s.: *succinctus de* loco *S. Marie de Araceli usque ad S. Petrum... pedes ivit* (O. n. 22, l. 12-17).

Lectio 3, l. 21: *moderatis expensis* pro se *et familia* sibi *necessaria* factis, *residuum* pro Christi *pauperibus* reservaret (O. n. 34, l. 8s.).

Lectio 6, l. 11ss.: *quamdam vetulam* pauperculam *in paleis miserabiliter decubantem... domunculam* introivit *grabatoque illius... ita pediculis fuit plenus, quod* eciam *mutatis* vestibus *vix ab eis potuit emundari* (O. n. 43, l. 6s. et 9-14).

C. Lectio 1, l. 10s.: *In dominicis* quoque *et festivis diebus Missam solemniter* celebrans (O. n. 12, l. 1).

Lectio 5, l. 5: *crucis tropheum tenens in manibus* (O. n. 49, l. 13s.).

Lectio 6 fere integra convenit cum S. Bonaventurae *Legenda maiore*, cap. XV, n. 1 (AF X, p. 623).

11. - De alia Legenda « Almus Christi confessor ».

Fundamentum quidem huius Legendae est textus liturgicus, de quo supra, p. LXV, sed hunc codices mox citandi modo nimis arbitrario variant vel minuunt eique plura addunt, quae potius habenda sunt ut elucubrationes de genere mere litterario. Nihil autem novi afferunt quod ad historiam s. Ludovici pertinet nisi plura illa mirabilia, quae textui interseruntur, inter quae nec illud deest, iam diu de aliis sanctis vulgatum, nempe de eleemosynis in rosas conversis (infra, p. 424, n. 20). Quoddam

[1] In *Anal. Ord. Min. Capuc.* XIV (1898), p. 120-26.

etiam mirabile, quod narratur de s. Francisco, fere verbotenus mutuavit a s. Bonaventurae *Legenda maiore*, XV, n. 2 et 5. Cf. infra, p. 425, l. 18-21. Sufficiet breve afferre specimen ex codice Lignitiensi, ut appareat quomodo auctor in sua compilatione processerit, excerpendo nempe quae in Legenda liturgica habentur iisque mirabilia interserendo, quae omnia eduntur infra, p. 424 s. Litteris obliquis signabimus verba Legendae liturgicae, asteriscis vero mirabilia notabimus.

Almus Christi confessor et episcopus Ludwicus ex illustrissima prosapia ortus, *patrem habuit Karolum regem* Sycilie, *matrem vero* nomine *Mariam, filiam regis* Ungarie (infra, p. 414, n. 1). Pater enim fuit frater magni Philippi regis Francie de progenie Elysabeth. * Cum enim parentes sui... salvator meus * (infra, p. 424, n. 1). Quod plures audientes mirabantur, et matri et patri congratula[ba]ntur. *Qui licet more regio... sacra illustris pueri* [infancia] (infra, p. 414, n. 1) in pietatis operibus exercuit, ut inopiam pauperum relevaret et viscera pupillorum refecit. * Unde accidit semel... et ad pietatem motus * (infra, p. 424, n. 2).

Iure meritoque igitur haberi potest ut specimen antiquae illius hagiographiae, quae in sanctorum vita prae primis considerat et exaltat mirabilia. In editione nostra duobus sequentibus utimur codicibus.

Vratislaviae, Bibl. Universitatis, cod. *I. F. 271*, littera cursiva, saec. XIV, paginis bipartitis. Fol. 224r-27r incipit Legenda absque titulo, littera *A* pulcre depicta: *Almus Christi confessor*; desinit: *in bona consuetudine permansit. Et cetera* (infra, p. 426). In fine habet tria mirabilia quae desunt in codice Lignitiensi (infra, p. 425 s.).

Lignitii *(Liegnitz)*, Bibl. ecclesiae SS. Petri et Pauli cod. *11*[1], iam a P. Benvenuto Bughetti diffuse descriptus, in AFH XXVII (1934), p. 132-36. Est codex chartaceus, foll. X + 277, mm. 300×256, foliatio numeris romanis, miscellaneus rerum franciscalium, circa 1481-89 a fr. Bernardo, O. Carth., conscriptus. Legenda, divisa in 17 capitula, habetur fol. 170r-76r, exordiens cum titulo: *Incipit vita sancti Lodwici episcopi de Ordine fratrum Minorum*; desinit: *quamplura eciam miracula facta fuerunt* (infra, p. 425). *Ad laudem Domini nostri Ihesu cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

12. – S. Ludovici Vita versificata.

Brevissimam hanc Vitam, quae est ingenuus lusus verborum, edimus iuxta duos sequentes codices.

Washingtoniae, Holy Name College cod. *52*[2], fol. 25r-26v, de quo cf. supra, p. LX. Praemittit titulum *Incipit vita beati Ludovici episcopi in versibus*; desinit *finemque beatum. Amen. Explicit vita beati Ludovici episcopi in versibus.*

Neapoli, Bibl. Brancacciana, codex *III. F. 9* (olim *2. H. 13)*, fol. 100r-101r. Chartaceus, foliorum sign. 1-266 et 1-247 variae formae (max. 279×210 mm.), exaratus variis manibus saec. XVI/XVII. Est Legendarium anonymum[3]. Incipit cum titulo *Vita B. Ludovici ep. Tholosani in carminibus descripta per illius temporis scriptorem ex codice M. S. originali in pergameno* ». Desinit *finemque beatum. Finis. Anima scriptoris salvetur ab omnibus horis. Finito libro isto sit laus gloria Christo.*

---

[1] Cf. G. Gemoll, *Die Handschriften der Petro-Paulinischen Kirchenbibliothek zu Liegnitz*, Liegnitz 1910, p. 12-14.

[2] Cf. Seymour de Ricci, *Census of Medieval and Renaissance Manuscripts* I, New York 1935, p. 475.

[3] De quo cf. *Anal. Bolland.* XXX (1911), p. 230.

13. - Documenta.

Post textus editos, hucusque descriptos, addimus (p. 445–56) quaedam selecta documenta, quae iis utile praebere possunt supplementum. Haec pro maiori commoditate studiosorum in unum collegimus ex notissimis operibus cl. T. Rymer, *Foedera*, H. Finke, *Acta Aragonensia*, et ex *Revista de Estudios Franciscanos*, in qua ex *Regest. Aragonensibus* A. de Saldes, O. M. Cap., plura authentica documenta affert, quae apud cl. Finke non occurrunt, quaeque s. Ludovicum directe vel indirecte concernunt. Alia etiam in annotationibus nostris ad textus infra editos invenire est.

Prolegomenis nostris iam, Deo dante, finem feliciter imponentes, gratam habemus spem volumen hoc, tamdiu promissum atque a multis efflagitatum, studiosorum virorum expectationi, etsi forsan non plene, utcumque tamen satisfacturum, iisque pro ulterioribus investigationibus solidum praebiturum auxilium. Ex parte enim nostra omnem curam adhibuimus nihilque omisimus, quominus opus nostrum huic intento apte responderet. Ceterum quae imperfecta sunt, nobis benignus studiosus tribuere non vereatur.

LAUS DEO.

TEXTUS.

1a * **Ista est inquisicio facta per venerabiles patres dominos Guidonem Xanctonensem et Raymundum Lectorensem episcopos super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici Tholosani episcopi ac illustris regis Sicilie predicti [1] nati.**

In nomine Domini, amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo ccc^{mo} septimo, indictione vj^{ta}, pontificatus sanctissimi patris et domini domini Clementis pape v^{ti} anno tercio, xxiij^{a} die mensis februarii [2], ac illustrissimo ac serenissimo domino Karolo [3] Sicilie rege regnante.

Noverint universi et singuli presentes pariter et futuri, quod reverendus pater in Christo dominus Durantus Dei gratia episcopus Massiliensis, pro se et nomine suo et quantum in se est, nec non et pro aliis prelatis tocius Provincie et eorum nomine, ut dixit, et discreti viri magister Raymundus Egidii et Raymundus Viridis, Massilienses canonici, necnon et nobiles viri dominus Gauffridus Ricani, miles, Petrus Bermundi de Sancto Felicio, domicellus, et Hugo de Fonte, cives Massilienses, procuratores, prosequutores, instructores et promotores per predictum dominum episcopum et eciam per generale Consilium civitatis Massilie sub certa forma contenta in sequentibus constituti ad procurandum, prosequendum, instruendum et promovendum negocium inquisicionis commisse reverendis patribus dominis Guidoni Xanctonensi et Raymundo Lectorensi episcopis super vita, moribus et meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, prefati domini Karoli Sicilie regis nati; existentes presencialiter canonici et cives predicti in choro ecclesie cathedrali beate Marie Massilie coram eisdem patribus Xanctonensi et Lectorensi episcopis, presentaverunt et tradiderunt ipsis dominis episcopis quasdam litteras apostolicas bullatas
1b cum vera bulla plumbea filo * canapis pendenti, non viciatas, non cancellatas nec in aliqua sui parte corruptas, ut prima facie apparebat. Que quidem littere lecte fuerunt per dictum Hugonem de Fonte clero et populo, exposite in vulgari, congregata religiosorum et secularium multitudine copiosa; quarum tenor de verbo ad verbum sequitur in hec verba [4]:

« Clemens episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Guidoni Xanctonensi et Raymundo Lectorensi [5] episcopis salutem et apostolicam benedicionem. Inef-

---

[1] Sic. [2] Idest, 23 februarii 1308. [3] Cod. *Roroldo.* [4] Textum sequentis Bullae contulimus cum textu edito ap. *Bullarium Franciscanum* (BF) V, p. 39-41, ex Reg. Vat. desumpto. Verba inter uncos [ ] inclusa ex ipso BF supplevimus. [5] Saintes, Lectoure.

fabilis providencia Dei, congruencia singulis quibusque temporibus ordinate dispensans, in splendoribus sanctorum Ecclesiam suam quasi ex utero genuit, dum [eos] in exordio ipsius nascentis Ecclesie crebra miraculorum coruscacione mirificans et in ipsorum miraculorum fulgore obstupefaciens gentes ac predestinatos in fide generans Ihesu Christi, et in cuius hec fieri nomine videbantur, ipsos filiorum adopcionis numero aggregavit. Deinde, crescente fidelium numero et multitudine [1] populi vocati de tenebris ambulante [2], iuxta Ysaye vaticinium [3], in lumine Domini Dei sui, mirabilis dispensator in pluviam [4] fulgura sua fecit, dum, signis sive miraculis que non erant iam fidelibus necessaria intermissis, super novos populos pastores qui eos pascerent sciencia et doctrina, sicut per os Ieremie promiserat [5], suscitavit, doctores Ecclesie scilicet, qui terram cordis fidelium inbre doctrine compluerent et, exstirpatis sentibus viciorum, eam ad proferendum virtutum germen et fructum boni operis fecundarent. Verum, quia caritate frigescente ab exercicio boni operis torpet catholicus, errore devio adducente delirat hereticus, cecutit velamine adhuc super cor permanente iudeus, et in tenebris ambulat fide lucis [6] nondum sibi oriente paganus; misericors Dominus, qui neminem vult perire [7], signa interdum innovat et * mirabilia miseratus immutat, ex *f. numero [8] illorum, quos in Ecclesia triumphante glorificat [9], aliquorum fidem et merita declarando in Ecclesia militante miraculis, ut per ea catholici mentis torpore [10] discusso ad boni operis excitentur instanciam, heretici errore dimisso ab invio [11] reducantur ad viam, iudei atque pagani cognito vero lumine de tenebris et umbra mortis currant ad Christum, lucem, viam, veritatem et vitam [12]. Profecto non sine laudis iubilo digne leti referimus quod, sicut dudum veridice fame divulgantis [13] reseravit eloquium, ac nuper ad nos venerabilium Fratrum nostrorum P(etri) Arelatensis, G(uillelmi) Ebredunensis et R(ostagni) Aquensis archiepiscoporum et suffraganeorum suorum, et [14] dilectorum filiorum universitatis hominum civitatis Massilie [15] fide digna relacione [16] pervenit, [quod] recolende memorie Ludovicus episcopus Tholosanus, carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regis natus, ab ipso sue iuventutis exordio tanquam predestinatus ad gloriam hereditatis eterne, innocencie semitas [17] divina inspiracione perrexit, et in eo etate succrescente gradatim ipse gloriosis virtutibus et fama [18] concrevit, ac deinde spretis pompis et vanitate mundanis Christi pauperis vestigia prosequens et in Ordine Fratrum Minorum professorum paupertatis devotam professionem emittens, laudabiliter gessit iugum observancie regularis, vocatusque postmodum ad regimen ecclesie Tholosane, sic sibi per vite meritum, sicque aliis proficere studuit per exemplum, sic quoque, mundanis omnino relegatis affectibus, se Deo gratam et acceptabilem hostiam immolavit, quod per grandia eius precelsaque merita ipso demum de hac luce subtracto et reddito eius spiritu Patri luminum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [19], eciam antequam eius corpus iuxta sui disposicionem arbitrii apud locum dictorum Fratrum in predicta civitate Massiliensi traderetur ecclesiastice sepulture et successive postmodum, ipse Pater altissimus, qui eum in sue consortem hereditatis firmiter creditur elegisse, multa et evidencia est miracula operatus. Et quanvis pro parte archiepiscoporum suffraganeorum et universitatis

[1] Cod. *multitudinem*. [2] BF *ambulare*. [3] Isai. 9, 2. [4] Cod. *pluvium*. [5] Ier. 23, 4. [6] Sic cod. et BF. [7] II Petr. 3, 9. [8] Cod. *numere* vel *munere*. [9] Cod. *glorificatur*. [10] Cod. *corpore*. [11] Cod. *invia*. [12] Ioann. 14, 6. [13] BF *divulgatis*. [14] BF *ac*. [15] BF *hominum Massiliensium*. [16] Cod. *recreacione*. [17] BF *semitis*. [18] Cod. *fame*. [19] Ioann. 1, 9.

eorundem felicis recordacionis Bonifacio pape VIII predecessori nostro hiis semel et *f. 1d* iterum reverenter expositis et cum instancia multa petito, ut super premissis * inquiri faceret diligenter et veritate sibi patefacta lucidius ad eiusdem Ludovici canonizacionem procederet iuxta ritum; quia tamen antequam predecessor ipse potuisset de predictis per exacte disquisicionis [1] indaginem informari, fuit de hac luce subtractus, peticioni et instancie predictorum taliter repetitis nequivit votiva satisfaccio provenire. Quare archiepiscopi, suffraganei et universitas supradicti nobis per eorum patentes litteras supplicaverunt [2], quatenus eundem Ludovicum sanctorum patrum cathalogo ascribere curaremus, ut auctoritate, sicut convenit, apostolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui, prout claris signis et evidentibus argumentis apparet, honoratur in celis. Licet igitur quos [3] divina clemencia dignis effert [4] honoribus humana devocio promptis affectibus honorare debeat et devotis [5] laudibus revereri, Nos tamen in huiusmodi negotio apostolice Sedis consuetam et debitam maturitatem observare volentes, fraternitati vestre de fratrum nostrorum [6] consilio per apostolica scripta mandamus, quod [7] de vita et moribus prefati Ludovici dum [8] presentis perageret vite cursum ac de huiusmodi meritis et miraculis, veritate diligencius inquisita, quicquid super hiis vos invenire contigerit, Nobis scriptum fideliter sub vestris sigillis per fideles et ydoneos nuncios remittere studeatis. Datum Pictavis kalendis [9] augusti, pontificatus nostri anno secundo ».

Predicti etiam procuratores seu promotores dicte inquisicionis, ad faciendum fidem de sua creacione vel constitucione seu ordinacione facta a prefato domino episcopo Massiliensi et universitate hominum dicti loci, presentaverunt et tradiderunt, die et loco quibus supra, prefatis dominis commissariis seu inquisitoribus Xanctonensi et Lectorensi episcopis et legi fecerunt per dictum Hugonem de Fonte quasdam patentes litteras predicti domini episcopi Massiliensis sigillo sigillatas, ut prima facie apparebat, et quasdam alias litteras generalis Consilii universitatis hominum civitatis Massilie, Consilii [10] Mass(iliensis) sigillo sigillatas, ut prima facie eciam apparebat. Quarum litterarum tenores immediate sequuntur:

Tenor littere procuraci[oni]s domini episcopi Massiliensis.

2a * « Universis presentes litteras inspecturis Durantus miseracione divina episcopus Massiliensis salutem in Domino sempiternam. Exultantes ab olim et Regi regum ac dominancium Domino laudis ex[s]olventes iubilum et offerentes vitulum labiorum, qui sua ineffabili pietate nos et civitatem nostram tantis prevenire dignatus est benedictionibus, ut thesauro felicissimi corporis clare memorie domini Ludovici Tholosani episcopi, illustris domini nostri Ierusalem et Sicilie regis nati, celebriter ditaremur, per cuius utique merita gloriosa virtutum nobis operacio claruit et gracia meritorum illuxit; sanctissimo in Christo patri et clementissimo domino nostro domino Clementi divina providencia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici humiliter, una cum prelatis aliis Arelatensis, Ebredunensis et Aquensis provinciarum,

---

[1] BF *discussionis*. [2] BF *supplicarunt*. [3] BF *quod*. [4] Cod. *offert*. [5] BF *devotionis*. [6] Cod. *minorum*. [7] BF *qualenus*. [8] BF *cum*. [9] BF *III nonas* ex Raynaldi *Annalibus* ad a. 1307, n. 22. [10] Cod. *coriē;* quod corruptio manifesta dignoscitur alterius verbi: vel *communis*, vel *consueto*, vel *consilii*. Cf. infra eiusdem Consilii litteras ad finem, p. 5. l. 8.

supplicare decrevimus, ut eum cathalogo Sanctorum dignanter ascriberet, si circa vitam eius mirabilem, mores, merita et miracula eciam, quibus mirande coruscat, fame[1] veritas concordaret. Obtento igitur ab ipso domino nostro summo Pontifice, tam prelatorum ipsorum quam ipsius nostre supplicacionis instancia precunte, committi inquisicionis indaginem reverendis in Christo patribus dominis Xanctonensi et Lectorensi episcopis super vita, moribus, meritis et miraculis antedictis; ut ex parte nostra non desit circa iam cepta diligentis procuratoris, prosequutoris et instructoris industria ac operosa sollercia promotoris, nobilem virum dominum Gauffridum Riccani de Massilia militem, venerabiles viros magistros Raymundum Egidii et Raymundum Viridis, Massilienses canonicos, Petrum Bermundi et Hugonem de Fonte, cives Massilienses, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, de quorum equidem et eorum cuiuslibet circumspectione ac ad votivum inquisicionis finem sincero zelo confidimus, tam prelatorum ipsorum quantum possumus quam nostro nomine, procuratores, prosecutores, instructores et promotores eorum omnium que per ipsos et nos circa inquisicionis iam dicte negocium fuerint facienda, tenore presencium ordi-*namus, data sibi et eorum cuilibet in solidum, nominibus quibus supra, potestate *f. plenaria prosequendi[2], instruendi, procurandi et promovendi dictum negocium et quecumque circa illud opportuna vel utilia fuerint faciendi, procurandi et promovendi coram venerabilibus patribus dominis commissariis antedictis. In cuius rei testimonium presentes litteras fecimus fieri nostroque sigillo iussimus communiri. Datum Massilie, die vicesimo tercio mensis februarii, anno incarnacionis Domini millesimo ccc.^{mo} septimo, pontificatus prefati domini Pape anno tercio[3] ».

Tenor littere procuracionis generalis Consilii civitatis Massiliensis.

« Universis presentes litteras inspecturis GENERALE CONSILIUM civitatis Massiliensis salutem in Domino sempiternam. Exultantes ab olim et Regi regum ac dominancium Domino laudis ex[s]olventes iubilum et offerentes vitulum labiorum, qui sua pietate nos et civitatem nostram tantis prevenire dignatus est benedictionibus, ut thesauro sacratissimi corporis sancte memorie domini Ludovici Tholosani episcopi, illustris domini nostri Ierusalem et Sicilie regis nati, celebriter ditaremur, per cuius utique merita gloriosa virtutum nobis operacio claruit et gratia sanitatum illuxit; sanctissimo in Christo patri et clementissimo domino nostro Clementi divina providencia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici humiliter supplicare decrevimus, ut illum cathalogo Sanctorum dignanter ascriberet, si circa vitam eius mirabilem, mores, merita et miracula eciam, quibus mirande coruscat, fame veritas concordaret. Obtento igitur ab ipso domino nostro summo Pontifice, tam plurium prelatorum quam ipsius nostre supplicacionis instancia precunte, committi inquisicionis indaginem reverendis in Christo patribus dominis Xanctonensi et Lectorensi episcopis super vita, moribus, meritis et miraculis antedictis; ut ex parte nostra non desit circa iam cepta diligentis procuratoris, prosequutoris et instructoris industria ac operosa sollercia promotoris, nobilem dominum Gauffredum Riccani de Massilia, militem, et Petrum Bermundi de Sancto Felicio, domicellum eiusdem loci, et utrumque eorum in solidum,

[1] Cod. *mirando ... fama*. Cf. eiusmodi tenores sequentium litterarum. [2] Cod. *prosequenda*.
[3] Cod. *secundo;* = 23 februarii 1308.

ita quod non sit melior condicio occupantis, de quorum equidem et utriusque circum-
2c spectione [1] ac ad votivum inquisicionis finem sincero zelo confidimus, procura-*tores, prosecutores, instructores et promotores eorum omnium que per nos circa inquisicionis iam dicte negocium fuerint facienda, tenore presencium ordinamus, data sibi et eorum cuilibet in solidum potestate plenaria procurandi, prosequendi, instruendi ac promovendi dictum negocium et quecumque circa illud opportuna [2] vel utilia fuerint facienda [3] coram commissariis antefatis. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri fecimus et sigillo per Consilium apponi consueto [4]. Datum Massilie anno Domini millesimo ccc^mo^ septimo, die vicesimo secundo februarii, sexto indictionis, regnorum dicti domini nostri Regis anno vicesimo quarto [5] ».

Secuntur littere prelatorum Provincie super ratificacions eorum que nomine suo facta fuerunt per dictum dominum episcopum Massiliensem in negocio supradicto.

Tenor litterarum domini archiepiscopi E[m]bredunensis et suffraganeorum suorum.

« Universis presentes litteras inspecturis miseratione divina G(uillelmus) Ebredunensis archiepiscopus, R(aynaldus) Dignensis, G(uillelmus) Glandetensis, B(eltrandus) Cenecensis, G(auffridus) Grassensis, R(aymundus) Niciensis, P(etrus) Venciensis [6] episcopi, Ebredunensis ecclesie suffraganei, salutem in Domino sempiternam. Exultantes ab olim et Regi regum ac dominancium Domino laudis ex[s]olventes iubilum et offerentes vitulum labiorum, quoniam sua ineffabili pietate sic mirificare dignatus est sancte memorie dominum Ludovicum Tholosanum episcopum, illustris domini nostri Ierusalem et Sicilie regis natum [7], ut virtutum operacio per illius merita gloriosa claruit et illuxit [8] gracia sanitatum; sanctissimo in Christo patri et clementissimo domino nostro domino Clementi divina providencia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici humiliter, una cum prelatis aliis Arelatensis et Aquensis provinciarum, supplicare decrevimus, ut [eum] cathalogo Sanctorum dignanter ascriberet, si circa vitam eius mirabilem, mores, merita [9] et miracula eciam, quibus mirande coruscat, fame veritas concordaret. Obtento igitur ab ipso domino nostro summo Pontifice, tam prelatorum ipsorum quam ipsius nostre supplicacionis instancia preeunte, committi inquisicionis indaginem reverendis in Christo patribus dominis Xanctonensi et Lectorensi episcopis super vita, moribus, meritis et miraculis antedictis; ut ex parte nostra * non desit circa iam cepta diligentis procuratoris, prosequutoris et instructoris industria et operosa solercia promotoris, nobilem virum dominum Gauffredum Riccani de Massilia, militem, venerabiles viros magistros Raymundum Egidii et Raymundum Viridis, Massilienses canonicos, Petrum Bermundi et Hugonem de Fonte, cives Massilienses [10], et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, de quorum equidem ac eorum cuiuslibet circumspectione ac ad votivum inquisicionis finem sincero zelo confidimus, procuratores, prosequutores, instructores et promotores eorum omnium que per nos circa inquisicionis iam dicte negocium fuerint facienda, tenore presencium ordinamus, data sibi et eorum cuilibet in solidum potestate plenaria

[1] Cod. *circumspectionem.* [2] Cod. *opportuno.* [3] Sic. [4] Sic. [5] Idest, 22 febr. 1308. [6] Embrun, Digne, Glandève (Glandaten.), Sénez (Senecen.), Grasse, Nice, Vence. [7] Cod. *notum.* [8] Sic. [9] Cod. *merito.* [10] Cod. *Massiliensis.*

prosequendi, instruendi, procurandi et promovendi dictum negocium et quecumque circa illud oportuna vel utilia fuerint faciendi coram commissariis antefatis. Ratificamus autem et eciam approbamus constitucionem prefatorum procuratorum, instructorum, promotorum et prosequutorum iam factam, ut dicitur, nomine nostro per venerabilem in Christo patrem dominum d. Massiliensem episcopum pro ipso negocio, et quecumque per eos et eorum quemlibet facta sunt hactenus circa illud. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri nostrisque sigillis fecimus communiri. Datum Massilie die VIII marcii anno ab incarnacione Domini millesimo CCC^{mo} septimo, pontificatus domini Clementis pape V^{ti} anno tercio [1] ».

Tenor litterarum domini archiepiscopi Aquensis et suffraganeorum suorum.

« Universis presentes litteras inspecturis miseracione divina R(OSTAGNUS) sancte Aquensis ecclesie archiepiscopus, G(AUFFRIDUS) Vapincensis, R(AYMUNDUS) Aptensis et I(ACOBUS) Foroiuliensis [2] episcopi, suffraganei Aquensis ecclesie, nunc in provincia Aquensi presentes, salutem in Domino sempiternam. Exultantes ab olim et Regi regum ac dominancium Domino laudis ex[s]olventes iubilum et offerentes vitulum labiorum, qui sua ineffabili pietate sic mirificare dignatus est sancte memorie dominum Ludovicum Tholosanum episcopum, illustris domini nostri Ierusalem et Sicilie regis natum, ut virtutum operacio per illius merita glori-*osa claruerit et illuxerit gracia sanitatum; *f. sanctissimo in Christo patri et clementissimo domino nostro domino Clementi divina providencia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici humiliter, una [3] cum aliis nostris suffraganeis et prelatis eciam Arelatensis et Ebredunensis provinciarum, supplicare decrevimus, ut illum cathalogo Sanctorum dignanter ascriberet, si circa vitam eius mirabilem, mores, merita et miracula eciam, quibus mirande coruscat, fame veritas concordaret. Obtento igitur ab ipso domino nostro summo Pontifice, tam ipsius nostre quam predictorum prelatorum supplicacionis instancia precunte, committi inquisicionis indaginem reverendis in Christo patribus dominis Xanctonensi et Lectorensi episcopis super vita, moribus, meritis et miraculis antedictis; ut ex parte nostra non desit circa iam cepta diligentis procuratoris, prosequutoris et instructoris industria et operosa solercia promotoris, nobilem virum dominum Goffridum Riccani de Massilia, militem, venerabiles viros magistros Raymundum Egidii et Raymundum Viridis, Massilienses [canonicos], Petrum Bermundi et Hugonem de Fonte, cives Massilie, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, de quorum equidem et eorum cuiuslibet circumspectione ac ad votivum inquisicionis finem sincero zelo confidimus, procuratores, prosequutores, instructores et promotores eorum omnium que per nos circa inquisicionis iam dicte negocium fuerint facienda, tenore presencium ordinamus, data sibi et eorum cuilibet in solidum potestate plenaria instruendi, procurandi et promovendi dictum negocium et quecumque circa illud oportuna vel utilia fuerint faciendi coram commissariis antefatis. Hanc autem ordinacionem seu constitucionem tam nostro nomine quam venerabilium in Christo patrum Sistaricensis et Regensis episcoporum, suffraganeorum dicte Aquensis ecclesie, nunc de [4] provincia Aquensi absencium, facimus, et nichilominus constitucionem prefa-

[1] Idest, 8 martii 1308. [2] Aix, Gap, Apt, Fréjus. [3] Cod. *uno*. [4] Cod. legendum praebet *unnode'* vel *nunode'*.

torum procuratorum, instructorum, promotorum et prosecutorum iam factam, ut dicitur, nomine nostro per venerabilem nostrum in Christo patrem dominum D(urantum) Massiliensem episcopum super ipso negocio et quecumque circa illud per illos facta sunt [h]actenus ratificamus ac etiam approbamus. Datum Massilie anno Domini millesimo trecentesimo septimo, die vicesimo secundo februarii, pontificatus dicti
. 5b domini Pape an-*no tertio [1] ».

Tenor litterarum domini Sistaricensis et Regensis episcoporum.

« Universis litteras inspecturis Iacobus et Petrus miseracione divina Sistaricensis et Regensis [2] ecclesiarum episcopi, Aquensis ecclesie suffraganei, salutem in Domino sempiternam. Exultantes ab olim et Regi regum ac dominancium Domino laudis ex[s]olventes iubilum et offerentes vitulum labiorum, qui sua ineffabili pietate sic mirificare dignatus est sancte memorie dominum Lodovicum Tholosanum episcopum, illustris domini nostri Ierusalem et Sicilie regis natum, ut virtutum operacio per illius merita gloriosa claruerit et illuxerit gratia sanitatum; sanctissimo in Christo patri et clementissimo domino nostro domino Clementi divina providencia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici humiliter supplicare decrevimus, ut illum cathalogo Sanctorum dignanter ascriberet, si circa vitam eius mirabilem, mores, merita et miracula eciam, quibus mirande coruscat, fame veritas concordaret. Obtento igitur ab ipso domino nostro summo Pontifice, tam ipsius nostre quam aliorum prelatorum supplicacionis instancia precunte, committi inquisicionis indaginem reverendis in Christo patribus dominis Xanctonensi et Lectorensi episcopis super vita et moribus, meritis et miraculis antedictis; ut ex parte nostra non desit circa iam cepta diligentis procuratoris, prosequutoris et instructoris industria ac operosa solercia promotoris, nobilem virum dominum Gauffredum Riccani de Massilia, militem, venerabiles viros magistros Raymundum Egidii et Raymundum Viridis, Massilienses canonicos, Petrum Bermundi et Hugonem de Fonte, cives Massilienses, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, de quorum equidem et eorum cui[us]libet circumspectione ac ad votivum inquisicionis finem sincero zelo confidimus, procuratores, prosequutores, instructores et promotores eorum omnium que per nos circa inquisicionis iam dicte negocium fuerint facienda, tenore presencium ordinamus, data sibi et eorum cuilibet in solidum potestate plenaria instruendi, procurandi et promovendi dictum negocium et quecumque circa illud oportuna vel utilia fuerint faciendi coram commissariis antefatis. Presentem autem procuracionem seu constitu-
. 5c cionem facimus, et nichilo-*minus constitucionem procuratorum et prosequutorum dicti negocii iam factam nostro nomine per reverendum in Christo patrem dominum R(ostagnum) Dei gracia Aquensem archiepiscopum et alios eius suffraganeos ac per dominum D(urantum) Massiliensem episcopum, nec non et alios prelatos Arelatensis et Ebredunensis provinciarum iam constitutos in premissis, quantum in nobis est et possumus gratis animis ratificamus et eciam approbamus, cum tempore procuracionis predictorum duorum prelatorum ab Aquensi provincia absentes essemus. Datum Massilie xviii die mensis aprilis, anno Domini millesimo ccc^{mo} viii, pontificatus domini dicti Pape anno tercio [3] ».

---

[1] Idest, 22 febr. 1308. [2] Sisteron, Riez. [3] 18 aprilis 1308.

Tenor litterarum suffraganeorum Arelatensis ecclesie.

« Universis [presentes] litteras inspecturis miseracione divina G(UILLELMUS) Aurasicensis, G(UILLELMUS) Tricastricensis, R(AYMUNDUS) Tholonensis, B(ERENGARIUS) Carpentoratensis [1], R(AYMUNDUS) Vasionensis, P(ONTIUS) Cavallicensis et B(ERTRANDUS) Avinionensis [2] episcopi, salutem in Domino sempiternam. Exultantes ab olim et Regi regum ac dominancium Domino laudis ex[s]olventes iubilum et offerentes vitulum labiorum, qui sua ineffabili pietate sic mirificare dignatus est sancte memorie dominum Lodovicum Tholosanum episcopum, illustris domini nostri Ierusalem et Sicilie regis natum, ut virtutum operacio per illius merita gloriosa claruerit et illuxerit gratia sanitatum; sanctissimo in Christo patri et clementissimo domino nostro domino Clementi divina providencia sacrosancte romane ac universalis Ecclesie summo Pontifici humiliter, una cum prelatis aliis Aquensis et Ebredunensis provinciarum, supplicare decrevimus, ut illum cathalogo Sanctorum dignanter ascriberet, si circa vitam eius mirabilem, mores, merita et miracula eciam, quibus mirande coruscat, fame veritas concordaret. Obtento igitur ab ipso domino nostro summo Pontifice [3], tam prelatorum ipsorum quam eiusdem nostre supplicacionis instancia preeunte, committi inquisicionis indaginem reverendis in Christo patribus dominis Xanctonensi et Lectorensi episcopis super vita, moribus, meritis et miraculis antedictis; ut ex parte nostra non desit circa iam cepta diligentis procuratoris, prosequutoris et instructoris industria et operosa solercia promotoris, nobilem virum dominum Goffridum Riccani de * Massilia, militem, venerabiles viros magistros Raymundum Egidii et Raymundum Viridis, Massilienses canonicos, Petrum Bermundi et Hugonem de Fonte, cives Massilienses, et quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior condicio occupantis, de quorum equidem et eorum cuiuslibet circumspectione [ac] ad votivum inquisicionis finem sincero zelo confidimus, tam reverendi in Christo patris domini Arelatensis archiepiscopi nunc absentis, cuius sumus suffraganei, quam nostro nomine, prosequutores, instructores, procuratores et promotores eorum omnium que per illum et nos circa inquisicionis iam dicte negocium fuerint quomodolibet facienda, tenore presencium ordinamus, data sibi et cuilibet eorum in solidum, nominibus quibus supra, potestate plenaria procurandi, prosequendi, instruendi ac promovendi dictum negocium et quecumque circa illud oportuna vel utilia fuerint faciendi coram commissariis antefatis. Ratificamus autem et eciam approbamus constitucionem prefatorum procuratorum, instructorum, promotorum et prosequutorum iam factam, ut dicitur, nomine nostro per venerabilem in Christo patrem dominum D(urantum) Massiliensem episcopum pro ipso negocio et quecumque per eos et eorum quemlibet facta sunt hactenus circa illud. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri nostrisque sigillis fecimus communiri. Datum Massilie kalendis marcii anno Domini millesimo ccc^mo^ vij [4], pontificatus domini nostri Pape predicti anno tercio [5] ».

* f

[1] Cod. *Carpentoratoñ.* [2] Orange, Saint-Paul-trois-chateaux (Tricastrin.), Toulon (Tolonen.), Carpentras, Vaison, Cavaillon, Avignon. [3] Cod. *Pontifici.* [4] Cod. add. *die vicesimo secundo februarii* ex forma praecedentium litterarum. [5] Idest, 1 martii 1308.

Quibus litteris apostolicis et procuracíonum prefatis dominis episcopis et inquisitoribus predictis, ut predictum est, exhibitis, presentatis ac eciam traditis per dictum dominum Massiliensem episcopum et per predictos instructores, et eciam per prenominatum Hugonem lectis, ut superius est expressum, et eisdem litteris per prenominatos dominos inquisitores cum reverencia et obediencia, quibus decuit, receptis; prefatus dominus episcopus Massiliensis pro se quantum in eo est et pro omnibus aliis prelatis tocius Provincie et eorum nomine, ut dixit, nec non et predicti procuratores seu promotores inquisicionis predicte, pecierunt instanter ac eciam supplicarunt humiliter et devote prefatis dominis inquisitoribus, ut in et super contentis in dictis litteris apostolicis, videlicet super vita, moribus, meritis et miraculis prefati domini Ludovici diligenter procederent et veritatem de predictis inquirerent iuxta et secundum continenciam litterarum apostolicarum eis a Sede apostolica directarum.
f. 4a Et quod testes * et instrumenta et alia probacionum genera et informaciones sufficientes reciperent prout de iure eius videretur faciendum, ita quod de predictis veritate comparata digne sanctissimo et domino nostro summo Pontifici scriptis suis seu litteris sigillorum suorum munimine roboratis per fideles et ydoneos nuncios relacionem faciant secundum quod invenerint de predictis. Quibus supplicacionibus sic factis per predictos superius nominatos, actendentes dicti domini inquisitores predictas supplicaciones fore iuri consentaneas et eciam racioni, volentes eciam obedire, ut decet, ipsi domino nostro summo Pontifici, dixerunt se paratos procedere et cum effectu in inquisicione predicta et de die in diem prout fuerit oportunum. Et incontinenti prefati procuratores seu instructores obtulerunt se paratos in scriptis capitula sua tradere predictis dominis inquisitoribus, super quibus testes, quos intendunt producere ad probandum ipsa capitula, possint et debeant examinari, ita quod per eorum deposiciones veritas de predictis appareat manifesta. Dicti vero domini inquisitores obtulerunt se paratos predicta capitula recipere et testes, quos super eisdem capitulis dixerint producendos, recipere et examinare nec [1] non et quodcunque aliud genus probacionis, et in dicto negocio procedere prout fuerit racionis iuxta et secundum continenciam litterarum eiusdem a Sede apostolica super dicto negocio [2] directarum [3]. Ad quod faciendum prefatis procuratoribus per dictos dominos inquisitores fuit assignata dies xxiiij mensis februarii ad procedendum in dicta [4] inquisicione prout fuerit racionis. De quibus omnibus supradictis prefati domini episcopi inquisitores seu commissarii memorati et dominus episcopus Massiliensis, suo nomine et prelatorum Provincie, nec non et predicti procuratores, promotores et instructores pecierunt per me Bernardum Salagnac clericum Lemovicensem, publicum auctoritate imperiali notarium, sibi fieri et dari publicum instrumentum.

Datum Massilie [5] anno, indiccione, pontificatu, die, mense et loco predictis, presentibus reverendo patre domino Iacobo episcopo Foroiuliensi et religiosis fratribus Minoribus *Raymundo* Gauffridi sancte [6] theologie magistri, *Raymundo* de Gignaco, *Be-*
f. 4b *rengario* Gontardi, conventus civitatis Massilie, et religiosis fratribus Predica-*toribus Aymerico de Nani[s] [7], Lautando de Montibus [8] et Berando, conventus civitatis eiusdem, et discretis viris dominis et magistris Raymundo Cavallarii [8] legum professoris Narbonensis diocesis, Petro Radulphi canonico Xanctonensi, Iterio de Brolio officiali Lo-

[1] Cod. add. *et*. [2] Cod. repetit *procedere prout fuerit racionis*. [3] Cod. *directorum*.
[4] Cod. bis *in dicta*. [5] Cod. *Massilien*. [6] Sic. [7] Sic infra, f. 49c. [8] Sic.

dovensi et Poncio Vesiani clerico de [1] Thesano Bitherrensis [2] dyocesis, regia auctoritate publico notario, et pluribus aliis testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis [3].

Et ego Bernardus Salagnae clericus Lemovicensis [4], publicus auctoritate imperiali notarius, predictis omnibus et singulis una cum dictis testibus presens interfui eaque scripsi et ad instanciam domini episcopi Massiliensis et procuratorum predictorum in hanc publicam formam redegi signoque meo solito consignavi rogatus.

Sequitur aliud capitulum.

Post que, anno, indiccione, pontificatu [5] predictis, die lune post festum beati Mathie apostoli, videlicet xxvı die mensis februarii, comparuerunt coram dominis inquisitoribus seu commissariis predictis, hora prima, in capitulo ecclesie fratrum Predicatorum civitatis Massiliensis instructores seu procuratores predicti, qui exhibuerunt et tradiderunt eisdem dominis inquisit[or]i[bu]s seu commissariis predictis quendam caternum in papiro scriptum ad informandum eosdem dominos commissarios de et super vita, moribus et meritis dicti domini Ludovici, offerentes se paratos probare capitula in eodem caterno contenta, coram eis. Et ad faciendum predicta nominaverunt in testes illos qui secuntur, quorum nomina sunt hec: fr. *Franciscus* Bruni episcopus Gagetanus [6], fr. *P(etrus)* Scarrerii electus Repollanus [7] de Ordine fratrum Minorum, et magister Franciscus domini Ludovici phisicus, episcopus Venciensis, fr. P(etrus) Malerati, episcopus Foroiuliensis, fr. *Raymundus* Gauffridi magister in theologia, fr. *Fortis*, fr. *Guillelmus* de Cornelione, fr. *Raymundus* de Ficubus conversus Ordinis predicti, Bermundus de Roca domicellus, qui dicto domino Ludovico serviebat de cupa, et Eleazarius de Alamannone panetarius suus, quos pecierunt recipi et examinari, prout iuris racio suadebit.

Tenor vero capitulorum seu articulorum in dicto caterno contentorum sequitur sub hac forma:

* Ad informandum et instruendum vos reverendos in Christo patres dominum *f. G(uidonem) Xanctonensem et dominum R(aymundum) Lectorensem [8] episcopos deputatos a Sede apostolica commissarios super inquirendo de vita, moribus, meritis et miraculis sancte memorie domini Ludovici Tholosani episcopi, illustris domini Ierusalem et Sicilie regis nati, super praemissis, videlicet vita, moribus et meritis: Raymundus Egidii ac Raymundus Viridis, canonici Massilienses, et Hugo de Fonte de Massilia, prefatorum [9] episcoporum omnium Arelatensis, Aquensis et Ebredunensis provinciarum, nec non Gauffridus Riccani, miles, et Petrus Bermundi de Massilia, Consilii et universitatis civitatis Massilie nominibus [10], quod ipse dominus Ludovicus in gradu triplici sui status, quamdiu [11] presentis vite cursum perageret, habuit humilitatem, innocentie puritatem, austeritatem penitencie, secundum statum suum, pacienciam in adversis, honestatem et caritatem ad proximum, pietatem et devocionem ad Deum, sobrietatem et modestiam cum mundi contemptu laudabiliter tenuit

[1] Cod. *dei.* [2] Lodève, Béziers (Biterren.) [3] Cod. hic quoque ponit, scribae anticipationem, titulum paulo inferius sequentem. [4] Limoges. [5] Cod. *pontificatus.* [6] Cod. *Gnangetanus;* sed infra correctius *Gagetanus* pro *Gajetanus;* Gaeta in Italia inferiori. [7] Rapolla (Rapollan.) in Italia inferiori. [8] Cod. *Rebectoren.* pro *R. Lectoren.* [9] Cod. *prelatorum.* [10] Cod. add. ī (= *in*): pro *idest*? [11] Cod. *quem dum.*

et continuo[1] servavit; et primo, ad ostendendum quod premissa in statu obsidatus[2] servavit, proponunt ut sequitur:

Hic ponuntur quedam generalia tangentia vitam, mores et merita domini Ludovici, super quibus fundari videntur speciales articuli qui inmediate sequuntur[3].

Primum capitulum.

Ante obsidatum in custodia cuiusdam militis fuerat, sub cuius ferula et directione sistebat, sicut est in domo Francie solitum circa doctrinam et nutrituram sublimium puerorum.

Que[4] sequuntur referuntur ad tempora obsidatus.

Secundum capitulum.

In primo namque sue iuventutis flore, cum esset annorum quatuordecim vel circa, missus fuit obses in Cathaloniam una cum domino Duce[5] et domino Raymundo Berengarii[6] eius fratribus pro liberacione dicti domini patris[7] sui. Ubi cum nonnullis nobilibus et duobus fratribus Minoribus religiosis et litteratis viris, suis et ipsorum fratrum suorum obsequiis deputatis, quasi septennio commorans, studio litterarum sic ferventer inhesit, ut infra septennium ipsum in grammaticalibus, philosophicis, moralibus et theologicis sufficienter instructus, verbum Dei clero et populo eleganter f. 4d et fruc-*tuose proponeret, et de predictis eciam cum baccallariis et doctoribus theologie sic probabiliter disputaret, ut magis tam in brevi tempore presumeretur in iuvene infusa scientia quam humano ingenio acquisita.

Tercium capitulum.

Set et tunc eciam, in obsidatu manens, post studium oracioni vacabat[8] assidue, horis dumtaxat exceptis necessariis pro refectione et quiete nature.

Quartum capitulum.

Sic fugit consorcia mulierum, ut nec ibi nec alibi ullam cum aliqua secularium familiaritatem habuit. Nullam vidit libenter, ne visus cum aliqua solus fuerit[9], nisi cum sorore vel matre, aut quamlibet eciam visitaverit. Interdum tamen ad monialium se contulit monasteria, ut illis salubria monita diceret et proponeret Dei verba.

Quintum capitulum.

Divinis intentus Officiis, Horas suas secundum consuetudinem Ecclesie romane dicebat complete cum Fratribus; et septem psalmos frequenter eciam cum letania; et ultra crucis Officium, quod quandoque dicebat uno Fratre sibi adhibito, hostio verumtamen domus clauso; et eciam quandiu morabatur in ipso dicendo crucis Officio

---

[1] Cod. *continuando*. [2] Cod. hic et pluries infra *obsidiatus*. [3] Capitula quae sequuntur, habentur etiam in codice saec. XV, ap. AFH I, 623s. descripto atque hic in *Praefatione* recensito. Incipit: *Vita beati Ludovici episcopi et confessoris, cap. j. Ante obsidatum* etc. Eius textum cum nostro contulimus, novum codicem littera M indicantes. [4] *Que-obsidatus* om. M. [5] Idest, Robertus, dux Calabriae. [6] Cod. et M *Gengarii*. [7] M *liberacione domini Karoli patris*. [8] Cod. *vocabat*. [9] Sic.

extensa tenebat brachia ad modum crucis in pariete, quod tamen Frater assistens eidem vix in seipso poterat tolerare.

Sextum capitulum.

Missas audiebat devotissime, et primitus confiteri volebat.

Septimum capitulum.

Displicebat sibi dum erat in mensa colloqui, aliorum gerens sic moleste colloquium, ut eos inde dure reprehenderet, eciam suos germanos interdum.

Octavum capitulum.

Sermonibus libenter intererat, et Euc[h]aristie sacramentum quolibet magno festo reverenter et devote sumebat.

Nonum capitulum.

Verba inhonesta loqui et audire vitabat, et prorumpentes ad illa durissime increpabat.

x capitulum.

Erat in cibo et potu plurimum sobrius; sicque devocioni et oracioni incessanter intentus, ut multis et [1] familiaribus eius fastidium pararet et quodammodo displiceret.

Undecimum capitulum.

Crebris atterebat corpus suum in pane et aqua ieiuniis, susceptisque private de manu sua, interdum Fratris alicuius, disciplinis.

xij capitulum.

Erat sibi magnum esse cum secularibus tedium; sed habere iuxta * se devotas, honestas et religiosas personas (quas [2] equidem in familiaritatem, repulsis aliis, gratancius admittebat), erat eidem consolacio in immensum; cum quibus de divinis et sciencialibus conferebat. *f.

xiij capitulum.

In libris contemplacionis et devocionis, utpote beati Bernhardi, libentissime studuit, sic quod in illis habunde profecit.

xiiij capitulum.

Sic postremo disposuit vanitates seculi fugere et se totum Dei servicio dedicare, quod obses exixtens, motu proprio, non inductus a quoquam, in corde firmavit post liberacionem suam ingredi fratrum Minorum Ordinem. Et id vovit eciam inibi. Et dictum in quodam festo Penthecostes [3] votum castitatis emisit.

xv capitulum.

Semel uni leproso obvius fuit, eum humiliter osculatus.

---

[1] Sic. [2] M *quam*. [3] Cod. *Penthecostis*.

xvj capitulum.

Ad conversionem quoque infidelium se totum impendens, iudeos et sarracenos ad suscepcionem sacri baptismatis efficaciter inducere studuit, et nonnullorum ex ipsis patrinus equidem ipse fuit.

xvij capitulum.

Sic iam in eo miseracio vigebat ad pauperes, ut illis panes secreto per fenestram quandoque probiceret, et aliter quidquid poterat erogaret, reputans esse perditum nisi quod esset amore Christi pauperibus distributum. Tanta [1] in obsidatu paciencia viguit, ut ex hoc in nullo turbari potuerit a familiaribus percipi, frequentius asserens adversitatis tempus magis debere quemlibet quam prosperitatis amplecti.

xviij capitulum.

Quidam Frater eius socius, cui iniunxerat ut ad partem deffectus suos deberet sibi detegere, illos tales quales dicebat ei qui plus debebant verisimiliter displicere. Quem tamen vir Dei pacientissime ascultabat, respondens humiliter quod bene faceret, Deo dante.

xviiij capitulum.

Set et cum Fratrem ipsum eum coram aliis arguentem alii reprehenderent, ipse excusabat eum humiliter, illum bene facere asserens, illiusque reprehensores in hoc silere benigna excusatione compellens.

xx capitulum.

Eius denique magnitudo paciencie, in hiis et aliis, tam custodibus eius quam videntibus ceteris indicebat admiracionis materiam et stuporis. Familiam suam mone-
5b bat diligenter et instruebat * ad bene vivendum, inducens eos venire libenter ad sermones et Missam. In quo sibi desides eos invenire percipere poterat, eos severiter arguebat. Ductus eciam zelo fidei dixit interdum, obses existens in castro Siourane [2], sibi ad multum gaudium cedere si precipitaretur de rupe castri predicti pro fide.

xxi capitulum.

In obsidatu manens, cum aliquibus regionem adire longinquam et illic Ordinem ingredi, ut humilia liberius posset officia exercere, interdum pia intencione disposuit et hoc ipsum aliquibus familiariter revelavit. Crebro eciam de nocte, dormire alios arbitrans, consuevit surgere et prolixius oracioni se dare. Cui semel oranti catus quidam inmanis apparuit, ipsumque terribiliter invadere satagens, ad signum vivifice crucis disparendo recessit. Quod equidem cum vir ipse dominum Raymundum Berengarii, fratrem eius in lecto sistentem vidisse tremebundum adverteret, astrinxit eum iurisiurandi vinculo quod id, eo vivente, nemini revelaret. Id tamen puer ipse, licet quamdiu vir ille superfuit penes se sincere servaverit, post illius obitum pluribus indicavit.

---

[1] Cod. et M *Tanto.* [2] M *Sicurane.*

Et ad ostendendum quod liberatus a carcere, antequam promoveretur, eadem tenuit et servavit, proponunt ut sequitur.

xxij capitulum.

Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu seu carcere, inter paucos dies [1] clericali milicie per tonsure assumcionem ascriptus, pelles portare varias renuit, Bernardum allegans dicentem: Clericum non decere pelles varias portare vel grisias [2]. Ad mandatum tamen patris et nonnullorum inductionis instanciam, illis invitus usus est usque Romam [3]. Ex tunc gessit ad carnem grossam stamineam, et cum illa ac tunica de lana dormivit. Funem iuxta carnem portavit utique duram multo tempore, prius eciam quam in sacro ordine contigeret eum esse. Fratres Minores, viri quidem honesti et probi, ex tunc in camera sua continue iacuerunt. Quorum sic utebatur obsequiis, ut non sustineret quod serviret ei in camera sua scutifer, aut discalciaret eum aliquis secularis. In Monte Pessilano [4], dum prosequeretur * versus Urbem cum patre viagium, implere voluit, quod dum obses erat de intrando fratrum Minorum Ordinem emiserat, votum suum. Sed, Fratribus recusantibus eum ea vice recipere, curavit votum ipsum solempniter iterare. In ipso eciam viagio tribuit cuidam pauperi, cum non occurreret quod tribueret aliud, tabardum seu mantellum ferratum pellibus variis, quod erat sui proprium genitoris. Acolittatum et minores alios ordines in medio puerorum [5] suscepit humiliter. Et deinde Rome per dominum Papam in subdiaconum ordinatus [6], varias pelles omnino deposuit, et agninis in antea usus fuit. Ab illo quoque tempore, quamdiu portavit habitum secularem, vestitus est frequenter ut plurimum panno nigro vel camellino beguino. Missa sibi Velletri ad usum vasa per genitorem argentea recipere noluit; sed ad illum accedens humiliter et cum lacrimis supplicavit ut eum iuxta sue voluntatis arbitrium vivere sineret, alioquin ipsum nimium contristaret. Eo autem existente Neapoli, et ordinum tempore propinquante, suasum fuit sibi quod pro reliquis sacris ordinibus suscipiendis a Papa Romam accederet; presertim cum Papa ipse [7] se id libenter acturum, cum eum fecit subdyaconum, obtulisset. Ipse tamen, licet alias sibi complaceret ordines ab illo recipere, declinavit ab ipsius arreptione viagii, asserens quod vanitati et pompe posset notanter ascribi. Unde ad ordines ipsos noluit secreto nec cum prerogativa aliqua promoveri, sed publice inter ordinandos alios palam eligens residere. Sic aspiravit ad hereditatem eternam, ut, contempto prorsus temporali patrimonio, primogeniture iuri renunciaret [8] et regno.

xxiij capitulum.

Existens in castro Ovi [9], post susceptum presbiteratus ordinem, omni fere die postquam devote confessus fuerat Misse celebrabat officium, et deinde regulariter ad studium accedebat usque ad prandii horam, abinde non exiens. Et post prandium, se vaniloquiis non immiscens communiter intendebat collacioni alicui super materia theologica vel philosophica seu morali, maxime post adventum fr. *Ricardi* [10] de Mediavilla * in theologia magistri, sibi in magistrum ac socium assignati.

*f. (margin markers beside lines 13 and 40)

---

[1] Cod. add. *a*. [2] Cf. *Epist. II*, n. 11 (Migne, P. L., 182, 86). [3] M *Bononiam*. [4] M *Pesulano*. [5] Cod. *puerorum*. [6] Cod. *ordinatos*. [7] Cod. *ipso*. [8] Cod. *renunciare*. [9] Cod. *Evi*. [10] Cod. *Raymundi*.

xxiv capitulum.

Post collacionem vero ingrediens cameram, aliquid antequam dormiret de cantu discebat, et deinde non super lectum sed super quandam cathedram modicum quiescebat.

xxv capitulum.

Postmodum autem, ne preteriret hora temporis ociosa, intrabat claustrum quod-[d]am ad quod habebatur per eius cameram aditus, ubi librorum sancti Bernhardi et edificativorum eciam aliorum lectioni vacabat intentus.

xxvj capitulum.

Et si quando fatigatus erat a studio, orticellum eidem claustro propinquum colebat cum parvo sarcello.

xxvij capitulum.

Quamdiu fuit in ipso castro, duo ex quatuor Fratribus, quos habebat, iacebant in eius camera. Et cum se transtulissent ad castrum Novum, omnes iiij^or^ secum dormientes testes castitatis habebat.

xxviij capitulum.

Continuo preterea erat in eius mensa lectio; et postquam fuit presbiter solitus erat capellam petere [1] post horam Completorii, et solus ultra unius leuce spacium communiter erat ibi.

xxviiij capitulum.

Sic erat devocioni et studio deditus, ut interdum de mensa surgeret nesciens an in illa bibisset.

Quod autem in statu episcopali, continuando, predicta compleverit, proponunt ut sequitur.

xxx capitulum.

Consequenter quoque cum summus Pontifex providisset de ipso absente ecclesie Tholosane, et Fratres eius socii, insinuata sibi provisione iam dicta, ad [2] acquiescendum et assenciendum illum [3] niterentur inducere, allagata seu proposita per eos multiplici ratione; respondit ille, ambicionis ignarus et tamen superiori parere paratus, quod nunquam assentiret provisioni huiusmodi, nisi coactus apostolici vigore precepti.

xxxj capitulum.

Eo vero in Pape constituto presencia, et per illum patefacta sibi provisione predicta, Papa ipse, Cardinalibus duobus adstantibus, eius assensum super dicta provisione cum efficacibus inductionibus peciit. Cui demum vir ipse respondit se nullatenus recepturum provisionem eandem, * nisi completo primitus voto per ipsum de intrando fratrum Minorum [4] Ordinem iam dudum emisso. Quod factum fuit, ut de

---

[1] Cod. et M *capellanus petri.* [2] Cod. *et;* M *et ad.* [3] Cod. *illi.* [4] Cod. *Minorem.*

beneplacito summi Pontificis votum compleret in domo domini Sabinensis, facta quidem inibi expressa professione flexis genibus in manu domini Portuensis tunc generalis Ordinis prefati Ministri, habituque recepto antequam episcopatum acceptaret eundem.

xxxij capitulum.

Quem equidem habitum de mandato Pape usque ad festum tunc proximum beate Agathe [1] vir ipse portavit occulte. Qua die in presencia duorum Cardinalium pluriumque virorum religiosorum de licencia Pape dictum sumpsit habitum publice, et portavit in antea manifeste. Et cum illo, eciam dissuadentibus sociis, usque ad beatum Petrum peditando processit.

xxxiij capitulum.

Ex tunc supra humanum modum se a risu et verbis superfluis et omni [2] vestium nota cohibuit. Instrionibus nec talibus nunquam favit.

xxxiiij capitulum.

De canibus et avibus venaticis precipue non curavit. Sed super pauperem et egenum intentus, vigintiquinque pauperes faciebat diebus singulis specialiter, ex quo Tholosam applicuit, in suo hospicio refici; quibus ipsemet humiliter serviebat, aquam eorum infundendo manibus et apponendo fercula coram eis, panemque [3] sibi genuflexus [4] scindendo. Frequenter in diebus sabatinis tres habebat in domo pauperes, eorum secrecius lavans pedes.

xxxv capitulum.

Veniens Parisius, centum pauperes induit; et in die Pasche cum omni devocione scutellas et vasa huiusmodi Fratrum lavit.

xxxvj capitulum.

Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior, sic equidem ut, quamvis Papa dixisset eidem quod non ut episcopus sed ut regis natus expenderet, ipse tamen egere sibi cupiens ut aliis abundaret, iniunxit semel cuidam ex familiaribus quod summam reddituum episcopatus exquireret, ad illum videlicet finem ut sciret quam largas facere elemosinas inde posset.

xxxvij capitulum.

Semel cum eius somerii non venissent, ipseque vellet sibi facere radi barbam, bassile cuiusdam sui socii familiaris argenteum fuit * propterea deportatum, quod *
tamen recipere noluit; sed illo cum quo mensurabantur equorum prebende humilime usus fuit.

xxxviij capitulum.

Cumque in crastinum familiaris ille trufatorie quasi improperaret eidem quia lavabat [5] manus in argento, non faciem, que nobilius membrorum erat, benigne respondit: « Hoc ideo, inquid, facio, quia manus lavo in publico et faciem in secreto ».

---

[1] Idest, 5 februarii. [2] Cod. *dī* pro, ut coniecturamus, *ōi*; M *dei*. [3] Cod. *penemque*.
[4] Cod. et M *genuflexo*. [5] Cod. et M *lavabatur*.

xxxviiij capitulum.

Celebrabat ordines devotissime et examinabat clericos diligenter de preceptis, viciis capitalibus et articulis fidei, quibus volebat de beneficio providere, non collaturus ulli [1] nisi esset in predictis instructus [2]. Missam eciam celebrabat cotidie nisi contingeret cum infirmitate vel iusta necessitate alia impediri; immo interdum itinerando cum intensis caloribus per vias duras et asperas, fessis existentibus sociis et confractis, Missam nolebat obmittere quin eam celebraret, non-obstante confractione, devote.

xxxx capitulum.

Unde semel cum proficisceretur in Cathaloniam causa visitandi sororem suam dominam reginam Aragonum [3], contigit quod cum somerius capelle sue non venisset hora debita celebrandi, et ipse vellet celebrare cum indumentis sacerdotalibus cuiusdam ecclesie nimis grossis et utcumque indecentibus ac immundis, nonnullis sibi dissuadentibus cum humilitate respondit, se non obmissurum celebrare, quia forsan illa accepciora erant Deo quam magis preciosa seu aliter delicata.

xxxxj capitulum.

In eodem eciam viagio, die quadam, completa maxima et laboriosa dieta, dum iret cum Fratribus et paucis familiaribus aliis spaciatum, vidit intra quandam domum mulierem multum annosam et debilem ac in paleis decubantem, et domum introiens invitavit eam si sibi vel socio, quia frater Minor erat, confiteri volebat; qua non curante, utpote ex antiquitate nimia quodammodo insensata, interrogavit eam si vellet comedere, eaque ad id protinus annuente, appropiavit ipse vir mulieris prefate grabato, et sedens inibi iuxta eam, cibo portato de domo manu propria pavit illam. Et postmodum abinde recedens tot pediculos se sumpsisse reperiit [4] ex ap-
6c propinqua-*cione mulieris huiusmodi, quod vix ab illis potuit liberari.

xlij capitulum.

Cum iret Parisius, cuidam pauperi nudo et despecto, quem obvium habuit, cappam suam in abscondito dari fecit.

xliij capitulum.

Episcopatui [5] cedere penitus voluit, sed Papa cessionem admittere recusavit. Equum seu palafredum non equitavit postquam fuit factus episcopus, mule dumtaxat pro equitatura contentus.

xliiij capitulum.

Suadentibus sibi Fratribus interdum aliquibus ut Parisius pro magisterio in theologia suscipiendo vellet accedere, se factum episcopum de hoc non curare respondit, cum, etsi aliquis inde sibi honor accresceret, rara [6] tamen vel nulla utilitas poterat provenire.

---

[1] Cod. *ul'*, M *vel*. [2] Cod. *instructis*. [3] Cod. *Aragenum*. [4] M *repperit*.
[5] Cod. *Episcopati*. [6] Cod. *rora*.

xlv capitulum.

Post susceptum Fratrum habitum, de panno vili cappam tulit continue ac mantellum. Sed et tapetis, cortinis et lecti coopertorio usus est non de alio colore quam bruno.

xlvj capitulum.

Frequenter in secreto satagebat suis sociis obsequiosus existere, potumque ministrando servire.

xlvij capitulum.

Sepe visitabat ospitalia pauperum, et erga eos multe pretendebat compassionis affectum [1].

xlviij capitulum.

Semel cum indigeret habitu, portare voluit cuiusdam socii sui habitum, quem portaverat ille Frater per annum.

xlviiij capitulum.

In festo beati Dominici celebravit divina Brinonie; quem febris arripuit illa die. In infirmitate ipsa, immo in quolibet statu suo, adeo visus est pacientissimus, ut vix unquam percipi potuerit inordinate turbatus.

l capitulum.

Devotissime suscepit in morbo Corpus dominicum, sic eciam quod tunc de lecto surrexit, licet debilis esset multum.

lj capitulum.

Licet autem de consilio et ex dispensacione summi Pontificis leges audire cepisset, in infirmitate tamen vetitus, quod id esset Deo displicabile, ordinavit immo vovit eas ulterius non audire.

lij capitulum.

Dum die quadam a morbo eraticasse * et curatus fore a medicis crederetur, et alius Frater quidam magne religionis, status et fame sublimis, qui certis diebus ad eius instanciam in camera sua dormiverat, ab eo licenciam peciit volens repetere domum Fratrum, ex quo eum esse curatum medicorum oppinio supponebat; cui Dei vir: « Non facietis, inquid, quia pro [2] certo de proximo meam agoniam expecto ».

liij capitulum.

Per biduum vel triduum ante suum de hoc seculo transitum, facta sibi cruce Domini per quendam religiosum eius familiarem et socium presentari, genuflexit in lecto intra pannos, ut potuit, et oracione facta per magni temporis spacium in devoto silencio postea diu fuit.

---

[1] Cod. et M *effectum*. [2] M om. *pro*.

liiij capitulum.

Hoc eodem in crastinum laudabiliter repetito, in die sui beatissimi transitus de mane fratrem quendam Minorem, qui de Curia venerat, quique [1] iuxta lectum eius e vicinio sedebat, rogavit vir Dei ut aliquam bonam ystoriam, si eam habebat menti, retexeret. Quam cum ille satis utique longam et pulcram narrare cepisset, post modicum virum Dei accessio [2] febrilis arripuit, que illum, donec Domino reddidit spiritum, non dimisit.

lv capitulum.

De predictis autem omnibus est publica vox et fama.

Premissa proponunt, protestantes quod possint plura probare, si contingat ea ad ipsorum memoriam pervenire.

Item eisdem dominis inquisitoribus fuerunt data capitula super miraculis que dicuntur facta fuisse meritis dicti domini Ludovici. Et supplicaverunt predicti procuratores ipsis dominis inquisitoribus, quod testes quos ipsi ducerent [3] producendos super predictis capitulis et eciam super aliis, si darentur, reciperent et eos diligenter examinarent et eorum deposiciones in scriptis fideliter redigi facerent et conscribi. Et tunc dicti domini inquisitores responderunt quod parati erant facere in predictis et circa predicta quitquid possent et liceret eis secundum commissionem et formam littere apostolice eis date, sicud alias superius dixerunt se paratos.

Capitula vero super miraculis sunt hec que sequuntur in genere:

* Hic incipiunt capitula miraculorum in genere.

De mortuis suscitatis.
De cecis illuminatis, et de maculis occulorum effugatis.
De surdis restitutis.
De mutis curatis.
De claudis restitutis.
De contractis erectis, et impotencia eundi.
De tortis in pedibus,
De ydropicis.
De paraliticis.
De guttosis.
De curatis a febribus.
De epilenticis seu caducis.
De morbo qui vocatur spasmus.
De furiosis et alienatis a sensu.
De inflaturis et ulcerosis curatis.
De malo mortuo et de aliis infirmitatibus in tybiis.
De incredulis iam punitis.
De casu vel lapsu.

[1] Cod. et M *quice*. [2] M *accensio*. [3] Cod. *duceret*.

De dolore capitis et aliis doloribus effugatis.

De morbo qui vocatur lippia.

De squinancia.

De lapide in vesica.

De ruptura.

De periculo partus.

De voto coniugum, qui xij^cim^ fuerant et non poterant habere prolem, et habuerunt per invocacionem et merita domini Ludovici [1].

Hec est forma iuramenti quam instructores et procuratores dicti negocii prestiterunt.

Et ad hoc quod omnis calumpnia seu suspicio per dictos procuratores seu instructores vitaretur, predicti domini inquisitores a predictis procuratoribus seu instructoribus iuramentum exegerunt, quod, Deum habendo pre oculis, in predictis bono et fideli zelo procedant et testes super predictis producant fide dignos et omni suspicione carentes. Qui quidem instructores, sacrosantis Dei evangeliis sponte tactis per ipsos [2], hoc facere iuraverunt.

Acta fuerunt hec in capitulo fratrum Predicatorum Massilie, anno a nativitate Domini millesimo ccc^mo^ vij^o^, indictione vj^ta^, pontificatus sanctissimi patris et domini domini Clementis pape quinti anno tercio, die lune post festum beati Mathie apostoli, videlicet xxvj die mensis februarii [3], presentibus reverendo patre domino Iacobo episcopo Foroiuliensi et religiosis fratribus Minoribus *Raymundo* Gauffridi sacre theologie magistro [4], *Raymundo* de Gignaco Ordinis et conventus fratrum * Minorum Massiliensium, et venerabilibus et discretis viris dominis Guillermo Ebrardi archidyacono Aquensi, Iohanne de Cabassola milite et legum professore [5], Ricardo de Cambateza milite, et magistris Raymundo Cavallerii [6] legum doctore, P(etro) Rodulphi canonico Xanctonensi, Iterio de Brolio officiali Lodonensi, et Poncio Vesiani de Thesano Biterrensis dyocesis, publico auctoritate regis notario, et pluribus aliis testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis.

Et ego Bernardus Salagnac clericus Lemovicensis, publicus auctoritate imperiali notarius, predictis omnibus et singulis una cum dictis testibus presens interfui eaque scripsi, et de mandato dictorum duorum inquisitorum seu commissariorum in hanc publicam formam redegi signoque solito meo consignavi rogatus.

Post que, anno, indictione, pontificatu [7] quibus supra, ultima die mensis februarii, volentes predicti domini inquisitores ad examinacionem testium nominatorum et productorum et adhuc nominandorum [8] et producendorum coram eis per dictos procuratores seu eciam promotores predicte inquisicionis procedere, fr. *Guillelmum* de Cornelione lectorem fratrum Minorum Massiliensium ab eis nominatum et productum in testem, in et super capitulis seu articulis per dictos promotores seu procuratores dictis dominis inquisitoribus traditis, receperunt; qui iuravit in presencia

---

[1] Hic desinit M. [2] Cod. *ipōs.* [3] Idest, 26 februarii 1308. [4] Cod. *magistri.* [5] Cod. *professoris.* [6] Sic. [7] Cod. *pontificatus.* [8] Cod. *nominatorum.*

dictorum duorum inquisitorum super predictis capitulis et predicta tangentibus, more testium, dicere veritatem.

Qui deposuit in et super predictis, ut sequitur.

In nomine Domini, amen. Incipit examinacio testium productorum super vita, moribus et meritis domini Ludovici, quondam episcopi Tholosani, in ecclesia fratrum Minorum Massiliensium sepulti.

Fr. *Guillelmus* de Cornelione, lector fratrum Minorum Massilie, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super capitulis traditis super vita, moribus, meritis 7c et miraculis predicti domini * Ludovici et super aliis predictum negocium tangentibus et primo:

Capitulum j [1]. Super primo capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* et cetera, dixit se credere esse vera in eodem capitulo contenta; tamen alias nescit, quia non vidit, ut dixit.

Que sequuntur referuntur ad tempora obsidatus.

Capitulum ij. Super secundo capitulo quod incipit: *In primo namque sue iuventutis flore* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, nec non et super membris eiusdem capituli, quibus [2] sibi lectis et diligenter expositis, dixit se nichil scire, nisi de auditu per relacionem aliquorum fide dignorum. Interrogatus qui erant illi, dixit quod multi boni viri religiosi et alii, de quorum nominibus non recordatur ad presens. Scit tamen testis qui loquitur, ut dixit, quod ipse post obsidatum ad modicum tempus vidit dictum dominum Ludovicum litteraliter et sciencialiter et ornate loquentem et instructum, sicut in ipso capitulo continetur. Interrogatus quomodo vidit eum instructum, dixit quod per frequentes collaciones et crebras disputaciones cum litteratis et magnis viris et scienciatis, et predicaciones frequentes Neapoli et Parisius et alibi in diversis locis solempnibus, ut dixit.

Tercium capitulum. Super tercio capitulo quod incipit: *Sed et tunc eciam in obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, nisi ex relacione fide digna diversorum religiosorum, videlicet a fr. *Francisco* nunc Gagetano episcopo, qui a [3] multis temporibus fuerat cum domino Ludovico et ante obsidatum et post, et a fr. *Petro* Scarrerii qui fuit in obsidatu cum eo, et a magistro Francisco phisico archidiacono Mimatensi [4], qui fuerat familiaris suus. De aliorum nominibus non recordatur, ut dixit.

iiij capitulum. Super quarto capitulo quod incipit: *Sic fugit consorcia mulierum* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit se nichil scire dum dictus dominus Ludovicus erat in obsidatu, nisi relacione fide digna, sicut prius. Et fama 7d publica, ut dixit, hoc habet quod consorcia mulierum libenter fugiebat. * Post obsidatum vero ab illo tempore quo fuit cum eo idem qui loquitur, dixit quod non vidit nec potuit perpendere quod ipse cum aliqua muliere colloquium familiare haberet, nisi cum matre propria vel sorore, et cum regina Francie, ut dixit.

v capitulum. Super quinto capitulo quod incipit: *Divinis intentus Officiis* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit se nichil scire nisi quantum audivit

[1] Deest in Cod. [2] Sic. [3] Cod. *qa*. [4] Cod. *Minimatensi;* = Mende.

a Fratribus sociis domini Ludovici, videlicet a fr. *Petro* et fr. *Francisco* predictis, qui dixerunt testi qui loquitur, quod libenter audiebat divinum Officium et libenter laborabat ad illud, quod dicitur in capitulo, de Officio crucis.

Capitulum vj. Super sexto capitulo quod incipit: *Missas audiebat devotissime* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur et super alio membro eiusdem capituli, dixit se nichil scire, nisi de auditu, pro tempore obsidatus, quia tunc non erat presens cum eo, ut dixit.

Capitulum vij. Super septimo capitulo quod incipit: *Displicebat sibi dum erat in mensa colloqui* etc. diligenter interrogatus idem qui loquitur, dixit se nichil scire, nisi quantum audivit a Fratribus qui fuerant cum eodem domino Ludovico in obsidatu, quod multum honeste, discrete et mature se habebat in mensa et alibi, et libenter germanos suos et alios nimis loquentes corrigebat, quando in colloquiis excedebant, ut dixit.

Capitulum viij. Super octavo capitulo quod incipit: *Sermonibus libenter interat* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit se nichil scire pro tempore obsidatus, nisi prout audivit ut supra, et credit quod verum sit, ut dixit.

Capitulum viiij. Super nono capitulo quod incipit: *Verba inhonesta loqui et audire vitabat* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit quod credit, ex relacione predictorum fratrum Minorum et aliorum fide dignorum qui tunc assistebant dicto domino Ludovico, contenta in eodem capitulo esse vera. De aliis vero nichil scit, pro tempore obsidatus, ut dixit.

Capitulum x. Super decimo capitulo quod incipit: *Erat in cibo et potu plurimum sobrius* etc. diligenter interrogatus * idem qui loquitur, dixit ut supra proximo, pro [1] * tempore obsidatus. Dixit tamen quod credit eum multum fuisse sobrium in cibo et potu, et credit quod libenter, quando poterat, vacabat oracioni et devocioni, ut dixit.

Capitulum xj. Super undecimo capitulo quod sic incipit: *Crebris atterebat corpus suum in pane et aqua ieiuniis* etc. diligenter interrogatus idem qui loquitur, dixit nichil scire pro tempore obsidatus.

Capitulum xij. Super duodecimo capitulo quod incipit: *Erat sibi magnum esse cum secularibus tedium* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit se credere contenta in eodem capitulo, et ea fore vera; aliter tamen nescit pro tempore obsidatus. Sed credit hoc ex fide digna relacione fratrum Minorum, qui fuerant cum eo; et quia, postquam fuit ipse testis cum eodem domino Ludovico, idem dominus Ludovicus eundem modum tenuit et servavit, ut dixit.

Capitulum xiij. Super decimo tercio capitulo quod incipit: *In libris contemplacionis* etc. diligenter interrogatus idem qui loquitur, dixit se nichil scire pro tempore obsidatus. Sed tamen credit esse vera contenta in eodem capitulo, eadem racione qua prius, ut dixit.

Capitulum xiiij. Super decimo quarto capitulo quod incipit: *Sic postremo disposuit vanitates seculi fugere* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit se nichil scire; credit tamen quod votum castitatis emisit.

Capitulum xiiiij. Super decimo quinto capitulo quod incipit: *Semel uni leproso obvius* etc. interrogatus diligenter ipse qui loquitur, dixit se nichil scire, nisi quantum audivit ab uno sociorum, qui tunc erant cum dicto domino Ludovico.

---

[1] Cod. *quod*.

Capitulum xvj. Super decimo sexto capitulo quod incipit: *Ad conversionem quoque infidelium* etc. diligenter interrogatus ipse qui loquitur, dixit se nichil scire pro tempore obsidatus; credit tamen contenta in eodem capitulo esse vera ex relacione fr. *Raymundi* de Ficubus nunc conversi, qui tempore obsidatus erat de familia domini Ludovici, * 8b et qui moratur Massilie in domo fratrum Minorum, ut dixit.

Capitulum xvij. Super decimo septimo capitulo quod incipit: *Sic iam in eo miseracio vigebat ad pauperes* etc. diligenter interrogatus idem qui loquitur, dixit se nichil scire pro tempore obsidatus. Credit tamen quod secreto panes per fenestras et alia loca oportuna pauperibus erogabat et alias elemosinas faciebat. De aliis contentis in eodem capitulo dixit se nichil scire, nisi quod credit quod adversitates suas multum pacienter sustinebat.

Capitulum xviij. Super decimo octavo capitulo quod sic incipit: *Quidam Frater eius socius* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit quod credit quod omnis correctio placebat domino Ludovico, licet non crederet in eo aliquid esse notabiliter corrigendum, ut dixit.

Capitulum xviiij. Super decimo nono capitulo quod incipit: *Sed et cum Fratrem ipsum* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit quod credit contenta in ipso capitulo esse vera; aliud tamen dixit se nescire circa predicta.

Capitulum xx. Super vigesimo capitulo quod sic incipit: *Eius denique magnitudo paciencie* etc. diligenter interrogatus idem qui loquitur, dixit quod nescit aliud nisi quod credit quod sunt vera in eodem capitulo contenta, quia non erat presens, ut dixit.

Capitulum xxj. Super vigesimo primo capitulo quod incipit: *In obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus idem qui loquitur, dixit quod credit quod dominus Ludovicus libenter vacabat oracionibus, quandoque noctibus, quandoque diebus. Et de cato audivit referri prout in eodem capitulo continetur. Et credit quod habuit firmiter propositum religionem intrandi, sicut postea apparuit per effectum, ut dixit.

Ista capitula que sequuntur respiciunt tempus liberationis et exitus obsidatus, et antequam esset episcopus Tholosanus.

Capitulum xxij[1]. Super vigesimo secundo capitulo quod sic incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, 8c et primo super tonsura et super pellibus variis, * et quod eas ad mandatum patris et inductionem aliorum usque Romam portavit, dixit se nichil scire, nisi quod audivit a pluribus, de quorum nominibus non recordatur. Interrogatus de staminea[2] et de tunica lanea et corda dura, dixit se nichil scire, nec de aliis que contigerunt[3] antequam esset in sacris ordinibus. Dixit tamen [quod], postquam fuit sacerdos factus prefatus dominus Ludovicus, ante tamen quam esset episcopus vel religiosus, vidit eum testis qui loquitur iacentem cum tunica et staminea vel cum altera earum, ita quod nunquam iacebat nudus, ut dixit. Interrogatus quanto tempore vidit ista, dixit quod per quatuor menses vel circa, ut sibi videtur. Interrogatus an fratres Minores iacerent continue in camera sua, dixit et respondit quod ab eo tempore, quo dictus qui loquitur cepit esse socius et familiaris domini Ludovici (quod quidem tempus fuit post sacerdotium suum per duos menses, ut sibi videtur, et fuit factus

[1] Deest in Cod. [2] Hic et alibi legendum potius *scaminea.* [3] Cod. *contingerunt.*

sacerdos per Neapolitanum archiepiscopum nomine Philippum, sabbato post Penthecosten, ut sibi videtur), fratres Minores continue iacebant in camera sua. Interrogatus de nominibus Fratrum, dixit quod fr. *Petrus* Scarrerii et fr. *Franciscus* Bruni. Interrogatus quot [1] anni sunt quod ipse qui loquitur fuit cum domino Lodovico, credit quod sunt xj anni vel circa, ut dixit. Interrogatus quomodo scit quod Fratres superius nominati iacerent continue in camera sua, respondit quod ipse frequenter intrabat et exibat cameram et videbat ibidem lectos eorum. De aliis sequentibus in eodem capitulo dixit se nichil scire pro tempore illo, videlicet quod dictus dominus Ludovicus non sustineret quod scutifer ei in camera sua serviret, aut eum discalciaret aliquis secularis; licet credat id verum esse. Interrogatus de voto et voti iteracione, dixit se nichil scire, nisi tantummodo de auditu. Interrogatus a quo vel a quibus audivit, dixit quod a fr. *Bertrando* de Sigoterio, tunc Ministro Provincie, et a fr. *Arnoldo* de Rocafolio tunc conventuali in Monte Pessulano. Interrogatus de tabardo folrrato de variis dato per ipsum pauperi, quod erat sui proprii genitoris, dixit se nichil * scire. Interrogatus an acolitatus et minores ordines susceperit humiliter, dixit se nichil scire, nisi per relatum fide dignorum. De subdiaconatu dixit idem. De pellibus variis et usu agninorum, dixit idem. Interrogatus si, quanto tempore portavit habitum secularem, vestitus fuit ut plurimum panno nigro vel camellino beguino, respondit quod sic, quamdiu fuit cum eo. Et in habitu seculari existens cum eo, vidit eum portantem predictum habitum, ut plurimum, per quatuor menses vel circa. De vasis argenteis sibi missis per patrem, quod renuerit et quod ad patrem iverit supplicando ei ut sineret eum vivere iuxta velle suum, alioquin contristaret [2] eum, dixit se nichil scire. Quantum est de suasione sibi facta pro sacris ordinibus suscipiendis a Papa, dixit se nichil scire. Credit tamen quod suasionem, que videbatur pompam et mundi vanitatem sapere, contempsit. Credit eciam quod ordines cum omni humilitate recepit, licet non viderit, ut dixit. Interrogatus si renunciavit temporali patrimonio et iuri primogeniture et regno, dixit se nichil scire, nisi per famam publicam et per ingressum postmodum religionis fratrum Minorum et professionem factam in manu domini Portuensis, tunc generalis Ministri, in presencia plurium Fratrum eiusdem Ordinis, ut dixit. *f. 8

Capitulum xxiij. Super vigesimo tercio capitulo quod incipit: *Existens in castro Ovi* etc. [3] diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit omnia contenta in eodem capitulo esse vera. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ipse tunc erat socius dicti domini Ludovici, et continuo erat in domo sua et predicta audiebat et videbat quasi continue. Interrogatus in quibus libris studebat ante horam predictam, dixit quod quandoque in Biblia, quandoque in questionibus theologie et aliis libris, prout sibi placebat, quia multos libros habebat. Interrogatus cum quibus conferebat in materia theologica, philosophica seu morali, dixit quod cum fratribus Minoribus sociis eiusdem domini Ludovici, et cum fr. *Ricardo* de Mediavilla magistro in theologia, et cum aliis viris religiosis et secularibus litteratis venientibus ad eum; et ipse testis continue erat pre-*sens, vel quasi, in istis collacionibus et disputacionibus, ut dixit. *f. 9

Capitulum xxiiij. Super vigesimo quarto capitulo quod incipit: *Post collacionem vero* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, videlicet an post predictam collacionem, antequam dormiret, ingressus cameram suam de cantu gregoriali disceret,

[1] Cod. *quod.* [2] Cod. *contristaretur.* [3] Cod. add. *et.*

dixit quod sic. Interrogatus an postmodum, non super lectum, sed super cathedram quiesceret, dixit se nichil scire. Cantum autem adiscebat a quodam clerico suo, cuius nomen ignorat, ut dixit.

Capitulum .xxv. Super vigesimo quinto capitulo quod incipit: *Postmodum autem* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit quod in dicto claustro vidit prefatum dominum Ludovicum cum libris aliquando stantem et ibidem studentem. Interrogatus de loco, dixit quod in castro Ovi. Interrogatus in quibus libris, credit quod in libris supra per ipsum testem in alio capitulo nominatis et in illis in dicto capitulo comprehensis [1]. Interrogatus si hoc continuabat ocium evitando, dixit quod sic. Nec vidit hominem qui minus ocia sectaretur, ut dixit.

Capitulum .xxvj. Super vigesimo sexto capitulo quod sic incipit: *Et si quando fatigatus erat a studio* etc. diligenter interrogatus, dixit quod non vidit dictum dominum Ludovicum sarcellantem in orticello illo; tamen in orto fuit et sarcellum tenuit et vidit, cum quo dicebatur operari dominus Ludovicus. Interrogatus de orto, in quo loco erat, dixit quod Neapoli, in loco qui dicitur castrum Ovi, propinquo claustro predicto, ut dixit.

Capitulum .xxvij. Super vigesimo septimo capitulo quod sic incipit: *Quamdiu fuit in ipso castro* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse contenta in eodem capitulo. Interrogatus de sciencia, dixit quia ita vidit, et ipse testis erat unus de illis quatuor, et duo erant superius nominati, et quartus erat fr. *P(etrus)* Cocardi, nunc episcopus Troianus [2]. Interrogatus quanto tempore fuit dictus dominus Ludovicus illo tunc in dicto castro Ovi, dixit quod duobus mensibus postquam venit, testis qui loquitur, ad eum. Et in castro Novo tribus mensibus vel circa, ut sibi videtur.

Capitulum .xxviij. Super vigesimo octavo capitulo quod sic incipit: *Continue preterea erat in eius mensa lectio* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, 9b dixit quod continue erat lectio * edificacionis in mensa domini Ludovici, dum ipse testis fuit cum eo, ut sibi videtur. Interrogatus an postquam fuit presbiter dominus Ludovicus consuevit esse solus ultra unius leuce spacium in loco in quo consuevit habere capellam suam private, post horam Completorii, dixit quod sic, eciam ultra illud spacium. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita vidit, credens esse certus, ex operibus suis et devocione, quod oracioni tunc et contemplacioni vacabat. Interrogatus quanto tempore vidit predicta, dixit quod quamdiu fuit in castro Novo usque ipse dominus Ludovicus fuit assumptus in episcopum Tholosanum.

Capitulum .xxix. Super vigesimo nono capitulo quod incipit: *Sic erat devocioni et studio deditus* etc. diligenter interrogatus, dixit quod dictus dominus Ludovicus sic [3] parum de se curare videbatur et sic erat devocioni et oracioni deditus, quod quandoque surrexit de mensa nesciens si bibisset. Interrogatus quomodo scit, dixit quod ita dixerat sibi semel dominus Ludovicus, quod nesciebat si biberat in mensa.

Hic incipit tangere capitula aliqua de hiis que contigerunt postquam dominus Ludovicus fuit factus episcopus Tholosanus.

Capitulum .xxx. Super trigesimo capitulo quod sic incipit: *Consequenter quoque cum summus Pontifex providisset de ipso absente ecclesie Tholosane* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit illa que continentur in eodem

---

[1] Cf. cap. XXIII. [2] Troia, in Italia inferiori. [3] Cod. *sicut*.

capitulo esse vera. Interrogatus de sciencia, dixit idem testis quod ipse, audita provisione facta eidem domino Ludovico de episcopatu Tholosano, volentibus aliis Fratribus sociis predicti domini Ludovici, proposuit eidem domino Ludovico inducens eum per multas raciones, quod predicte provisioni de ipso facte ecclesie Tholosane deberet consentire. Et tunc dominus Ludovicus respondit testi qui loquitur, ut in eodem capitulo continetur. Interrogatus de loco, dixit quod non recordatur de nomine loci. Interrogatus de nomine Pape, dixit quod dominus Bonifacius papa viij.

Capitulum xxxj. Super trigesimo primo capitulo quod incipit: *Eo vero in Pape constituto presencia* etc. diligenter interrogatus, respondit et dixit quod quantum est de inductione summi Pontificis sibi facta nichil scit, nisi per relacionem dicti domini Ludovici, * ut sibi videtur. Tamen quod habitum Ordinis Minorum receperit et pro- * f.
fessionem statim fecerit, dixit se scire, quia vidit et presens fuit in domo domini Ger(ardi) Sabinensis episcopi; professionem tamen fecit ibidem in manu domini *Ioannis* nunc Portuensis episcopi, tunc temporis generalis Ministri, antequam fieret episcopus Tholosanus. Et hec fuerunt facta Rome, ut dixit. De voto respondit superius xxij capitulo.

Capitulum xxxij. Super trigesimo secundo capitulo quod incipit: *Quem equidem habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera, hoc excepto quod nescit an dictus dominus Ludovicus portaret habitum occulte de mandato Pape usque ad festum in eodem capitulo contentum. Vidit tamen quod portabat occulte continue et iacebat cum eo. Et in festo beate Agathe, cum ipse dominus Ludovicus celebraret Missam in domo fratrum Minorum in Capitolio, venerunt domini *Matheus* Portuensis episcopus et dominus Iacobus nepos dicti domini Pape, cardinales, et dixerunt domino Ludovico quod dominus Papa relinquebat eum voluntati sue super publica portacione habitus. Et ex tunc, finita Missa, habitum suscepit et publice portavit, nec voluit patris sui, qui erat presens in Urbe, expectare licenciam super hoc vel assensum, cum dominus P(etrus) de Ferraria multum fortiter induxisset eum quod nullo modo faceret sine licencia patris, sicut ipse testis asserit se vidisse et eciam audivisse, ut dixit.

Capitulum xxxiij. Super trigesimo tercio capitulo quod incipit: *Ex tunc supra humanum modum se a risu cohibuit* etc. [1] diligenter interrogatus, dixit quod non solum ex tunc, sed nec ante vidit dictum dominum Ludovicum dissolute ridere nec verbis vanis vel superfluis intendere, nec vestibus curiosis uti, nec istriones admittere; nec erant in domo sua, nec in mensa, nec extra, ut dixit.

Capitulum xxxiiij. Super trigesimo quarto capitulo quod incipit: *De canibus et avibus venaticis* etc. diligenter interrogatus, dixit quod nunquam vidit quod dominus Ludovicus aliquod genus canum vel avium in domo vel camera sua reciperet vel teneret. Cetera vero in eodem capitulo contenta dixit esse vera, * preterquam *
de illis tribus pauperibus, de quibus dixit se nichil scire. Interrogatus quomodo scit predicta, dixit quia ita vidit, sicut continetur in ipso capitulo.

Capitulum xxxv. Super trigesimo quinto capitulo quod incipit: *Veniens Parisius centum pauperes induit* etc. diligenter interrogatus, dixit quod de scutellis vidit quod eas lavit in domo fratrum Minorum cum aliquibus magistris et in die predicta. De pauperibus credit esse verum, et fama erat in domo domini Ludovici; tamen ipse non vidit, ut dixit [2].

---

[1] Cod. *etc. cohibuit.* [2] Cod. add. *Sequitur aliud etc.*

Capitulum xxxvj. Super trigesimo sexto capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire. Dixit tamen quod magnam habebat curam de pauperibus, sicut ipse continue videbat.

Capitulum xxxvij. Super trigesimo septimo capitulo quod incipit: *Semel cum eius soumerii non venissent* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire pro certo. Sed videtur sibi et credit ita fuisse verum, sicut in eodem capitulo continetur.

Capitulum xxxviij. Super trigesimo octavo capitulo quod incipit: *Cum in crastinum* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire pro certo, sed credit ita verum esse, prout in eodem capitulo continetur.

Capitulum xxxix. Super trigesimo nono capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. respondit et dixit vera esse que in eodem capitulo continentur. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita vidit et audivit, adiciens quod semel unum repulit, de cuius nomine non recordatur, pro eo quod sufficienter non respondit de contentis in eodem capitulo. Dixit eciam quod, non obstante suo labore et sociorum suorum, quandoque eciam solempniter celebrabat, licet alias continue celebraret.

Capitulum xl. Super quadragesimo capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est, et ipse fuit presens; et ipse testis et alii Fratres socii domini Ludovici dissuadebant [1] sibi quod
10a non celebraret cum * indumentis eisdem; tamen non recordatur quod dominus Ludovicus dixerit illa verba, scilicet, quod accepciora erant Deo quam magis preciosa. De nomine loci dixit quod non recordatur, sed fuit in comitatu de Palhars [2], ut sibi videtur.

Capitulum xlj [3]. Super quadragesimo primo capitulo quod incipit: *In eodem eciam viagio* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non erat presens quando dominus Ludovicus visitavit infirmam; sed in regressu ad domum ipse qui loquitur audivit per dictum dominum Ludovicum et socios loquentes de visitacione illius infirme mulieris, et quomodo invitaverat eam de confessione, et quomodo ibi existens pediculos receperat de lecto mulieris, sicut ipsi dicebant. De loco vero non recordatur; dixit tamen quod fuit in comitatu Fluxensi [4].

Capitulum xlij. Super quadragesimo secundo capitulo quod incipit: *Cum iret Parisius* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire, nisi per relacionem fide dignorum. A quibus audivit, dixit se non recordari.

Capitulum xliij. Super quadragesimo tercio capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere penitus voluit* etc. diligenter interrogatus, et primo super primo membro ipsius capituli de voluntate cedendi episcopatui, dixit quod dominus Ludovicus cessisset [5] si dominus Papa cessionem suam admittere voluisset. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita audivit a dicto domino Ludovico. Super secundo membro eiusdem capituli interrogatus, dixit verum esse quod in eo continetur. Interrogatus quomodo scit, dixit quod pro eo quod, quamdiu dominus Ludovicus fuit episcopus, testis qui loquitur morabatur cum eo et continuo quasi equitabat cum eo, et non vidit eum equitantem palafredum nec equum, ut dixit.

Capitulum xliiij. Super quadragesimo quarto capitulo quod incipit: *Suadentibus sibi Fratribus* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire quantum est de magistrando Parisius.

---

[1] Cod. *dissuadebat.* [2] Pallas, prov. Ilerdae in Catalaunia. [3] Deest in Cod. haec Capitulorum inscriptio usque ad cap. LIII incl. [4] Foix. [5] Codex *cecisset.*

Capitulum xlv. Super quadragesimo quinto capitulo quod sic incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita * vidit dum erat socius domini Ludovici, addiciens predictis quod, cum ipse qui loquitur et alii Fratres domini Ludovici portarent cappas ex[c]essivas et nimis longas, ut sibi videbatur, precepit eis quod deponerent eas; et ex tunc cessaverunt portare, ut dixit. * f. 1

Capitulum xlvj. Super quadragesimo sexto capitulo quod incipit: *Frequenter in secreto satagebat Fratribus sociis suis obsequiosus existere* etc. diligenter interrogatus, dixit quod semel eis ministravit potum, et libenter eos visitabat quando erant infirmi. De aliis dixit se nichil scire.

Capitulum xlvij. Super quadragesimo septimo capitulo quod incipit: *Sepe visitabat hospitalia pauperum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod in visitacionibus talibus non fuit presens, quod recordaretur.

Capitulum xlviij. Super quadragesimo octavo capitulo quod incipit: *Semel cum indigeret habitu* etc. diligenter interrogatus, dixit [quod], quando dictus dominus Ludovicus primo receperit [1] habitum sui Ordinis, accepit et portavit habitum fr. *Francisci* socii sui, quem, ut credit, idem fr. *Franciscus* fere per annum portaverat, et cum illo indutus fuit. Interrogatus quomodo scit predicta, dixit quia vidit. Alia contenta in eodem capitulo credit fore vera, ut dixit.

Ista sunt capitula que respiciunt tempus infirmitatis dicti domini Ludovici usque ad mortem.

Capitulum xlix. Super quadragesimo nono capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera. Interrogatus quomodo scit, dixit quod erat presens: fuit dyaconus suus in illa Missa. Dixit eciam quod nunquam vidit ipsum turbatum quamdiu fuit cum eo, nec actus impacientis facere, nec verba dicere que possent impacienciam denotare, ut dixit.

Capitulum l. Super quinquagesimo capitulo quod incipit: *Devotissime suscepit in morbo Corpus dominicum* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera; et ipse qui loquitur voluit parare locum domino Ludovico, et ipse non permisit; sed flexis genibus extra lectum exiens, Corpus dominicum re-*verenter et devotissime suscepit. Interrogatus de presentibus, dixit quod ipse qui loquitur et fr. *Petrus* Scarrerii, socii domini Ludovici; de aliis non recordatur, ut dixit. * f. 1

Capitulum lj. Super quinquagesimo primo capitulo quod incipit: *Licet autem de consilio et dispensacione summi Pontificis* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire de contentis in eodem capitulo; tamen bene audivit, ex relacione fide digna, contenta in ipso capitulo esse vera. De nominibus illorum a quibus audivit, dixit quod non recordatur, nisi de domino episcopo Foroiuliensi qui nunc est.

Capitulum lij. Super quinquagesimo secundo capitulo quod incipit: *Dum die quodam a morbo craticasse et curatus fore a medicis crederetur* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera, hoc excepto quod non audivit quando predictus Frater peciit a dicto domino Ludovico licenciam de recedendo, nec responsionem quam sibi dominus Ludovicus dicitur fecisse dicto Fratri. Interrogatus

---

[1] Sic.

quis erat ille Frater, dixit quod fr. *Raymundus* Gauffredi magister in theologia, qui dixit sibi postea quod ita responderat ei.

Capitulum liij. Super quinquagesimo tercio capitulo quod incipit: *Per biduum vel triduum* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera. Et ipse testis qui loquitur fuit ille qui presentavit sibi crucem, ut dixit; et predicta dixit se scire, quia presens erat.

Sequitur aliud capitulum, scilicet liiij. Super quinquagesimo quarto capitulo quod incipit: *Hoc eodem in crastinum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod credit contenta in eodem capitulo esse vera, pro eo quia audivit a domino episcopo Foroiuliensi, qui dicebat se fuisse presentem in predictis, ut dixit. Et illam repeticionem laudabilem credit intelligi de cruce, quam ipse testis primo sibi aportaverat, et per eum devotissime adorata, et iterum portavit, et tunc similiter adoravit devote, ut dixit. Interrogatus de die transitus dicti domini Ludovici, dixit quod circa crepusculum diei festi beati Bernardi [1] aggravatus fuit morbus ipsius, et tunc, sacramento extreme Unctionis devote suscepto, prima noctis vigilia appropinquante finivit; et ipse qui loquitur erat presens cum multis aliis. Dixit eciam idem qui loquitur, quod, quamquam dominus Ludovicus esset tantus prelatus, tantus homo et filius *10a* tanti regis, cum laboraret in agonia * non potuit habere de omnibus vasis suis argenteis unam tassam nec unum cloquear, cum quo ministraretur sibi aqua vel vinum ad lavandum os suum; sed oportuit ut haberet comodatam tassam unam a quodam familiari suo. Nec potuit habere de suis femoralia vel lumbare; unde [2] oportuit quod unus socius suus traderet femoralia sua, que habebat munda, cum quibus fuit sepultus, et lumbare fuit sibi factum de una corda cum qua claudebatur et aperiebatur una fenestra. Et cum difficultate maxima potuerunt habere paramenta episcopalia ad sepeliendum eum, ut dixit. Credit tamen et supponit quod hec omnia de istis deffectibus dominus rex eius genitor ignorabat. Interrogatus de loco in quo decessit, dixit quod Brinonie in palacio regis.

Capitulum lv [3]. Super quinquagesimo quinto capitulo quod incipit: *De predictis autem omnibus est publica vox et fama* diligenter interrogatus, dixit quod de predictis est publica vox et fama in locis illis in quibus conversatus fuit dominus Ludovicus, et maxime apud graves personas; exceptis hiis in quibus supra positis capitulis dixit se nichil scire et nichil credere.

Dixit eciam testis qui loquitur quod dictus dominus Ludovicus habuit et tenuit humilitatem ad Deum et ad proximum et ad seipsum.

Interrogatus quomodo ad Deum, dixit quod antequam esset episcopus, factus tamen sacerdos, celebrabat omni die fere sine aliquo [4] sociorum, premissa confessione secreta, et aliquando cum paramentis non propriis multum inmundis et non decentibus dum erat episcopus. Et eciam post multos labores et multam fatigacionem itineris, quam passus fuerat equitando, humiliter celebrabat. Et per totam viam qua venit de Neapoli usque Parisius, eundo de Neapoli Parisius et de Parisius veniendo Tholosam et de Tholosa intrando Cathaloniam et de Cathalonia redeundo in Provinciam, fere Missam cotidie humiliter celebrabat. Et cum fuit episcopus Tholosanus, existens in suo episcopatu, licet per modicum tempus, ordines sabbato post *11a* festum Penthecostes celebravit in * cathedrali ecclesia Tholosana. Et eodem tempore

[1] Idest, 20 augusti. [2] Cod. *uno*. [3] Deest in Cod. [4] Cod. *aliqua*.

episcopatus sui ecclesiam beate Marie Deaurate Tholose reconcilavit. Postmodum, eodem anno, transiens ad videndum sororem suam reginam Aragonie, committante episcopo Barchilonensi [1] ecclesiam fratrum Minorum Barchilonensem consecravit. Et in eadem civitate Sorores sancte Clare benedixit. Et in via predicta diversis locis clero et populo pluries predicavit. Et existens Parisius in die Parasceve vel die iovis sancta, predicavit clero in claustro fratrum Minorum Parisiensium in habitu simplici fratris Minoris sine alio habitu solempni, et cum esset sibi positum tapetum in loco ubi debebat predicare, causa honoris, ipse causa humilitatis fecit inde amoveri. Et sabbato Penthecostes immediate sequenti ipse dominus Ludovicus celebravit et predicavit in domo fratrum Predicatorum Parisiensium et fecit Officium quod dies eadem requirebat. Et die sequenti Pasche celebravit in domo fratrum Minorum Parisiensium, et in sero in cena lavit parabsides dictorum fratrum Minorum Parisiensium. Et in hiis omnibus ipse qui loquitur fuit presens et occulis propriis vidit, ut dicebat; et multi alii Fratres in locione parabsidum et pretactis aliis actibus, scilicet in celebracione Missarum, ordinum et reconsiliacione et dedicacione ecclesie Barchilonie predicte et in aliis, fuerunt multi Fratres et eciam seculares. Item non solum in predictis se divinis mancipavit serviciis, sed eciam in communibus oracionibus, videlicet officiando et secretis oracionibus orando, aliquando de die, aliquando de nocte, legendo sacras litteras, eciam post multum laborem in via, eciam sacram lectionem audiendo in mensa, et studendo vel legendo in Biblia vel in aliis libris edificacionis et devocionis diligenter, dum erat in camera vel in domo propria. Et in tantum habuit Deum in reverencia et timore, quod nunquam credit eum peccasse mortaliter, ut dixit. Et tamen dixit quod certus est quod numquam vidit eum aliquid agere, quamdiu fuit cum eo per annum vel * circa, quod de genere actus esset peccatum mortale. * f. 1

Item interrogatus idem fr. *Guillelmus* lector quomodo tenuit humilitatem ad proximum, dixit quod vidit omni die fere, ex quo fuit ad episcopatum Tholosanum promotus et fuit in episcopatu suo, quod xxv pauperes alebat, quibus, antequam commederet, infundebat aquam ad lavandum manus, et postea mensa parata pro eis et eis in mensa sedentibus, panes eis scindebat flexis genibus et manu propria ministrabat parabsides et pictanciam eisdem. Dixit eciam idem qui loquitur quod quadam die, cum esset dictus dominus Ludovicus in camera sua Brinonie cum tribus fratribus Minoribus, fuit aportatum vinum, et ipse dominus Ludovicus recepit et potum dictis Fratribus sociis suis ministravit. Preterea dixit ipse qui loquitur, quod tam superioribus quam paribus quam inferioribus humiliter deferebat, ita quod exeundo inter socios non videbatur dominus in aliquo, sed sicut unus ex sociis suis et eciam eorumdem sociorum humilior, ut dixit.

Item interrogatus idem fr. *Guillelmus* lector quomodo humilitatem tenuit ad se ipsum, respondit quod in vestibus non preciosis, non pomposis, sed coloris humilis, et talibus vel similibus utebatur communiter, maxime ex quo fuit factus frater Minor et episcopus Tholosanus. Dixit eciam quod non equitabat equos nec palafredos, sed habebat duos vel tres muletos, quibus utebatur pro se, et quibus Fratres socii sui, qui equitabant cum eo alternis vicibus, utebantur; nec ornamenta habebat pro animalibus curiosa, sed simplicia. Dixit eciam quod in stramentis lecti sui humillime

---

[1] Cod. hic et paulo inferius *Bartholomensi* et *Bartholomensem*.

se habebat. Et ex tunc, ex quo ipse fuit factus frater Minor et episcopus, semper cum habitu suo iacuit. Et ut plurimum utebatur vasis ligneis ad comedendum et ciphis vitreis ad bibendum, licet alii familiares sui vasis argenteis communiter uterentur. Preterea dum, factus episcopus, semel vocaretur a Papa, ivit dominus Ludovicus de hospicio suo usque ad sanctum Petrum peditando, nec voluit equitare, et 11c in habitu sinplici fratris Minoris; et illud hospicium, in quo mora-*batur tunc, fuerat domini Benedicti quondam cardinalis et nepotis domini Bonifacii pape. Cum tamen intravit ad Papam assumpsit unum mantellum more episcopali, de beguino tamen. Dixit eciam quod semel dum ipse qui loquitur diceret dicto domino Ludovico quod adhuc quereret helemosinas, ipse respondit quod per Deum libenter quereret, nisi ascriberetur sibi ad simulacionem et ypocrisim. Nec extollebatur vel afferebatur mundanis favoribus vel honoribus, quin pocius fugiebat. Et hoc apparuit quia episcopatum non sponte recepit, primogeniture regni renunciavit, et eciam voluit renunciari episcopatui, sed Papa noluit acceptare; et cum dolore cordis retinebat, ut dixit. Interrogatus super hiis de causa sciencie, dixit quod ab eo audivit. Dixit eciam testis qui loquitur, quod in modis suis vel gestibus nullam superbiam, nulla verba iactancie nec de sanguinis sui altitudine nec de aliis ostendebat, nec de suis parentibus vel affinibus vel coniunctis in modum alicuius iactancie loquebatur, nec eciam de se ipso, ita quod in omnibus sermonibus suis et actibus et exemplis sola humilitas promebatur. Interrogatus in quibus et cum quibus personis, dixit ut supra. Interrogatus cuius etatis erat eo tempore quando talia faciebat, dixit quod erat xxijorum annorum vel circa. Ista vidit pro illo tempore; sed audivit a solempnibus viris religiosis et secularibus et aliis, et fama est indubitabilis, quod ipse ab infancia in humilitate crevit et in humilitate finivit, sicut ipse vidit, qui fuit presens in morte sua, ut dixit. Interrogatus an humilitas predicta ex discrecione procederet an ex animi simplicitate, dixit quod ex mera discrecione et puritate animi et zelo Dei. Interrogatus de sciencia predictorum, dixit quod predicta principaliter vidit, preterquam illa que dixit superius de credulitate et de auditu aliorum fide dignorum.

Interrogatus super innocencie puritate, et primo in quibus habuit innocencie puritatem, dixit et respondit quod dominus Ludovicus nec sibi nocuit per aliquam maliciam vel inordinatam conscienciam, nec proximo per ling[u]am detractivam vel 11d iniuriam vel contumeliam aliquam, nec * permittebat quod aliqui de domo sua alicui iniuriarentur vel nocerent. Et supponit et credit simpliciter quod innocentia baptismalis duravit in eo sine macula, quamdiu vixit.

Interrogatus quo[modo] servavit austeritatem penitencie, dixit quod multa ieiunia, ultra consueta fieri in Ordine, faciebat, et quod portabat staminea[m] grossam ad carnem et quod semper iacebat cum ea. Et audivit dici quod occulte et latenter eciam cum catenulis ferreis flagellabat carnem.

Interrogatus testis qui loquitur quomodo dictus dominus Ludovicus servavit pacienciam in adversis, dixit quod ipse frequenter audiebat adversitates in mari et in terra, que gentibus patris sui inferebantur, quibus auditis in nullo videbatur moveri, sed elevatis oculis in celum benedicebat Deum. Et quandoque multas malas molestias verbales pacienter sufferebat.

Interrogatus quomodo servavit honestatem et caritatem ad proximum, dixit quod honestatem habuit in habitu, in incessu et in affatu, et breviter in omnibus actibus et verbis suis. Habuit eciam caritatem ad proximum, quia ubi videbat infir-

mitates et oppressiones eorum, visitabat eos et eis libenter subveniebat in indumentis, in cibis et aliis necessitatibus eorundem, ministrando eis personaliter, infundendo aquam manibus et panem scindendo flexis genibus, sicut ipse vidit frequentissime premissa, ut dixit.

Interrogatus quomodo dominus Ludovicus servavit pietatem et devocionem ad Deum, dixit quod notabiliter fuit devotus ad Deum, in tantum quod videbatur totum se divino servicio dedicasse, sicut apparebat in frequenti celebracione Missarum, quas devotissime et quasi cotidie celebrabat, semper sacramentali confessione premissa. Dixit eciam quod in comedendo et bibendo et in loquendo et in habitu et in incessu et breviter in omnibus actibus et gestibus suis sobrietatem et modestiam tenuit et servavit. Et mundi pompam et solacium omnino contempsit, et in omni perfectione * videbatur esse, et erat perfectus in quantum humana fragilitas nosce[re] licuit. Dixit eciam quod dictus dominus Ludovicus fuit discretus in spiritualibus et prudens in temporalibus, ita quod simplicitas columbina et prudencia serpentina simul fuerunt in eo. * f.

Dixit eciam quod de predictis, et quod Deus faciat et fecerit multa miracula pro eo, est publica vox et fama Massilie et in Provincia et in Francia et in Cathalonia et in Sicilia et in aliis locis et regionibus in quibus conversatus fuit dominus Ludovicus, et in locis predictis tenent eum pro sancto, et ipse credit et tenet pro firmo quod sit sanctus et quod propter sanctam et perfectam vitam, quam ipse habuit et tenuit quamdiu superfuit in hoc mundo, Deus debeat facere miracula pro eo, ut dixit. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod communiter a pluribus dicitur.

Dixit eciam quod non in favorem seu in elevacionem Ordinis fratrum Minorum, aut prece vel precio, timore vel amore ita deposuit in predictis; sed pro eo quia de eis veritas sic se habet.

Secundus testis super vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani.

Bermundus de Roca domicellus, Uticensis [1] diocesis, testis iuratus et diligenter interrogatus, et primo:

Capitulum j [2]. Super primo capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit quod dictus dominus Ludovicus existens in etate sex vel septem annorum erat sub disciplina et correccione domini Guillelmi de Maneccio, Reynardi militis de Normannia, et alii fratres sui, scilicet dominus Robbertus et dominus Raymundus Berengarii. Et dictus miles docebat eos in honestate morum et retrahebat eos a vicio [3] et turpiloquio, et omnes familiares qui erant iuxta eos dictus miles multum reprimebat et retrahebat ne verba turpia vel indecencia dicerent coram eis, ne dicti pueri audientes talia in cordibus suis imprimerent. Interrogatus qui essent isti mores in quibus informabantur, respondit quod humiliter vi-*vere, Deum diligere et quod bonos homines venientes ad eos decenter reciperent et honorarent. Et docebat eos equitare. Et ab omni actu illicito non solum opere sed eciam signo retrahebat eos; et quando excedebant in aliquo, cum virgulis interdum et quandoque cum palma corrigebat eos. Dixit eciam quod rex qui nunc est, tunc temporis princeps, dictum militem dederat domino Ludovico et aliis fratribus, ut secundum suum statum in predictis et aliis *

[1] Uzés. [2] Deest in Cod. inscriptio I et II capitulorum. [3] Cod. *ml'to*.

bonis operibus secundum honestatem et decenciam docerentur. Dixit eciam idem testis quod dicti pueri habebant duos honestos sacerdotes qui alternis [1] diebus et vicibus Missam eisdem cotidie celebrabant, quorum unus vocabatur P(etrus) Debria et alius Philippus Normanni; in qua Missa ipsi pueri secundum suam etatem tacite et honeste se habebant. Et illi sacerdotes docuerunt dominum Ludovicum alphabetum et *Pater noster* et *Ave Maria* et *Credo in Deum* et septem psalmos. Et predicta dixit se vidisse et audivisse testis qui loquitur, ut dixit. Dixit eciam quod processu temporis habuerunt dicti pueri quemdam clericum vocatum Iohannem de Bymaret, qui docebat eos in libris gramaticalibus et logicalibus, sicut tunc audivit dici. Interrogatus quanto tempore predicti pueri fuerunt sub correctione dicti militis, dixit quod per sex annos vel circa. Interrogatus quanto tempore dictus Iohannes de Bymaret fuit cum dicto domino Ludovico et ipsum docuit, dixit quod per sex annos et ultra. Interrogatus cuius etatis erat dominus Ludovicus quando fuit in obsidatum per dictum patrem suum missus, dixit quod erat xiijcim annorum vel xiiijcim. Interrogatus quanto tempore fuit in obsidatu, dixit quod per septem annos vel circa. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita vidit, et stetit per quatuor annos in obsidatu predicto cum eis, et ante obsidatum steterat cum eis per sex annos cum dimidio.

2c *Capitulum ij.* Super capitulo quod incipit: *In primo namque sue iuventutis * flore* etc. diligenter interrogatus, dixit testis qui loquitur, quod ipse fuit in obsidatu per iiijor annos primos post ingressum obsidatus cum dicto domino Ludovico, et vidit quod, audita de mane Missa singulis diebus, fratres Minores remanebant cum dicto domino Ludovico in dicta capella et docebant eum usque ad horam prandii. Et illo anno primo parum audivit eum loquentem latinum; secundo anno audivit ipsum sepius loquentem latinum; tercio et quarto anno audivit dictum dominum Ludovicum disputantem cum dictis fratribus Minoribus magistris suis, videlicet fr. *Francisco* et fr. *Petro*. De facultate vel sciencia dixit se nichil scire testis qui loquitur, cum sit laycus. Et in fine quadriennii [2] idem qui loquitur recessit ab obsidatu; et remansit ibi dominus Ludovicus et fratres sui adhuc per triennium. Et postquam exivit de obsidatu in fine septennii dominus Ludovicus, testis qui loquitur vidit ipsum clero et populo publice predicantem in Monte Pessulano, et postea in Curia romana, coram domino papa Bonifacio et Cardinalibus presentibus cum magna multitudine prelatorum. Et nichilominus vidit hoc eciam pluries in diversis locis et in Francia et Cathalonia, ubi iverat pro reformanda pace inter sororium suum regem Aragonie et comitem Fluxi, inter quos tunc erat guerra gravis. De aliis in eodem capitulo contentis, dixit se nichil scire.

Capitulum iij. Super capitulo quod incipit: *Set et tunc in obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire de oracione, si vacabat, cum sit laycus. Interrogatus de horis quibus vacabat studio, dixit ut supra in capitulo precedenti, adiciens quod post commestionem vacabat studio, et per magnam horam, cum dictis magistris suis; et predicta scit [3] quia vidit, ut dixit.

Capitulum iiij. Super capitulo quod incipit: *Sic fugit consorcia mulierum* etc.
2d diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse * [4] vera pro illo tempore obsidatus quo fuit cum eo. Ante tempus vero obsidatus dixit quod quandoque vidit quod nutrices germanorum suorum veniebant cum eis ad locum ubi comedebat

[1] Cod. *alterius (alt'is).* [2] Cod. *quadriannii.* [3] Cod. *scint.* [4] Cod. repetit *esse.*

dominus Ludovicus, et multum moleste gerebat. Dixit eciam quod nunquam vidit dominum Ludovicum solum cum aliqua muliere, nec eciam cum sorore, ut dixit. Vidit tamen ante obsidatum quod alique magne, quia nobiles, mulieres veniebant ad eum et fratres suos visitandos cum maxima comitiva, et modicum morabantur cum eis. Dixit eciam quod ante obsidatum vel in obsidatu non vidit quod iret ad aliquas moniales vel ad loca earum causa predicacioni[s] vel alias. Post tamen obsidatum vidit quod dominus Ludovicus ivit ad monasterium Dominarum que sunt Aquis et ibi predicavit eo presente, et in monasterio de Sella Aquensis diocesis, et Neapoli in domo monialium sancti Petri. Postquam tamen fuit factus episcopus vidit eum in monasteriis diversis monialium predicare et salubria monita eis dare, ut dixit.

Capitulum v. Super capitulo quod incipit: *Divinis intentus Officiis* etc. diligenter interrogatus, dixit quod Horas suas et Missam dicebat cum fratribus Minoribus predictis. Quod Officium, quos psalmos dicebat, ipse nescit; set tamen prolixius dicebat quam ipse vellet. De aliis [1] contentis in eodem capitulo dixit se nichil scire.

Capitulum vj. Super capitulo quod incipit: *Missas audiebat devotissime* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera, adiciens quod ipsum sepe invenit in capella prostratum in terra extensis brachiis ad modum crucis, videlicet tribus vel quatuor vicibus. Et vidit eciam ante Missam eum stare cum confessore suo ad partem frequenter, et credit quod tunc confiteretur. Dixit eciam quod cum invenisset eum ita prostratum, retulit hoc testis qui loquitur fr. *Guillelmo* de Falgario ma-*gistro in theologia et socio tunc domini Ludovici, et idem fr. *Guillelmus* que audiverat a teste qui loquitur, quod sic invenerat eum, dixit dicto domino Ludovico; et ipse habuit pro malo quando audivit, et inhibuit dicto testi quod de cetero, cum inveniret capellam clausam, non aperiret eam quandiu ipse dominus Ludovicus esset intus. *f. 1

Capitulum vij. Super capitulo quod incipit: *Displicebat sibi dum erat in mensa colloqui* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera, et ita audivit et frequenter et continuo, prout in eodem capitulo continetur.

Capitulum viij. Super capitulo quod incipit: *Sermonibus libenter intererat* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum quod in eodem capitulo continetur, et ita per tres annos vidit, cum fuit cum domino Ludovico in obsidatu predicto.

Capitulum ix. Super capitulo quod incipit: *Verba inhonesta loqui et audire vitabat* etc. diligenter interrogatus, dixit idem quod in supra proximo capitulo [2], et pluries reprehendit testem qui loquitur et alios familiares suos, quando cantabant per vias cantilenas seculares; sed quando cantabant de Deo et beata Virgine et de Sanctis, libenter audiebat. Et predicta scit, quia vidit et audivit, ut dixit.

Capitulum x [3]. Super capitulo quod incipit: *Erat in cibo et potu multum sobrius* etc. diligenter interrogatus, dixit quod in cibo et potu multum sobrius erat [4], tantum quod cum cibus esset pro ipso paratus, valde modicum comedebat et residuum pauperibus mittebat ad hospitale sancti Elogii Neapolitani, quod visitabat communiter ter in septimana cum morabatur ibidem; et licet esset ibi magnus fetor et quodammodo intollerabilis, ita quod familiares sui et sequaces vix poterant sustinere, dictus tamen dominus Ludovicus dicebat familiaribus suis se non sentire fetorem predictum. Et in exitu predicti hospitalis precipiebat secrete, ut dixit, helemo-*sinario suo quod daret *f.

[1] Cod. *illis*. [2] Cod. bis *capitulo*. [3] Deest in Cod. [4] Cod. ē = *etiam*.

helemosinam ipsis pauperibus, prout sibi placebat. Super secundo membro eiusdem capituli dixit verum esse quod continetur in eo, et in persona sua accidit, ut dixit, quod eidem qui loquitur displicebat quia oracionibus et devocionibus et studio tantum erat intentus.

Capitulum xj. Super capitulo quod incipit: *Crebris atterebat corpus suum in pane et aqua ieiuniis* etc. diligenter interrogatus, dixit quod vigilias beate Marie ieiunabat in pane et aqua, et aliquorum Apostolorum et sancti Laurencii et quorundam aliorum Sanctorum, et continue in sexta feria, excepto mense augusti, in quo propter maliciam aquarum desistebat et bibebat vinum. Interrogatus quanto tempore vidit predicta, dixit quod fere per triennium postquam exivit de obsidatu usque ad mortem. Super secundo membro eiusdem capituli interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitulum xij. Super capitulo quod incipit: *Erat sibi magnum esse cum secularibus tedium* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera. Interrogatus quomodo scit, dixit quia continuo videbat cum eo religiosos et litteratos viros socios suos fratres Minores et alios. Et quando nobiles vel milites veniebant vel domicelli, ortabatur eos quod non conculcerent gentes nec gravarent, sed quod servirent Deo et Ecclesie in officio suo, et quod bene poterant salvare animas [1] suas; et rarissime invitabat vel retinebat aliquos ad prandium seculares. Interrogatus quanto tempore vidit predicta, respondit ut supra proximo capitulo precedenti.

Capitulum xiij. Super capitulo quod incipit: *In libris contemplacionis et devocionis* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse nescit in quibus libris profecit dictus dominus Ludovicus; sed quod cotidie studebat, et frequenter beatum Bernardum in suis predicacionibus allegabat, et multos libros habebat, ita quod sex vel septem sommerii erant sibi necessarii pro libris suis portandis, quando ad loca remota se transferebat, ut dixit.

15c *Capitulum xiiij.* Super capitulo quod incipit: *Sic postremo * disposuit vanitates seculi fugere* etc. diligenter interrogatus, dixit se scire et per verba et per signa quod dominus Ludovicus vanitatem mundi et honores fugiebat et horrebat, et totum se Deo dabat, sicut apparebat. Sed quod in corde conceperit quod Ordinem intraret fratrum Minorum, nescit nisi quantum audivit a domino Raymundo fratre suo, ut dixit. De voto castitatis dixit se nichil scire.

Capitulum xv. Super capitulo quod incipit: *Semel uni leproso obvius* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire pro certo, sed audivi[t] dici a fr. *Francisco* socio dicti domini Ludovici, quod ita fuerat.

Capitulum xvj. Super capitulo quod incipit: *Ad conversionem quoque infidelium* etc. diligenter interrogatus, dixit quod bene vidit de iudeis, sed de sarracenis non; et unum iudeum fecit baptizari apud castrum de Syaurana [2] in Cathalonia, et Neapoli tres, et omnium ipsorum fuit patrinus idem dominus Ludovicus. Et frequenter disputabat cum iudeis de fide nostra et fide eorum, ut ipse testis qui loquitur dixit se vidisse et audivisse.

Capitulum xvij. Super capitulo quod incipit: *Sic iam in eo miseracio vigebat ad pauperes* etc. diligenter interrogatus, dixit quod libenter faciebat elemosinas et mandabat fieri, sed de pane quod ita proieceret pauperibus non vidit. De aliis in eodem capitulo contentis, dixit se nichil scire.

---

[1] Cod. *āzas.* [2] Sic.

Capitulum xviij. Super capitulo quod incipit: *Quidam Frater eius socius* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire de hiis que in eodem capitulo continentur. Dixit tamen quod ipse testis, qui multum assistebat ei, non vidit nec cognovit in eo defectos [1] aliquos qui essent reprehensione digni.

Capitulum xix. Super capitulo quod incipit: *Sed et cum Fratrem ipsum* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire pro certo de contentis in eodem capitulo.

Capitulum xx. Super capitulo quod incipit: *Eius denique magnitudo paciencie* etc. diligenter interrogatus, dixit quod de paciencia domini Ludovici mirabantur omnes, quomodo in tanto homine et tali iuvene poterat esse tanta paciencia. De doctrina vel informacione sue familie, quomodo bene viverent et honeste et ad sermones et Missam venirent et quod sibi a malo caverent, dixit esse verum; et ipse qui * loquitur * f. frequenter audivit et vidit. Et de illis qui erant desides in predictis dicebat magistro domus sue quod eos puniret, et frequenter ponebantur ad panem et aquam loco pene, et quando eciam [2] non corrigebantur, tunc ipse dicebat patri suo regi: « Domine, revocetis tales qui sunt boni ad arma et detis michi aliquos alios ». De precipitacione turris [3] dixit quod non audivit illud; sed bene audivit frequenter quod libenter vellet esse in predicacione fidei inter sarracenos vel iudeos et quod ibi pro fide Christi moreretur. Et audivit eciam ab eo dici quod, quando ipse et fratres sui fuerunt positi in cathenis ferreis in castro de Montecade et ipsi fratres sui viderentur timere, ipse dicebat quod non timebat propter hoc de morte sua, nec vultus suus ex hoc videbatur in stuporem vel diversa mutatus.

Capitulum xxj. Super capitulo quod incipit: *In obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus, dixit quod, quantum est in primo membro capituli, ipse non audivit nec suam piam intencionem circa contenta in eodem capitulo; set bene audivit a domino Raymundo Berengarii fratre suo quod ipse audiverat a domino Ludovico quod, si ipse posset bono modo exire carcerem, [4] libenter iret ad loca ignota et remota, ut liberius et humilius posset servire Deo. Quantum est de hoc quod crebro surgeret ad orandum, dixit quod bene vidit testis qui loquitur eum frequenter de nocte in lecto sedere indutum, sed non lectum exire; et bene audiebat eum tacite loquentem, sed non intelligebat, sed credit bene quod oraret; sed lectum non audebat exire dictus dominus Ludovicus propter custodes qui erant ibi, quos timebat. Et quamdiu fuit ibi in obsidatu iacuit in camisia vel in disployde. De cato quod ei oranti apparuerit ipsumque satageret invadere et quod ad signum Crucis disparuerit, dixit se nichil scire; set credit quod verum fuit, quia dominus Raymundus Berengarii, qui iacebat cum domino Ludovico fratre suo in eodem lecto, narravit ei qui loquitur et Helysiano [5] de Lamannone et Iohanni de Bagneus familiaribus dicti domini Ludovici. Dixit eciam quod ipse testis qui loquitur * iacuit in camera dicti domini Ludovici per tres annos * f. et ultra. Interrogatus ubi dominus Raymundus Berengarii dixit sibi predicta, dixit quod in urbe Romana, dicto domino Ludovico vivente.

Ista capitula que secuntur respiciunt tempus liberacionis et exitus obsidatus et antequam esset episcopus Tholosanus.

Capitulum xxij [6]. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter interrogatus, et primo si, postquam tonsuram habuit cle-

[1] Sic. [2] Cod. bis *eciam*. [3] Sic. [4] Cod. add. *quod*. [5] Sic. [6] Deest in Cod.

ricalem, portavit vel portare renuit pelles varias vel grisias, dixit quod in exitu Cathalanie [1] bene portabat et per Provinciam transeundo, propter mandatum patris, et illis pellibus usus est usque ad castrum quod dicitur Vicum [2] vel Viterbium, et ibi pelles illas et vestes omnino dimisit et pro Deo dedit, et accepit vestes de blanqueto quod dicitur de Norbona, tunicam et guardacorcium [3] et desuper unam cappam de [4] camelino beguino et de illo beguino habebat unum mantellum connexum ad pectus, et cum illo mantello comedebat. De staminea vel de fune quod portaret ad carnem, dixit se nichil scire; sed bene credit quod portaret aliquid, et hoc bene senciebat quod portabat aliquid durum, quando erat in ascensu sui muli vel descensu. Dixit eciam quod, postquam exivit de obsidatu, fratres Minores, scilicet fr. *Franciscus*, fr. *Petrus* et fr. *Forcius* continue iacebant coram domino Ludovico. Interrogatus quomodo scit quod iacerent coram eo, dixit quod frequenter vidit testis qui loquitur, quando portabat vinum domino Ludovico, quod ibi fiebant lecti Fratrum, et plus quia frequenter surgebat testis qui loquitur multum mane de mandato domini Ludovici alibi perrecturus et intrabat cameram dicti domini Ludovici et videbat Fratres in suis lectis iacentes. De discalciando vero dixit quod bene permittebat Heleazarum de Alamannone discalciare eum, donec pervenit apud castrum Ovi, Neapoli; ex tunc autem nullo modo
4b permisit. * Dixit eciam quod dominus Ludovicus bibebat cum cipho ligneo, non cum argenteo vel aureo, adiciens quod papa Bonifacius dederat sibi unam cuppam auream et cuilibet de dictis fratribus suis, scilicet domino Robberto et domino Raymundo Berengarii, cuilibet unam cuppam auream, qui comederunt illa die cum Papa. Et dixit testis qui loquitur, quod dominus Ludovicus de cuppa sua, in qua erant quinque marche et dimidia, fecit fieri quatuor calices. Et dum comedebat dominus Ludovicus in domo propria, semper comedebat in ligneis, usque ad tempus quo fuit factus episcopus Tholosanus; et testis qui loquitur cotidie hoc videbat, ut dixit. De voto vel de iterando votum vel solempnisando in Monte Pessulano, dixit se nichil scire. De tabardo seu mantello folrrato pellibus variis, dixit ipse qui loquitur quod vidit quod uni pauperi dedit illud, et multi viderunt pauperem portantem illud, et pannus erat de bruneto nigro. Quantum est de minoribus ordinibus, testis qui loquitur dixit se nichil scire, nec de subdyaconatu; credit tamen quod fuerit subdiaconus factus Rome, sed nescit per quem. De dimissione pellium variarum [5], respondit superius. De panno nigro vel beguino, dixit quod illis coloribus potissime utebatur et non aliis. De vasis argenteis que dicuntur sibi missa fuisse per patrem, dixit se nichil scire; dixit tamen quod quedam vasa argentea, de mandato camerarii dicti domini Ludovici, ipse testis qui loquitur bene recepit et custodivit, donec fuerunt ad Urbem, et ibi restituit camerario supradicto; et quid ultra factum fuit de illis vasis, testis qui loquitur nescit, ut dixit. Super eo autem quod suasum fuit sibi quod iret ad Curiam romanam pro dyaconatu et aliis ordinibus suscipiendis a domino Papa et de eo quod dicitur quod propter pompam declinavit ne sibi ascriberetur ad pompam et de aliis circa hoc membrum hic contentis, dixit se nichil scire. De hoc autem quod
c renunciavit hereditati et patrimonio et primogeniture regni, * dixit quod ipse vidit et audivit et presens fuit cum multitudine aliorum in castro Novo Neapoli.

Capitulum xxiij [6]. Super capitulo quod incipit: *Existens in castro Ovi* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, nec non et super inmediate sequentibus ca-

[1] Sic. [2] Vico prope Viterbium. [3] Sic. [4] Cod. *et.* [5] Cod. *variatrum.*
[6] Et XXV, XXVI, XXVII, XXXIII.

pitulis, quorum secuntur responsiones, et usque ad xxx capitulum quod incipit: *Consequenter quoque* etc., dixit vera esse illa que in ipso xxiij capitulo continetur. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ipse vidit quod ipse dominus Ludovicus celebravit publice primam Missam suam in domo fratrum Minorum Neapoli. Et dixit quod ante illam celebraverat, sicut audivit a fratribus Minoribus qui assistebant sibi private, ut addisceret officium. Postquam vero publice celebravit Missam suam primam penes fratres Minores, omni die fere celebrabat, et ipse qui loquitur videbat et audiebat quasi cotidie quia custodiebat calicem suum. Missam vero tarda hora dicebat. Interrogatus quid faciebat dominus Ludovicus antequam veniret ad Missam, respondit quod Horas suas dicebat cum Fratribus de mane, et postea accedebat ad studium et ibi stabat diu, et quasi hora tercia omni die dicebat Missam. Post Missam ipse dominus Ludovicus remanebat solus orando in capella sua; sed in diebus ieiuniorum plus stabat ibi quam in aliis diebus quibus non ieiunabatur; et hora convenienti vocabatur ad prandium. Post prandium autem statim cum Fratribus et aliis de Ordine Predicatorum et sancti Augustini, qui frequenter commedebant cum eo, ponebat se ad disputandum. Sed ipse nescit de quo disputabant, quia laycus; et ipse dixit quod dominus Ludovicus multum inflammabatur et efficiebatur rubeus in disputacione. Post illam disputacionem, dixit testis qui loquitur [quod] dominus Ludovicus intrabat cameram suam et ibi adiscebat de cantu Misse. Quomodo dormiebat, nescit. De cantu bene vidit et audivit. Postquam vero dicebatur dormivisse, testis qui loquitur dixit quod dominus Ludovicus intrabat claustrum et ibi habebat * multos libros; sed de *f. quo erant, ipse nescit; et ibi videbatur legere vel studere. De orticello dixit idem qui loquitur, quod ter vel quater dominum Ludovicum vidit ibi cum sarcello, et colebat eum; sed nescit si causa recreacionis.

Capitulum xxiij[1]. Quantum ad sequens capitulum, in quo fit mencio quod duo Fratres in castro Ovi et quatuor in castro Novo iacebant in camera sua, dixit verum esse, et quod ipse vidit hoc frequentissime. Dixit eciam idem qui loquitur, quod continuo a principio mense usque ad finem legebatur in mensa ipsius domini Ludovici, et ille qui legerat in mensa comedebat cum teste qui loquitur et aliis familiaribus ultimis, et multociens vidit testis qui loquitur, ut dixit, quod fr. *Guillelmus* de Falgario post Completorium legebat sibi aliqua, et, eo egrediente capellam, dominus Ludovicus remanebat ibi diu solus et in oracione, sicut credit.

Capitulum xxviiij. De contentis in xxix capitulo dixit se nichil scire.

Hic incipit tangere capitula aliqua de hiis que contigerunt postquam dominus Ludovicus fuit factus episcopus Tholosanus.

Capitulum xxx[2]. Super capitulo quod incipit: *Consequenter quoque cum summus Pontifex de ipso absente providisset ecclesie Tholosane* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse testis qui loquitur vidit et presens fuit quando fuit dictum domino Ludovico et annunciatum quod ipse dominus Ludovicus erat per dominum Bonifacium papam factus episcopus Tholosanus; et eo audito incepit plorare graviter, sicut ille cui multum displicebat provisio, dicens quod nullo modo assensum preberet, nisi per preceptum summi Pontificis artaretur, licet multi fratres Minores et alii et eciam domina Regina mater sua ipsum inquirerent de prestando assensum. Dixit eciam idem testis qui lo-

[1] Desunt haec et sequens inscriptiones in Cod. [2] Et cap. xxxi, xxxii, xxxiii.

quitur, quod in verbis que Papa dixit ei et in illis que ipse dominus Ludovicus respondit Pape, ipse qui loquitur non fuit presens nec audivit. Dixit quod ipse fuit presens cum multis hominibus eciam plusquam mille, ut dixit, quando dominus *Mattheus*
15a Portuensis episcopus, quondam Minister Ordinis Minorum, post finitam * Missam in domo fratrum Minorum in Urbe prope Capitolium, induit dictum dominum Ludovicum habitum fratrum Minorum, quem idem dominus Ludovicus cum multa exultacione suscepit. Tamen prius in abscondito sub aliis vestibus portaverat habitum fratrum Minorum, ut dixit. Et remanserunt ibi ad prandium in eadem domo fratrum Minorum dicti domini Cardinales propter honorem domini Ludovici, et post prandium duxerunt eum ad domum suam, scilicet in qua dominus Benedictus nepos domini Bonifacii quondam cardinalis habitaverat dum vivebat. A risu superfluo et omni vanitate in omni sua etate cavit sibi et maxime postquam habuit habitum, nec in aliqua etate sua, quod ipse testis qui loquitur viderit, voluit habere instriones, sicut apparebat, quia numquam utebatur eisdem, ut dixit.

Capitulum xxxiiij. Super capitulo quod incipit: *De canibus et avibus* etc. diligenter interrogatus, dixit quod canes et aves, postquam fuit in obsidatu, non habuit nec habere voluit nec usus est illis. Dixit eciam contenta in eodem capitulo esse vera, hoc addito quod a tempore quo recessit de Urbe pro eundo Tholosam, semper continue habuit xxv pauperes, quibus serviebat, sicut in eodem capitulo continetur; et frequenter dixit testis qui loquitur dictus dominus Ludovicus quod probaret vinum quod dabatur pauperibus an esset nimis debile pro pauperibus. De aliis ibidem contentis, dixit se nichil scire.

Capitulum xxxv. Super capitulo quod incipit: *Veniens Parisius* etc. diligenter interrogatus, dixit quod plures vestes dedit et sotulares et camisias pro Deo pauperibus; sed de numero pauperum nescit. Dicebatur tamen quod centum pauperibus dederat camisias, tunicas et sotulares, et ipse qui loquitur vidit magnam multitudinem istorum, sed tamen nescit quot erant numero, ut dixit. Et dixit quod audivit dici quod omnibus pauperibus lavit pedes, et ipse qui loquitur vidit de pluribus, ut dixit. Et quod
15b postquam laverat, deosculabatur pedem cuiusli-*bet pauperis; et hoc fuit in die Cene in quadam domo fratrum Minorum Parisiensium, in quorum ecclesia ante celebraverat Missam suam, ut dixit, eodem die. Dixit eciam ipse testis qui loquitur quod dominus Ludovicus in vigilia noctis ante festo Pasche, quia non recordatur qua die istarum fuit, ipse lavit scutellas fratrum Minorum Parisiensium, iuxta coquinam, assistentibus Fratribus sociis suis et aliis pluribus, de quorum nominibus non recordatur, ut dixit.

Capitulum xxxvj. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior* etc. diligenter interrogatus, dixit quod de verbis Pape, quod expenderet sicut filius regis non ut episcopus, dixit quod non audivit nec scivit. Scit tamen et vidit frequenter, ut dixit, quod magna cura erat sibi de pauperibus et helemosina facienda. De aliis contentis in eodem capitulo nichil scit, ut dixit. Dixit tamen ipse qui loquitur quod Tholose usque ad sex vel septem pauperes scolares tenebat, quibus faciebat ministrari expensas pro Deo, ut dixit, et ipse qui loquitur vidit quomodo tradebatur pecunia dictis pauperibus scolaribus per thesaurarium dicti domini Ludovici.

Capitulum xxxvij [1]. Super capitulo quod incipit: *Semel cum eius somerii non venissent* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire de contentis ibidem. Et de locione manuum in argento, dixit se nichil scire.

---

[1] Et cap. xxxviii.

Capitulum xxxix. Super capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse, antequam celebraret ordines Tholose, diligenter examinabat promovendos et ortabatur et inducebat eos ad omnem honestatem et ad alia bona facienda. De Missa dixit quod verum est, prout in eodem capitulo continetur. Quo tempore fecit ordines, dixit se nichil scire. De aliis contentis in eodem capitulo dixit se nichil scire.

Capitulum xl. Super capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire, quia illo tempore, quo dominus Ludovicus iverat in Cathaloniam, miserat * testem qui loquitur in Provin- * f. [illegible] cia[m], nec testis qui loquitur vidit eum postea, nisi quando dominus Ludovicus revertebatur de Cathalonia.

Capitulum xlj. Super capitulo quod incipit: *In eodem eciam viagio* etc. diligenter interrogatus, respondit ut supra proximo; tamen addito quod bene audivit dici hoc. Interrogatus a quo, dixit quod quidam famulus domini Ludovici, qui portabat mantellum suum et custodiebat cameram suam, vocatus Arnaldus, dixit sibi.

Capitulum xlij. Super capitulo quod incipit: *Dum iret Parisius* etc. diligenter interrogatus, dixit omnia vera esse contenta in eodem capitulo, et ipse testis qui loquitur vidit et erat presens quando dominus Ludovicus occultavit se a societate sua ac si vellet ire ad requisita nature, et tunc exuit unam cappam suam quam portabat et, recepta alia, dedit uni pauperi et induebat eum ex una parte, et iste qui loquitur iuvit eum ad induendum pauperem, ut dixit. Interrogatus quo tempore, dixit quod in quadragesima. Interrogatus de loco, dixit quod prope Brinatam in Arvernia, et quod tunc erat magnum gelu et frigus et nix. Et tunc prohibuit dictus dominus Ludovicus testi qui loquitur et Arnaldeco famulo suo et dicto pauperi quod nemini revelarent; adiciens quod dixit pauperi predicto quod in loco staret predicto donec omnes sui transissent, et quod non diceret qui dederit sibi cappam.

Capitulum xliij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere voluit* etc. diligenter interrogatus, respondit se de voluntate cedendi vel de recusacione Pape nichil scire. Audivit tamen a tribus fratribus Minoribus sociis domini Ludovici, scilicet *Francisco, Petro* et *Guillielmo*, qui nunc est lector Massilie, se hoc audivisse, scilicet quod dominus Ludovicus cedere voluit, et papa Bonifacius recusavit. Super capitulo quod incipit: *Equum seu palafredum* etc. [1] diligenter interrogatus, respondit quod non vidit eum equitantem equum vel palafredum a tempore quo exivit de obsidatu, * nec in * f. [illegible] stabulo suo vel domo tenebatur [2] aliquis equus vel palafredus specialis pro persona sua. Vidit tamen quod semel eundo in Franciam et transeundo per Annicium erant nives maxime, ita quod muli cum difficultate transibant. Et tunc dominus rex pater suus dimisit domino Ludovico unum de palafredis suis, quem equitavit usque ad locum in quo prandium receperunt, nec postea viderat nec antea, nisi illa vice, quod equitaret equum, sed continuo mulum.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Suadentibus Fratribus* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non audivit a domino Ludovico; sed Fratres socii sui bene dicebant hoc inter familiares, ut dixit.

Capitulum xlv. Super capitulo quod incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit ita esse sicut in eodem capitulo continetur; hoc excepto,

---

[1] Est pars eiusdem cap. XLIII. [2] Cod. *cenabatur*.

quod aliquod tapetum, quod tenebat sub pedibus, erat viride, quod quandoque ponebatur super somerium loco banci, ut dixit.

Capitulum xlvj. Super capitulo quod incipit: *Frequenter in secreto* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est quod in eodem capitulo continetur. Interrogatus quomodo scit, dixit testis qui loquitur quod, quando dominus Ludovicus ieiunabat in pane et aqua, quod erat frequenter, libenter serviebat Fratribus sociis suis, sicut ipse dixit se vidisse multotiens.

Capitulum xlvij. Super capitulo quod incipit: *Sepe visitabat hospitalia pauperum* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse contenta in eodem capitulo, et ita faciebat visitando quando ibat in Franciam, ut dixit. Dixit eciam quod confortabat infirmos pauperes et ortabatur et inducebat eos ad pacienciam et ad salutem animarum suarum, et postea faciebat eis dari elemosinas, sicut ipse dixit se vidisse frequenter in omnibus locis communiter in quibus ipse transibat.

Capitulum xlviij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum indigeret habitu* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitula que sequuntur respiciunt tempus infirmitatis dicti domini Ludovici usque ad mortem.

16a * *Capitulum xlviiij* [1]. Super capitulo quod incipit: *In festo b. Dominici* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse contenta in eodem [2] capitulo. Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit eum cantantem publice Missam eadem die Brinonie cum capellanis suis et clericis. De infirmitate dixit quod statim post Missam missum fuit pro magistro Hugone medico suo, et fuerunt sibi portata primo pruna, et comedit, et ex tunc incepit crescere infirmitas donec venit ad finem. Dixit eciam quod nec in dicta infirmitate nec in alio statu suo vidit eum inordinate turbatum, immo magnam pacienciam ostendebat semper, ut dixit.

Capitulum l. Super capitulo quod incipit: *Devotissime suscepit in morbo Corpus dominicum* et cetera diligenter interrogatus, dixit vera esse in eodem capitulo contenta, hoc tamen addito quod post exitum lecti in reverencia Corporis Christi, flexis genibus ibat reptando per aliquod spatium camere sue versus Corpus Christi, cum magna humilitate et devocione, ut dixit.

Capitulum lj. Super capitulo quod incipit: *Licet autem de consilio et ex dispensacione* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitulum lij. Super capitulo quod incipit: *Dum die quadam* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire de verbis dicti Fratris, nec quod sibi dixerit aliquod de agonia sua. Audivit tamen dici a medicis quod ipse erat in via curacionis, licet non fuerit inventum verum quod medici asserebant.

Capitulum liij. Super capitulo quod incipit: *Per biduum vel triduum* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in eodem capitulo continentur, quia ipse qui loquitur presens erat, et dominus episcopus Foroiuliensis et Fratres socii sui et multe alie persone, et osculatus fuit multum devote pedem Crucis, ut dixit.

Capitulum liiij. Super capitulo quod incipit: *Hoc eodem in crastinum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse qui loquitur vidit quod fuit domino Ludovico Crux aportata, quam ipse devotissime adoravit. De narracione Fratris, qui de Curia

[1] Deest in Cod. [2] Cod. bis *in eodem*.

venerat, nichil scit. In agone frequentissime et devotissime Deum et beatam Virginem et Sanctos Dei invocabat non pro sanitate * corporis, sed pro anime salute, sicut * f. prima facie videbatur, et hoc apparuit quia cum pater suus rex, presente teste qui loquitur, diceret sibi quod ipse timebat mori, ipse respondit quod non mori timebat, sed bene timebat nimis vivere. Ista dixit testis qui loquitur se vidisse et audivisse, sicut ille qui familiaris erat et domesticus predicti domini Ludovici et qui in infirmitate sibi quasi continuo assistebat, ut dixit.

Capitulum lv. Super capitulo quod incipit: *De predictis autem omnibus est publica vox et fama,* diligenter interrogatus, dixit quod de vita ipsius, humilitate, honestate, paciencia, caritate ad Deum et ad proximum, sobrietate, modestia, mundi contemptu, elemosinarum largicione et laudabili conversacione est publica vox et fama in Provincia et in aliis locis quibus fuit conversatus. Dixit eciam idem qui loquitur quod nunquam audivit nec in publico nec in privato quod de altitudine sanguinis vel parentum vel honore mundano vel gloria se extolleret, immo continue in ipso humilitas et mansuetudo crescebant. Interrogatus utrum inductus prece vel precio, timore vel amore premissa seu alterum premissorum dixerit, dixit quod non; sed motu proprio et quia veritas sic se habet.

Tercius testis super vita, moribus et meritis predicti domini Ludovici quondam episcopi Tholosani. Cap. iij.

Elzean [1] de Alamannone Avinionensis diocesis, testis iuratus et diligenter interrogatus dicere veritatem; qui dixit se habere xxxvij annos vel circa.

Capitulum j. Lecto sibi capitulo illo in quo loquitur de doctrina et educacione sublimium puerorum qui exeunt de domo Francie, quod quidem capitulum sic incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit quod dominus Ludovicus et fratres sui habebant dominum Guillelmum de Manerio Raynardi militem, qui miles reputabatur in domo regis probus homo et docebat pueros, videlicet dominum Ludovicum et fratres suos, dominum Robbertum et dominum Raymundum Berengarium in bonis moribus et honestate, sicut est consuetum in domo regis Francie. Interrogatus quomodo scit ipse quod in Francia * docentur sic pueri, dixit quod frequenter fuit ipse ibi cum rege et vidit * f. quomodo pueri regis Francie nutriebantur et docebantur. Dixit eciam quod dominus Ludovicus et fratres sui habebant clericos qui docebant eos litteras; sed non novit eos nec nomina eorum. Interrogatus de etate dicti domini Ludovici, dixit quod poterat habere eo tempore octo annos. Dixit eciam per iuramentum suum quod dominus Ludovicus erat eo tempore multum bene disciplinatus et magis humilis quam essent alii fratres sui. Interrogatus de causa sciencie, dixit se predicta vidisse frequenter. Dixit eciam quod ita erat fama per Provinciam in diversis locis, et quod dominus Ludovicus erat, ut dictum est, disciplinabilis et humilis magis quam fratres sui predicti, et quod ita ipse et fratres sui predicti ita honeste et pure nutriebantur et docebantur, ut dixit.

Que sequuntur, referuntur ad tempora obsidatus.

Capitulum ij. Super capitulo quod incipit: *In primo namque sue iuventutis flore* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se de hiis que in eodem capitulo continentur nichil scire, nisi per relacionem aliquorum fide dignorum,

[1] Sic.

a quibus audivit predicta. Interrogatus a quibus audivit, dixit quod communiter et publice dicebatur in Provincia quod dominus Ludovicus et fratres sui erant in obsidatu pro patre suo cum aliis, de quibus fit mencio in eodem capitulo. Sed ipse qui loquitur non vidit eos euntes nec morantes in dicto obsidatu. Dixit eciam quod dominus Ludovicus in dicto obsidatu moratus fuit per septennium et quod ibi ita profecerat in sciencijs sicut in eodem capitulo continetur, sicut ipse audivit a fr. *Francisco* et fr. *P(etro)* Scarrerii, qui fuerant cum domino Ludovico in obsidatu predicto et docuerant eum, sicut ipse credit et ipsi dicebant, ut dixit. Et de predictis est fama in Provincia, ut dixit. Interrogatus quid est fama, dixit quod illud quod a pluribus predicatur.

Capitulum iij. Super capitulo quod incipit: *Sed et tunc eciam* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire insuper auditum, ut supra proximo.

Capitulum iiij. Super capitulo quod incipit: *Sic fugit consorcia mulierum* etc.
16d diligenter * interrogatus idem testis, dixit quod credit esse verum quod in eodem capitulo continetur, et ita audivit a fide dignis, et est fama publica in Provincia. Quod dominus Ludovicus ad monialium monasteria se contulit, ut ibi salubria monimenta diceret, dixit se nichil scire pro eo tempore quo [1] fuit in obsidatu.

Capitulum v. Super capitulo quod incipit: *Divinis intentus Officiis* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire; credit tamen quod ea que sunt scripta de eo in eodem capitulo et membris eiusdem sunt vera, propter humilitatem et bonitatem que vigebant in dicto domino Ludovico.

Capitulum vj. Super capitulo quod incipit: *Missas audiebat devotissime* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ante obsidatum magistri qui docebant dominum Ludovicum et alios fratres suos, faciebant eos audire Missam cotidie, et hoc vidit ipse qui loquitur, frequenter, ut dixit, et credit bene quod in obsidatu ipse dominus Ludovicus audiebat. Sed ipse qui loquitur nescit, quia non fuit tunc, ut dixit.

Capitulum vij. Super capitulo quod incipit: *Displicebat sibi dum erat in mensa colloqui* etc. diligenter interrogatus idem testis, dixit se nescire pro eo tempore. Audivit tamen a fide dignis quod ita faciebat, et ideo credit sicut in eodem capitulo continetur, ut dixit.

Capitulum viij. Super capitulo quod incipit: *Sermonibus libenter intererat* etc. diligenter interrogatus idem testis, dixit quod credit ita esse, sicut in eodem capitulo continetur. Sed aliter ipse nescit, quia non erat presens, ut dixit.

Capitulum ix. Super capitulo quod incipit: *Verba inhonesta loqui et audire vitabat* etc. diligenter interrogatus idem testis, dixit pro tempore obsidatus de contentis in eodem capitulo se nichil scire. Credit tamen quod nullo modo placebant sibi verba vel opera inhonesta.

Capitulum x. Super capitulo quod incipit: *Erat in cibo et potu plurimum sobrius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire de contentis in eodem capitulo pro tempore obsidatus; credit tamen omnia esse vera que in eodem capitulo continentur, propter bonitatem quam postea vidit in eodem domino Ludovico.

17a * *Capitulum xj.* Super capitulo quod incipit: *Crebris atterebat corpus suum in pane et aqua ieiuniis* etc. diligenter interrogatus idem testis, dixit se nichil scire pro tempore obsidatus; credit tamen esse verum quod in eodem capitulo continetur.

---

[1] Cod. *quod.*

Capitulum .xij. Super capitulo quod incipit: *Erat sibi magnum esse cum secularibus tedium* etc. diligenter interrogatus idem testis, dixit ut supra proximo capitulo; credit tamen vera esse contenta in eodem capitulo, propter bonitatem quam habebat, ut dixit.

Capitulum .xiij. Super capitulo quod incipit: *In libris contemplacionis* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit ut supra proximo capitulo.

Capitulum [.x]iiij. Super capitulo quod incipit: *Sic postremo disposuit vanitates seculi fugere* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire pro tempore obsidatus; sed credit esse vera contenta in eodem capitulo, prout in superioribus est responsum.

Capitulum .xv. Super capitulo quod incipit: *Semel uni leproso obvius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire; sed tamen bene audivit dici ea a fide dignis, sicut in eodem capitulo continetur.

Capitulum xvij[1]. Super capitulo quod incipit: *Sic iam in eo miseracio vigebat ad pauperes* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire pro illo tempore obsidatus; credit tamen quod verum fuerit et quod dixerit illa verba que sunt in eodem capitulo contenta.

Capitulum xviij. Super capitulo quod incipit: *Quidam Frater eius socius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod nichil scit pro tempore obsidatus.

Capitulum .xviiij. Super capitulo quod incipit: *Set et cum Fratrem ipsum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod nichil scit; sed bene audivit dici quod ita fuit, ut dixit.

Capitulum xx. Super capitulo quod incipit: *Eius denique magnitudo paciencie* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire; credit tamen quod omnia vera sunt que in eodem capitulo continentur, quia a multis fide dignis audivit, ut dixit.

Capitulum .xxj. Super capitulo quod incipit: *In obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire; credit tamen esse vera singula que in eodem capitulo continentur, quia a multis fide dignis audivit, ut dixit.

* Ista capitula que sequuntur respiciunt tempus liberacionis, et exitus obsidatus et antequam dominus Ludovicus esset episcopus Tholosanus. *f. 1

Capitulum .xxij. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter interrogatus dictus Helzear testis iuratus, de assumpcione corone dixit se nichil scire; set bene vidit apud Bellam Gardiam[2] in continio Perpiniani et Cathalonie quod quidam qui vocabatur Thomas, barberius regis, rasit dicto domino Ludovico capillos in vertice capitis et totundit eum vel rasit sibi capillos ad modum clerici, et quod ibi recepit vestes de persico claro clericales. De pellibus vero variis an portaverit vel renuerit portare vel ad mandatum patris usus fuerit invitus, dixit quod non recordatur. De staminea, de tunica lanea et corda dura ad carnem, dixit se nichil scire; sed bene audivit a Fratribus qui erant cum domino Ludovico, scilicet a fr. *Francisco* et fr. *P(etro)* Scarrerii de Ordine Minorum, quod supradicta

[1] Cod. *xvj* et sic postea *xvij* usque ad *xx* pro *.xviij - xxj*. Omisit cap. xvi: *Ad conversionem* etc.
[2] Cod. *Gardiani.*

portabat. Dixit eciam testis qui loquitur quod, postquam dominus Ludovicus pervenit apud Perpinianum, ubi idem testis qui loquitur fuit receptus in familiarem suum,[1] ipse dominus Ludovicus habuit semper in camera sua secum dictos fratres *Franciscum* et *P(etrum)* Scarrerii. Et non permittebat quod aliquis secularis serviret ei in camera sua nec discalciaret eum nec esset quando ibat ad lectum, nisi dicti Fratres dumtaxat. Dixit eciam idem testis qui loquitur, quod ipse non fuit presens in voto, quando dominus Ludovicus primo fecit illud. Fuit tamen in Montepessulano cum eo, sed non vidit nec scivit de illa solempnizacione voti; sed tamen bene audivit dici a Fratribus predictis, non tamen a domino Ludovico. De tabardo dato pauperi, quod dicitur fuisse genitoris ipsius regis, scilicet domini Ludovici, nichil scit, nisi quod audivit dici a fide dignis et eciam familiaribus suis, ut dixit. De acolitatu et
7c minoribus ordinibus idem testis qui loquitur dixit se nichil scire, quia non * erat presens nec vidit, ut dixit. Idem dixit testis qui loquitur de subdiaconatu, nisi quod audivit quod papa Bonifacius fecerat ipsum subdiaconum[2] in Urbe; dixit tamen quod ab illa hora in antea, qua dicitur factus fuisse subdyaconus, non vidit quod portaret pelles varias neque grisias, sed agninis bene utebatur, ut dixit. De vasis argenteis missis sibi Velletri per patrem, dixit testis qui loquitur quod verum est, sed nescit quis fuit ille qui ex parte regis presentavit; scit tamen quod eo presente ipse dominus Ludovicus renuit recipere. Dixit eciam quod magister Iohannes de Vimar, magister domus domini Ludovici, vel magister Albertus familiaris eiusdem domini Ludovici recepit ex se et posuit ad partem, ne rex turbaretur, quia non recordatur quis illorum fuit. Quod dominus Ludovicus iret ad regem et quod cum lacrimis peteret ab eo quod ipsum sineret vivere iuxta sue arbitrium voluntatis, non recordatur quod ipse audiverit; sed bene audivit dici quod ita fecerat et dixerat. Super eo quod dicitur quod suadebatur ei quod iret Romam pro reliquis sacris ordinibus suscipiendis a Papa, dixit quod ipse testis qui loquitur bene audivit dici quod aliqui religiosi suadebant sibi; et ipse dominus Ludovicus post multa volens mundi fugere vanitatem, ire noluit; sed fuit ab archiepiscopo, qui tunc temporis erat Neapolitanus, inter ceteros ordinandos in dyaconum ordinatus. Super eo quod renunciavit temporali patrimonio et primogeniture iuri et regno, respondit quod verum est, et ipse testis qui loquitur fuit presens cum magna multitudine populi in castro Ovi Neapoli, ubi erant pro maiori parte prelati et barones regni, ut dixit.

Capitulum .xxiij. Super capitulo quod incipit: *Existens in castro Ovi* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, respondit quod ipse vidit dominum Ludovicum ordinari in presbiterum per dominum archiepiscopum Neapolitanum Neapoli.
d Et postea, devota confessione premissa, fere omni die idem * dominus Ludovicus Misse celebrabat officium, nisi esset propter infirmitatem vel alias impeditus; et, Missa dicta, intrabat studium et ibi studebat donec ad prandium vocaretur. Et post prandium se vaniloquiis non inmiscens intrabat cameram et ibi erat in collacione et disputacione usque ad magnam horam cum litteratis et religiosis viris. Super quibus conferebant vel disputabant, dixit se nichil scire, cum sit laycus.

Capitulum xxiiij. Super capitulo quod incipit: *Post collacionem vero* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod ipse audivit dominum Ludovicum discentem et cantantem cantum Ecclesie in capella sua; sed non vidit, quia

[1] Cod. add. *quod*. [2] Cod. *subdyaconatum*.

nullus laycus permittebatur intrare nec alii, nisi religiosi et clerici familiares sui qui sciebant de cantu. De quiete et dormicione sua vel de modo dormiendi quantum ad illam horam, dixit se nichil scire.

Capitulum xxv [1]. Super capitulo quod incipit: *Postmodum autem* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod frequenter vidit dominum Ludovicum in illo claustro cum libris pluribus, in quibus studebat; sed nescit utrum essent beati Bernardi vel aliorum sanctorum. De sarcello dixit quod non recordatur, sed bene vidit quod aliquando cum uno baculo vel cum manu extirpabat herbas.

Capitulum xxvij. Super capitulo quod incipit: *Quamdiu fuit in ipso castro* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit quod duo Fratres continue iacebant in camera domini Ludovici. Cum vero se transtulisset apud castrum Novum, continue iacebant in camera sua IIIJ^or fratres Minores. Et hoc scit quia in camera domini Ludovici erant quinque lecti, unus pro eo et quatuor pro dictis IIIJ^or Fratribus. Alio modo dixit se nescire. Scit tamen quod in omni castitate vivebat, ut dixit, et de hoc fuit semper fama in Provincia et in aliis locis in quibus fuit conversatus, ut eciam dixit super capitulo quod incipit: *Continue preterea.*

Capitulum xxviij. Super capitulo quod incipit: *Continue preterea erat in eius mensa lectio* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit vera * esse contenta in eodem capitulo de lectione in mensa. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ita vidit et erat presens. Quantum est de capella et spacio quo morabatur ibi causa orandi, respondit quod dicto Completorio ipse dicebat *Salve Regina* et volebat quod familiares sui essent presentes, et antiphona finita ipse solus remanebat ibi, sicut ipse qui loquitur frequenter vidit, ad orandum per magnum spacium, sicut ipse credit. * f.

Capitulum xxix. Super capitulo quod incipit: *Sic erat devocioni et studio deditus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit credere esse verum quod in eodem capitulo continetur, et ita audivit dici ab illis qui serviebant sibi de vino, quia ipse qui loquitur serviebat de scutella dicto domino Ludovico. Et dixit quod communiter parabatur ei de tribus ferculis, et ipse comedebat de minus sumptuoso et viliori tantum, ut dixit.

Hic incipit tangere aliqua capitula de hiis que contigerunt, postquam dictus dominus Ludovicus fuit factus episcopus Tholosanus.

Capitulum xxx. Super capitulo quod incipit: *Consequenter quoque cum summus Pontifex* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire pro certo, nisi de auditu. [Interrogatus] a quibus audivit, dixit quod a fratribus Minoribus sociis dicti domini Ludovici.

Capitulum xxxj. Super capitulo quod incipit: *Eo vero in Pape constituto presencia* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod ipse testis ivit bene cum domino Ludovico ad Urbem; non fuit tamen presens cum dominus papa Bonifacius ipsum inducebat quod prestaret assensum super provisione facta de dicto domino Ludovico ecclesie Tholosane. De voto tamen idem qui loquitur dixit se nichil scire; audivit tamen dici quod in domo domini Sabinensis complevit votum emissum ut dicebatur, recipiendo habitum ibidem de manu domini Portuensis tunc ministri

[1] Et cap. XXXVI.

Ordinis fratrum Minorum. Sed nec in istis fuit presens testis qui loquitur, nec quando Papa dedit sibi episcopatum; sed ita audivit a multis fide dignis, ut dixit.

Capitulum xxxij. Super capitulo quod incipit: *Quem equidem habitum* etc. diligenter interrogatus testis qui * loquitur, dixit primo super primo membro eiusdem capituli, quod ipse testis audivit dici quod occulte portabat habitum usque ad quoddam festum quod fuit post nativitatem Domini, de quo festo dixit se non recordari. Et cum dicta die illius festi celebrasset publice in domo Minorum iuxta Capitolium [1], tunc publice sumpsit habitum, et Fratres cantaverunt *Te Deum laudamus.* Et in habitu eadem die comedit inter Fratres; et voluit servire Fratribus, sed comes quondam de Monte Feltro [2], qui erat frater Minor in dicto loco, supplicavit domino Ludovico quod placeret sibi quod loco ipsius dicta die serviret, et ita fuit. Et ex tunc in antea habitum publice portavit. Quod autem cum eodem habitu processerit usque ad beatum Petrum peditando, dixit quod non recordatur. Dixit tamen quod rex, audito quod dominus Ludovicus sumpsisset habitum fratrum Minorum, fuit valde turbatus et contra eum et contra totum Ordinem, et inhibuit ne aliquis de fratribus Minoribus intraret ulterius domum suam.

Capitulum xxxiij. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc supra humanum modum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit contenta in eodem capitulo esse vera. Et plus, quod idem dominus Ludovicus precepit ipsi qui loquitur et aliis domicellis familiaribus suis quod abstinerent a risu et omni vanitate et superfluitate verborum inanium, et quod ioculatores in domo sua non admitterent. Et de vestibus dixit quod non portabat nisi conformes quantum poterat habitui fratrum Minorum.

Capitulum xxxiiij. Super capitulo quod incipit: *De canibus et avibus* etc. interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod dominus Ludovicus testi qui loquitur et aliis familiaribus suis inhibuit quod nec canes nec aves in domo sua tenerent. Cetera contenta in eodem capitulo dixit esse vera. Sed de illis tribus pauperibus, quod lavaret eis pedes, dixit quod non vidit; sed bene vidit eos ingredi cameram suam, et credit bene quod lavaret eis pedes. Dixit eciam idem testis quod illa que faciebat circa xxv pauperes predictos, fecit quamdiu fuit episcopus Tholosanus. Interrogatus quanto tempore fuit episcopus Tholosanus, dixit quod non per unum annum. Interrogatus quanto tempore fuit familiaris suus ipse qui loquitur, dixit quod per tres annos vel circa, tam in episcopatu quam ante episcopatum. * Et semper vidit eum omnem humilitatem et honestatem tenere et servare, et indicere suis quod idem facerent, ut dixit.

Capitulum xxxv. Super capitulo quod incipit: *Veniens Parisius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit verum esse quod in primo membro capituli continetur, scilicet quod centum pauperes induit de panno grosso, videlicet tunicam et caliguas [3] et sotulares dando. Interrogatus quomodo scit, dixit quod ipse vidit quando elemosinarius dabat predicta multitudini [4] pauperum, et dicebantur esse centum. De vasis et scutellis lotis, dixit se nichil scire, nisi quod audivit a fratribus Minoribus qui erant cum domino Ludovico, quod ita fecerat, ut dixit.

Capitulum xxxvj. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se non audivisse

---

[1] Cod. *capitulum.* [2] Guido. [3] Sic. [4] Cod. *multitudine.*

verba que dominus Papa dixit eidem domino Ludovico quod non expenderet ut episcopus, sed ut regis natus. Scit tamen quod magna erat sibi cura de pauperibus, et hoc videbat testis qui loquitur continuo. De eo quod preceperit de summa redditnum exquirenda ut sciret quales elemosinas vel quantas inde facere posset, respondit quod ipse non audivit a domino Ludovico; sed a quibusdam procuratoribus dicti domini Ludovici bene audivit quod ita mandaverat, et volebat scire de nominibus procuratorum. A quibus audivit non recordatur, ut dixit.

Capitulum xxxvij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum eius somerii non venissent* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se non vidisse; audivit tamen dici ab aliquibus qui erant familiares in camera, quod ita fecerat.

Capitulum xxxviij. Super capitulo quod incipit: *Cumque in crastinum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire pro certo; audivit tamen dici a quibusdam familiaribus dicti domini Ludovici, de quorum nominibus non recordatur.

Capitulum xxxix. Super capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod semel vidit Tholose quod ibi devotissime celebrabat ordines in ecclesia cathedrali; alibi non vidit quod ordines celebraret. Devotio sua, ut dixit, apparebat in ordinibus, in gravitate gressuum, in matu-*ritate vultus, in humilitate status et in multis [1] aliis. De examinacione clericorum, dixit se nichil scire; sed bene audivit dici quod stricte examinabat eos. Cetera vero contenta in eodem capitulo dixit esse vera, et illa vidit frequenter idem testis, ut dixit. *f.

Capitulum xl. Super capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire de illo, cum non esset presens in loco.

Capitulum xlj. Super capitulo quod incipit: *In eodem eciam viagio* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit idem quod in proximo capitulo, quia presens non fuit nec vidit, ut dixit.

Capitulum xlij. Super capitulo quod incipit: *Cum iret Parisius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod verum est, et ipse erat in societate sua, et occultavit se dominus Ludovicus invento paupere prope Brinatam in Arvernia, ut sibi videtur, a sociis suis, nisi a paucis familiaribus, quia nolebat quod videretur, et dedit cappam ipsi pauperi, sicut testis qui loquitur audivit dici a familiaribus qui remanserunt cum eo tunc; et erat maximum frigus, et nix magna, ut dixit.

Capitulum xliij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere penitus voluit* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod ita audivit dici de voluntate cedendi et de recusacione Pape; sed alio modo nescit, ut dixit. Quantum est de palafredo vel equo, dixit quod non vidit eum equitantem; sed continuo utebatur mulo in equitando, ut dixit.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Suadentibus sibi Fratribus* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Capitulum xlv. Super capitulo quod incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit ita esse prout in eodem capitulo continetur, et predicta vidit postquam suscepit habitum fratrum Minorum, ut dixit [2].

---

[1] Cod. *vultus.* [2] Cod. add. *etc.*

9a *Capitulum xlvj.* * Super capitulo quod incipit: *Frequenter in secreto* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Capitulum xlvij. Super capitulo quod incipit: *Sepe visitabat hospitalia* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit ita esse prout in eodem capitulo continetur, et sepe et sepius vidit testis qui loquitur quod intrabat hospitalia pauperum et visitabat pauperes et infirmos; et quando erant magis confracti, magis appropinquabat eis; et consolabatur eos et ortabatur eos ad pacienciam et ad salutem, et faciebat eis dari helemosinas; et quanquam interdum esset ibi fetor gravissimus, quem eciam familiares sui non poterant sustinere, ipse tamen non videbatur curare nec ex signis aliquibus videbatur horrere. Hec vidit Neapoli et in viagio quod fecerunt Parisius et de Parisius usque Tholosam et de Tholosa usque Brinoniam, ut dixit; set de singulis locorum nominibus non est memor.

Capitulum xlviij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum indigeret habitu* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Ista sunt capitula que respiciunt tempus infirmitatis dicti domini Ludovici usque ad mortem.

Capitulum xlix. Super capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit quod non recordatur de die quando celebravit Missam Brinonie, set fuit festum beati Dominici, nec de die in qua febris eum arripuit; dixit tamen quod in mense augusti fuit, et quod die precedenti, in qua arripuit eum febris, comederat cum domino patre suo, ut dixit. Dixit eciam quod nullo tempore, nec in infirmitate nec in sanitate, vidit dominum Ludovicum turbatum vel impacientem, sed in omni mansuetudine semper esse, ut dixit.

Capitulum l. Super capitulo quod incipit: *Devotissime suscepit in morbo Corpus dominicum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit esse verum quod in eodem capitulo continetur, pro eo quia presens erat et vidit, ut dixit.

Capitulum lj. Super capitulo quod incipit: *Licet autem de consilio* etc. diligenter
9b interrogatus idem testis qui loquitur, * quod habuerit licentiam a Papa audiendi leges et quod ipse voverit eas ulterius non audire, dixit se nichil scire, nisi per auditum tantum, ut dixit.

Capitulum lij. Super capitulo quod incipit: *Dum die quadam* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se non audivisse contenta in eodem capitulo. Audivit tamen quod medici dicebant quod craticaverat et curatus erat, et ipse dicebat: « Vos videbitis bene infra diem crastinam ». Et apparuit, quia infra mediam noctem sequentem de hoc mundo transivit, ut dixit.

Capitulum liij. Super capitulo quod incipit: *Per biduum vel triduum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire. Dixit tamen quod circa finem fuit sibi apportata[1] Crux, et ipse levavit occulos et complosis manibus videbatur orare et affici et ostendere signa magne devocionis ad Crucem. Et hec vidit, ut dixit, et tenebat ibi candelam.

Capitulum liiij. Super capitulo quod incipit: *Hoc eodem in crastinum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit verum esse quod in eodem capitulo continetur. Et ita finivit, et eo presente; tamen videbatur astantibus quod dormiret, ut dixit.

[1] Cod. *asportata.*

Capitulum lv. Super capitulo quod incipit: *De predictis autem omnibus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, quod dominus Ludovicus habuerit humilitatem, innocencie puritatem, penitencie austeritatem secundum statum suum, pacienciam in adversis, honorem et caritatem ad proximum, pietatem et devocionem ad Deum, carnis integritatem, sobrietatem et modestiam cum mundi comtemptu; dixit de predictis esse famam et vocem publicam in Provincia et locis in quibus conversatus fuit. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Hoc eciam addidit predictis testis qui loquitur, quod ultra virtutes sibi superius expressas [1] et bonos mores et merita superius nominata, credit eum habuisse longe plures et quod omnis sanctitas et perfectio erant in eo. Interrogatus si prece, precio, amore, * odio, timore alicuius sic testificatur in predictis, dixit quod non, set quia veritas sic se habet; et ita esse testis qui loquitur millesies iuraret, ut dixit. * f.

Quartus testis super vita, moribus et meritis predicti domini Ludovici quondam episcopi Tholosani. Cap. iiij.

Fr. *Raymundus* de Ficubus, alias dictus de Roda, conversus Ordinis fratrum Minorum conventus Massilie, illitteratus, ut dixit; qui dixit se oriundum de Valle de Ribagassa de quodam castro quod vocatur Roda, quod est in confinio Cathalonie et Aragonie et in dyocesi Hilardensi, etatis LVque annorum et ultra, ut dixit: testis iuratus et diligenter interrogatus super capitulis traditis de vita, moribus, meritis et aliis pie memorie domini Ludovici et primo:

Capitulum j. Super capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit se nichil scire de contentis in eodem capitulo, quia non viderat nec cognoverat eum antequam in obsidatu esset; tamen dixit quod bene audivit quod multum honeste fuerat nutritus et informatus in bonis moribus, antequam esset in obsidatu.

Que sequuntur referuntur ad tempora obsidatus.

Capitulum ij. Super capitulo quod incipit: *In primo namque sue iuventutis flore* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod dictus dominus Ludovicus erat XIIIJcim annorum vel circa cum missus fuit obses in Cathaloniam, prout audivit dici ab illis qui eum adduxerant ad obsidatum; et apparebat in facie eius, quia nec lanugo aliqua apparebat, nec vox ipsius erat ab infantili in aliquo inmutata. De studio, dixit quod dominus Robbertus frater suus iactabat lapidem frequenter et erat in solacio cum laycis, et dictus dominus Ludovicus stabat in camera et legebat, sicut credit; et hoc frequenter audivit a camerariis domini Ludovici, ut dixit. Et habebat unum clericum gallicum, de cuius nomine non recordatur, qui ipsum docebat antequam venirent dicti fratres * Minores. Dixit eciam quod nec dominus Raymundus Berengarii nec fratres Minores aliqui venerunt cum domino Ludovico et domino Robberto a principio obsidatus, quod ipse viderit vel audiverit. Et dixit quod dominus Ludovicus et dominus Robbertus venerunt in Cathaloniam primo in vigilia omnium Sanctorum, et in dominica prima quadragesime sequentis venit dominus Raymundus Berengarii et certi nobiles de Provincia et duo fratres Minores cum eis, quorum unus vocabatur fr. *Franciscus* et alius fr. *Petrus*. Et tunc dominus Ludovicus et alii duo fratres sui fuerunt simul in castro de Monte Cade prope Barchilonam, et dicti * f.

[1] Cod. *experssas.*

duo fratres Minores intraverunt dictum castrum de Monte Cade quando dominus Raymundus intravit, sicut ipse vidit, ut dixit; et dictum dominum Ludovicum docuerunt, set nescit in qua facultate, ut dixit. Dicebatur tamen post liberacionem ipsorum quod magis sciebat dominus Ludovicus quam magister suus, et istud dicebatur provenisse ex infusione gracie Dei. Interrogatus quanto tempore fuit dominus Ludovicus in obsidatu, dixit quod per septem annos integros, quia in vigilia omnium Sanctorum intravit, et revoluto septennio in vigilia omnium Sanctorum exivit. Dixit eciam quod existens in obsidatu non predicavit, quod ipse audiret.

Capitulum iij. Super capitulo quod incipit: *Set et tunc eciam* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire nisi per auditum aliorum familiarium suorum et quia, aliis suis fratribus carnalibus exeuntibus ad solacium, ipse dominus Ludovicus remanebat in camera sua vel solus vel cum fratribus Minoribus sociis suis, ut dixit. De aliis contentis in eodem capitulo interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitulum iiij. Super capitulo quod incipit: *Sic fugit consorcia mulierum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod consorcia mulierum penitus vitavit in tantum quod dictus qui loquitur audivit dici quod post liberacionem * ipsius ab obsidatu matrem propriam noluit osculari. Vidit eciam testis qui loquitur quod sororem suam dominam Margaritam, uxorem quondam domini K(aroli), ad osculum non admisit, et ipsa videns hoc osculata fuit eum in collo, et postmodum dicta domina Margarita hec retulit domino patri suo regi quasi conquerendo de eo, dicto domino rege sibi respondente quod non curaret. Dixit eciam quod ad quoddam monasterium monialium se contulit, et ibidem, ut audivit dici, salubria verba proposuit monialibus predictis. Interrogatus de loco ubi erat predictum monasterium, dixit quod in Cathalonia in quodam loco vocato Bon Repons.

Capitulum v. Super capitulo quod incipit: *Divinis intentus Officiis* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod Horas dicebat, ut vidit et audivit. Interrogatus quas Horas, dixit se nescire cum sit laycus; credit tamen quod diceret Horas canonicas secundum consuetudinem Ecclesie romane. De aliis contentis in eodem capitulo dixit se nichil scire, nisi de auditu tantum. Interrogatus a quibus audivit, dixit quod non recordatur; credit tamen predicta vera esse.

Capitulum vj. Super capitulo quod incipit: *Missas audiebat devotissime* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit vera esse que in eodem capitulo continentur. Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit. Interrogatus cui vel quibus confitebatur, dixit quod fr. *Petro* Scarrerii de Ordine fratrum Minorum, tunc socio dicti domini Ludovici.

Capitulum vij. Super capitulo quod incipit: *Displicebat sibi dum erat in mensa colloqui* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit vera esse que in eodem capitulo continentur, secundum quod ipse audivit dici a sociis domini Ludovici; alio modo dixit se nescire. Interrogatus a quibus audivit, dixit quod a fa-*miliaribus suis qui sibi serviebant, de quorum nominibus non recordatur, ut dixit.

Capitulum viij. Super capitulo quod incipit: *Sermonibus libenter intererat* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit de contentis in eodem capitulo se nichil scire pro certo; credit tamen vera esse, quia sic audivit a quibusdam familiaribus domini Ludovici. Interrogatus a quibus, dixit quod a quodam qui voca-

batur Guillelmus de Malassis et a Iohanne Mochasel et a quibusdam aliis, de quorum nominibus dixit se non recordari [1].

Capitulum ix. Super capitulo quod incipit: *Verba inhonesta loqui et audire vitabat* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit contenta in eodem capitulo vera esse, et ita vidit et audivit, ut dixit; adiciens predictis quod dictus dominus Ludovicus fecit quandam ordinationem, quod quicumque de familia sua inhoneste seu turpiter loqueretur in domo sua et hoc posset per duos testes probari [2], in illa die comederet in solo nudo sine mappa. Et istud vidit ipse qui loquitur pluries et de pluribus, ut dixit; et hoc vidit frequenter de filio comitis Avellini, qui, ut dixit, ad talia pronior habebatur; et idem vidit de fratribus suis domino Raymundo Berengarii et domino Robberto. Set illi habebant prerogativam quod non sedebant in terra, sed in alto, sine mappa tamen, ut dixit.

Capitulum x. Super capitulo quod incipit: *Erat in cibo et potu plurimum sobrius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod erat sobrius in cibo et potu. Interrogatus quomodo scit, dixit quod de mane comedebat de potagio communiter; de piscibus vero vel carnibus parum comedebat, et raro bibebat in mensa; et quando bibebat, temperabat vinum multum cum aqua; in sero parum cenabat, et illud quod cenabat erant nebule facte cum zuccara sine pigmento, et postea parum * bibebat, ut dixit. De aliis contentis in eodem capitulo dixit se nichil scire; credit tamen ea vera esse, quia, aliis fratribus suis carnalibus ludentibus et solaciantibus, ipse dominus Ludovicus in camera vel in capella solus cum fratribus Minoribus remanebat, ut dixit. * f.

Capitulum xj. Super capitulo quod incipit: *Crebris atterebat corpus suum in pane et aqua ieiuniis* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit esse vera contenta in eodem capitulo. Interrogatus quomodo scit, [dixit] quia ita videbat, ut dixit, et vix inveniebatur nisi in sua camera vel capella, ut dixit.

Capitulum xiij. Super capitulo quod incipit: *In libris contemplacionis* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod libenter studebat, quia multos habebat libros; nescit tamen in quibus studebat, quia illitteratus est, ut dixit.

Capitulum xiiij. Super capitulo quod incipit: *Sic postremo disposuit vanitates seculi fugere* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire pro certo, nisi quod audivit predicta contenta in eodem capitulo dici a fratribus Minoribus sociis suis, quorum unus vocatur fr. *Franciscus*, qui nunc est episcopus Gagetanus, et alter fr. *P(etrus)* Scarrerii, et a quibusdam aliis clericis familiaribus dicti domini Ludovici. Dixit tamen idem testis quod bene disposuit vanitates seculi fugere et se totum Dei servicio dedicare, prout apparebat per actus suos exteriores.

Capitulum xv. Super capitulo quod incipit: *Semel uni leproso obvius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire pro certo; audivit tamen dici a quibusdam, ut sibi videtur.

Capitulum xvj. Super capitulo quod incipit: *Ad conversionem quoque infidelium* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod ipse vidit quod dictus dominus Ludovicus induxit unum iudeum ad fidem et fecit eum baptizari et fuit patrinus eiusdem, et impositum fuit sibi nomen Paulus, et recepit eum in familiarem domus sue. Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit hoc fieri in civitate

---

[1] Cod. add. *Sequitur aliud capitulum.* [2] Cod. add. *quod.*

Barchilone. Vidit eciam, ut dixit, quod cum quedam iudea fecisset se baptizari cum duobus * pueris quos habebat, ipse dominus Ludovicus mandavit eis provideri causa pietatis in victu et vestitu, ne mendicarent. Et dixit quod vidit Neapoli quod duos iudeos fecit eciam baptizari, qui cotidie veniebant ad domum domini Ludovici et ibi comedebant inter alios familiares. De sarracenis dixit quod nichil scit nec vidit.

Capitulum xvij. Super capitulo quod incipit: *Sic iam in eo miseracio vigebat ad pauperes* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod vidit in Barchilona pluries in domo domini Petri de sancto Clemente, ubi dominus Ludovicus tenebatur obses, quod ipse dominus Ludovicus recipiebat panem occulte et proiciebat pauperibus per fenestram que erat super vicum; et multum placebat sibi facere elemosinam et delectabatur in ea, ut dixit. Dixit eciam idem testis quod in obsidatu nunquam vidit eum turbatum, immo ubi aliqua adversa sibi et suis fratribus carnalibus vel per custodes vel alias succedebant, domino Robberto flebiliter [1] desolato, ipse non mutabat multum, ymmo consolabatur fratres suos dicens quod non curarent, quia Deus [2] adiuvaret eos. Et predicta dixit se scire, quia ita vidit et audivit, ut dixit.

Capitulum xviij. Super capitulo quod incipit: *Quidam Frater eius socius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire; audivit tamen dici, sed non recordatur a quibus, ut dixit.

Capitulum xix. Super capitulo quod incipit: *Set et cum Fratrem ipsum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, ut in proximo capitulo.

Capitulum xx. Super capitulo quod incipit: *Eius denique magnitudo paciencie* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod custodes domini Ludovici et alii sibi assistentes mirabantur multum de magnitudine sue paciencie. Et audivit idem testis qui loquitur a quodam de custodibus quod a principio non credebant quod tanta bonitas esset in eo, quantam ipse in eo videbat. Dixit eciam idem qui loquitur quod ipse vidit pluries quod dominus Ludovicus familiam suam monebat ad bene et honeste vivendum et ad sermonem et Missas veniendum; * et cum erant desides in predictis, eos verbis severiter arguebat. Alia vero contenta in eodem capitulo dixit se non audivisse. Audivit tamen quod quidam miles, qui erat custos castri de [3] Syourana et vocabatur Bernardus de Monte Pavonis, dixit domino Ludovico et domino Robberto quod si rex Aragonie mandaret ei quod precipitaret eos de rupe castri [4], ipse libenter faceret; quo verbo audito, dominus Robbertus fuit valde turbatus, domino Ludovico in sua paciencia remanente et sine mutacione et alteracione vultus seu status, ut dixit.

Capitulum xxj. Super capitulo quod incipit: *In obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, de illa pia devocione de qua fit mencio [5] in principio eiusdem capituli, dixit se nichil scire; propter tamen bona que vidit de eo et in eo in operibus et in verbis, credit quod sua intencio et desiderium erant et prope et longe servire Deo. Quantum est de hoc quod crebro de nocte surgeret ad orandum et quod catus [6] sibi apparuerit et ad signum Crucis recesserit et quod dominus Raymundus Berengarii ex hoc fuerit tremebundus et quod dominus Ludovicus eum astrinxerit ne eo vivente alicui revelaret, dixit se nichil scire.

---

[1] Cod. potius *flebilitus*. [2] Cod. *Deos*. [3] Cod. bis *de*. [4] Cod. add. *quod*. [5] Cod. *mensio*. [6] Cod. *cocus*.

Ista capitula que secuntur respiciunt tempus liberacionis et exitus obsidatus et antequam prefatus dominus Ludovicus esset episcopus Tholosanus.

Capitulum xxij. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, et primo super membrum capituli de assumpcione corone, dixit quod apud Bellam Guardiam prope Perpinianum fuit domino Ludovico rasa corona; sed ipse non erat presens nec scit quis prelatus fecit sibi. Set tunc, depositis vestibus secularibus, vestitus fuit vestibus clericalibus de colore persico; et fecit fieri duo paria vestium, unum par de persico et aliud de bruneto, uteumque rubeo. Et ex tunc, donec venit ad assumpcionem habitus fratrum Minorum, usus est vestibus clericalibus, nec vidit * quod in vestibus suis essent pelles varie vel grisie, ut dixit. Quantum est quod stamineam grossam dicatur portasse ac tunicam de lana et funem iuxta carnem, dixit se nichil scire pro illo tempore quo[1] fuit in Cathalonia vel Provincia. Dixit eciam quod fratres Minores *Franciscus* et *P(etrus)* Scarrerii iacebant continue in camera ipsius domini Ludovici postquam exivit de obsidatu, ut vidit testis qui loquitur. Et vidit quod quandoque eciam domicelli discalciabant eum, et ipsemet qui loquitur, qui tunc erat secularis, quandoque fuit presens, ut dixit; adiciens quod ex quo assumpsit habitum fratrum Minorum non discalciavit eum aliquis secularis, quod ipse viderit vel audiverit, ut dixit. Quod dictus dominus Ludovicus dum erat in Monte Pessulano votum, quod emiserat de intrando fratrum Minorum Ordinem, implere voluerit et quod votum solempniter iteraverit, dixit se nichil scire, set audivit dici a familiaribus dicti domini Ludovici quod ita factum fuit in Monte Pessulano. De tabardo[2] dato pauperi quod erat proprii genitoris, dixit se nichil scire. De acolitatu et aliis minoribus ordinibus et de subdyaconatu a Papa recepto, dixit se nichil vidisse vel scivisse alias nisi per auditum. De variis pellibus et grisiis dixit quod non vidit eum portantem ex quo exivit de Bella Gardia et fuit signis clericalibus insignitus, set agninis et ianetis bene utebatur, ut dixit. Portabat eciam interdum, ut dixit, vestes de panno nigro vel camelino beguino, et cum portabantur sibi vestes nimis preciose, dabat eas pauperibus clericis, ut vidit, testis qui loquitur, bis. De vasis argenteis sibi per patrem missis Velletri et de aliis in eodem membro capituli contentis, dixit se nichil scire, quia non erat presens. De aliis contentis in eodem capitulo, dixit se nichil scire. Audivit tamen dici quod ordines recepit ab archiepiscopo Neapolitano et quod renunciavit regno et iuri primogeniture; tamen ipse testis non fuit presens nec vidit, ut dixit.

* *Capitulum xxiij.* Super capitulo quod incipit: *Existens in castro Ovi* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod credit quod in aliis ordinibus idem archiepiscopus fecit eum presbiterum[3]. Et postquam fuit factus presbiter, cotidie ante Missam loquebatur cum confessore suo, et credit quod confiteretur ei, et postea celebrabat Missam cotidie nisi esset infirmus. Et hoc dixit se vidisse testis qui loquitur quasi omni die. Dixit eciam idem testis quod, dicta Missa, accedebat ad studium, et ibi erat continue usque ad horam prandii quamdiu fuit in castro Ovi, ut dixit. Et post prandium intrabat cameram in qua studebat, et tunc collacioni

[1] Cod. *quod.* [2] Cod. *Da tarbardo.* [3] Sic.

et disputacioni insistebat cum sociis suis Fratribus, et fratribus Predicatoribus quandoque, et fratribus sancti Augustini et aliis religiosis et litteratis viris. Sed de quo disputabant, dixit se nescire cum sit illitteratus [1].

Capitulum xxiiij. Super capitulo quod incipit: *Post collacionem vero* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod audivit dominum Ludovicum cantare de cantu Ecclesie; nescit tamen si causa discendi. De cantu vero mundano non audivit eum cantantem postquam fuit clericus, nec ante de magno tempore dum erat in obsidatu. De aliis contentis in eodem capitulo nichil scit, ut dixit; credit tamen quod quiesceret interdum.

Capitulum xxv [2]. Super capitulo quod incipit: *Postmodum autem* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod bene vidit dominum Ludovicum studentem in libris; nescit tamen si erant libri beati Bernardi vel alterius sancti, ut dixit. De sarcello dixit se nichil scire; orticellus tamen erat ibi, sed non vidit eum intrantem dictum orticellum.

Capitulum xxvij. Super capitulo quod incipit: *Quamdiu fuit in ipso castro* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit contenta in eodem capitulo esse vera et ita vidit et interdum iuvit ad faciendum lectos in utroque castro, ut dixit.

21d *Capitulum xxviij.* Super capitulo quod incipit: *Continue pre-*terea erat in eius mensa lectio* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod in principio mense sue legebatur per magnam horam et in fine, postquam fuit presbiter. Dixit eciam quod post horam Completorii remanebat solus in capella et ibi erat diu, et credit quod oraret; postea intrabat cameram suam et nolebat quod aliquis sequeretur eum nec intraret per magnam horam, ut dixit.

Capitulum xxix. Super capitulo quod incipit: *Sic erat devocioni et studio deditus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil audivisse nec scire.

Hic tanguntur capitula aliqua de hiis que contigerunt postquam idem dominus Ludovicus fuit factus episcopus Tholosanus.

Capitulum xxx. Super capitulo quod incipit: *Consequenter quoque* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire de contentis in eodem capitulo, nisi per auditum. Audivit tamen dici quod Papa sibi providerat de illo episcopatu, et quod fratres Minores qui erant cum eo suadebant ei quod acceptaret, et quod Papa mandavit sibi hoc in virtute obediencie; et hoc audivit a multis; et quod ipse dominus Ludovicus responderat quod non assentiret provisioni huiusmodi nisi coactus apostolici vigore precepti. Tamen ipse testis qui loquitur non audivit a domino Ludovico, ut dixit.

Capitulum xxxj. Super capitulo quod incipit: *Eo vero in Pape constituto presencia* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nescire contenta in eodem capitulo. Audivit tamen dici a confessore domini Ludovici, scilicet fr. *P(etro)* Scarrerii, quod ita dixit Papa et ita fecit dominus Ludovicus sicut in capitulo continetur. Testis tamen qui loquitur dixit quod non vidit nec presens fuit.

Capitulum xxxij. Super capitulo quod incipit: *Quem equidem habitum* etc. di-
22a ligenter interrogatus idem testis qui loquitur, quod de mandato Pape por-*taverit

[1] Cod. *illittratus*. [2] Et cap. XXVI.

habitum occulte, dixit se nichil scire. Audivit tamen quod in die beate Agathe dominus Ludovicus recepit publice in domo Minorum prope Capitolium habitum, et quod illa die comedit cum Fratribus et in sero reversus est ad domum suam cum habitu publice, sicut ipse vidit, ut dixit; et erat valde letus et venit in uno mulo. Et post ingressum camere, amota cappa, respexit se et vidit habitum, et multum videbatur sibi placere; et invenit unum pediculum ibi, et incepit ridere et dixit: « Tu bone vermis; istud est de Ordine! » Et tercia die ivit ad Papam peditando et in habitu suo publice, et erat magnum lutum, ut dixit.

Capitulum xxxiij. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc supra humanum modum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod a risu et verbis superfluis abstinuit, et dixit eciam quod primitus abstinebat; et a vestibus curiosis multum abstinuit, et continuo utebatur panno qui respiciebat Ordinis honestatem pocius quam aliam vanitatem. Dixit eciam quod instrionibus nunquam favebat, et si aliquis a casu domum suam intraret, volebat quod comederet et nichil plus faceret. Et predicta vidit et audivit, ut dixit.

Capitulum xxxiiij. Super capitulo quod incipit: *De canibus et avibus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod fratres sui carnales tenebant bene canes, et ipse dominus Ludovicus tenebat unum alanum, quem misit patri suo regi Sicilie. Set postquam exivit de obsidatu ipse qui loquitur non vidit quod dominus Ludovicus haberet vel teneret canes vel aves, nec aliquis de familia sua, excepto magistro Alberico thesaurario quondam fratris sui regis Ungarie, cum quo fuerat, qui tenebat unum parvum canem, ut dixit. De pauperibus dixit quod multum intendebat super eos; et antequam * esset episcopus cotidie refovebat xiij$^{\text{cim}}$, et factus in Urbe episcopus continuo habebat xxv, quibus dabat aquam ad lavandum manus et serviebat de cibo et pane, scindendo, sicut in eodem capitulo continetur. Et predicta vidit quasi continuo quamdiu fuit cum eo tempore episcopatus sui, quia frequenter testis qui loquitur veniebat tarde, et pauperes comederant, ut dixit. De illis tribus pauperibus dixit se audivisse a fr. *Guillielmo* de Cornelione de Ordine Minorum, sicut continetur in capitulo; set ipse non vidit, ut dixit.

Capitulum xxxv. Super capitulo quod incipit: *Veniens Parisius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod centum pauperes induit de tunicis, ut dicebatur, et ipse testis qui loquitur vidit multos pauperes et multas tunicas, set ipse non numeravit. Interrogatus si talia vidit quod fecisset dari, dixit quod non vidit, sed bene credit quod predicta et alia multa bona fecerat pro Deo pauperibus. Quod in die Pasche lavit scutellas in domo fratrum Minorum Parisiensium, audivit hoc dici, set ipse non fuit presens, ut dixit. Et audivit plus quod quidam Frater dixit domino Ludovico quod non bene lavabat scutellas; et ipse respondit: « Frater, da michi ad comedendum cras in istis ita lotis ». Et hoc audivit a quibusdam Fratribus de conventu Parisiensi, de quorum nominibus non recordatur, ut dixit.

Capitulum xxxvj. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, de contentis in eodem capitulo dixit se nichil scire; audivit tamen dici a fratribus Minoribus sociis suis et eciam elemosinario ipsius domini Ludovici, qui erat de eodem Ordine, quod terciam partem peccunie que proveniret de episcopatu suo daret pauperibus religiosis et aliis.

Capitulum xxxvij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum eius somerii*[1] *non* 22c *venissent* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil * scire, nec audivit dici.

Capitulum xxxviij. Super capitulo quod incipit: *Cumque in crastinum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire; credit tamen contenta in eodem capitulo et in supra proximo capitulo, propter humilitatem quam habebat in se, esse vera.

Capitulum xxxix. Super capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, de ordinibus et clericorum examinacione et de beneficiorum collacione dixit se nichil scire; credit tamen quod ordines et Missam celebrabat cum omni devocione. Missam eciam celebrabat quasi cotidie, nisi impedimento aliquo esset aliter impeditus, et Missam nolebat obmittere quando ipse diceret, quantumcumque ipse et socii sui laborassent; sed ut plurimum, ubi debebant facere magnam dietam, celebrabat de mane; et hoc vidit frequenter, ut dixit.

Capitulum xl. Super capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire; credit tamen contenta in eodem capitulo fore vera.

Capitulum xlj. Super capitulo quod incipit: *In eodem eciam viagio* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire de contentis in eodem capitulo, nisi quod, quando dominus Ludovicus reversus fuit, vidit quod habebat multos pediculos in habitu suo et in tunica. Et audivit dici a familiaribus qui erant cum eo quod in domo in qua iacebat una antiquissima et pauper mulier acceperat illos. Et cum dicebatur sibi per illos qui erant cum eo quod non intraret domum predicte mulieris, quia erat talis et in tali statu, ipse respondit quod ex hoc magis volebat intrare.

Capitulum xlij. Super capitulo quod incipit: *Cum iret Parisius* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit se non esse presentem in dacione dicte cappe; 22d audivit tamen dici a suis familiaribus quod pauperi indigenti et pre algore * lugenti dederat cappam suam; et dixit quod hoc fecit prope Brinatam in Arvernia, et ibi erat magnum frigus et magne nives sicut ipse qui loquitur probavit, quia eadem hora e vestigio quasi iste qui loquitur remanserat cum someriis, et dixit se per eundem locum transisse.

Capitulum xliij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere penitus voluit* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod nescit aliquid, nec quod Papa recusaverit dixit se nichil scire; sed bene dixit quod audiverat dici quod ad cedendum volebat ire Romam. Nec vidit, ut dixit, quod a tempore quo exivit de obsidatu equitaverit equum seu palafredum; sed mulo continuo utebatur, ut dixit.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Suadentibus sibi Fratribus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Capitulum xlv. Super capitulo quod incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit verum esse quod in eodem capitulo continetur. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ab illo tempore quo ipse dominus Ludovicus suscepit habitum, continue ipse fuerat cum eo, nec vidit, nec in persona sua circa habitum, nec in camera sua circa ornatum lecti, nec alios pannos alterius coloris, nisi de colore bruno vel beguino, ut dixit.

---

[1] Cod. *somerium*.

Capitulum xlvj. Super capitulo quod incipit: *Frequenter in secreto* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, nisi quod apud Brinoniam dedit bibere Fratribus familiaribus suis, ut [1] audivit dici.

Capitulum xlvij. Super capitulo quod incipit: *Sepe visitabat hospitalia* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se non vidisse nisi Tholose; audivit tamen dici quod in pluribus locis idem fecit, ut dixit. Vidit eciam frequenter quod maximam affeccionem et compassionem ostendebat ad * pauperes et infirmos; *f. 2 et hoc apparebat ex helemosinis quas faciebat dari eisdem, et quia vidit frequenter quod ipse dominus Ludovicus precepit quod illi qui magis essent impotentes et infirmi ponerentur in numero illorum xxv quibus cotidie providebat, quibus ipse dominus Ludovicus manu sua devocius et magis voluntarie serviebat, ut dixit.

Capitulum xlviij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum indigeret habitu* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Ista capitula que sequuntur
respiciunt tempus infirmitatis dicti domini Ludovici.

Capitulum xlix. Super capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod non recordatur qua die celebravit et qua die arripuit eum febris; set dixit quod infirmus fuit per xiv^cim dies. Dixit eciam quod in infirmitate sua et in quolibet statu suo servavit pacienciam, nec aliquo tempore vidit eum turbatum nisi semel, quia unus de custodibus dum erat in obsidatu requisivit eum si volebat habere aliquam mulierem. Tunc enim turbatus fuit terribiliter et dixit: « Nonne sufficit vobis habere corpus, et vultis occidere animam? Ego mallem amittere capud quam committere unum peccatum mortale, et postea habere imperium ». In istis tamen ipse qui loquitur non fuit presens, ut dixit; sed audivit postea custodes et alios ridentes de hoc inter se, sicut dixit.

Capitulum l. Super capitulo quod incipit: *Devotissime suscepit in morbo Corpus dominicum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, quia erat infirmus. Audivit tamen ab aliis quod devotissime receperat Corpus Christi, ut dixit.

Capitulum lj. Super capitulo quod incipit: *Licet autem de consilio* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Capitulum lij. * Super capitulo quod incipit: *Dum die quadam* etc. diligenter *f. . interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, nisi quantum audivit a quodam converso qui vocabatur frater Thomas et morabatur cum domino Ludovico, qui dixit testi qui loquitur quod medici dicebant quod dominus suus curatus erat. De aliis in eodem capitulo contentis, dixit se nichil scire.

Capitulum liij. Super capitulo quod incipit: *Per biduum vel triduum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire; credit tamen contenta in eodem capitulo esse vera, ut dixit.

Capitulum liiij. Super capitulo quod incipit: *Hoc eodem in crastinum* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit se nichil scire pro eo quia testis qui loquitur erat infirmus et familiares alii non permittebant eum intrare cameram domini Ludovici; credit tamen contenta in eodem capitulo esse vera.

[1] Cod. bis *ut*.

Capitulum iv. Super capitulo quod incipit: *De predictis autem* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit famam esse in Provincia et in locis aliis, in quibus conversatus est dictus dominus Ludovicus, quod ipse habuit humilitatem, innocencie puritatem, austeritatem penitencie, pacienciam in adversis, honorem et caritatem ad proximum, pietatem et devocionem ad Deum, sobrietatem et modestiam cum mundi contemptu laudabiliter tenuit et continuando [1] servavit. Interrogatus quid est fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore vel aliter a quoquam informatus seu instructus ita testificatur in predictis, dixit quod non; set quia de eis omnibus veritas sic se habet. Et in fine conclusit idem testis quod numquam vidit hominem alicuius etatis sanctioris, purioris vel honestioris vite, nec melius nutritum, nec melius morigeratum, nec cui tantum displiceret peccatum et cui tantum placeret omne illud quod cedebat in opus pie-
25c tatis et refectionem pauperum et in hono-*rem et cultum Dei, ut dixit.

Quintus testis super vita, moribus et meritis dicti domini Ludovici. [Cap.] V.

Fr. *Fortis* de Ordine fratrum Minorum, etatis sexaginta annorum vel circa, qui, ut dixit, XLVIItem annis et plus fuit in Ordine predicto, et in multis conventibus eiusdem Ordinis lector et heretice pravitatis inquisitor, testis iuratus et diligenter interrogatus super capitulis traditis de vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici et super aliis predictum negocium tangentibus, et primo:

Capitulum j. Super capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit quod ipse vidit dominum Ludovicum in etate tenera in decimo anno et in minori et maiori etate decem annorum. Et vidit quod quidam miles qui vocabatur dominus Guillelmus, qui erat gallicus, de cuius cognomine non recordatur (quem ipse viderat stantem cum domino rege qui nunc est Sicilie, patre domini Ludovici, nutrientem dominum regem tempore minoris etatis), qui miles dicebatur magne sapiencie et multe bonitatis et honestatis et antiquus homo, nutriebat dominum Ludovicum in illa etate tenera, maturum et gravem secundum etatem suam et abstinentem [2] se a dissolucione mundana, ultra id eciam quod alii pueri faciebant. Et credit idem qui loquitur quod fuerit sub disciplina et correctione dicti militis usque ad tempus quo fuerunt ducti in Cathaloniam in obsidatu pro patre. Credit eciam, sicut dixit, quod in primis rudimentis fidei fuerunt instructi per honestos clericos; quod satis videtur apparuisse postea ex hiis que contigerunt in sciencia domini Ludovici. Dixit eciam esse certum quod mundissime et honestissime nutriebantur et informabantur dominus Ludovicus et fratres sui.

Que sequuntur referuntur ad tempora obsidatus.

Capitulum ij. Super capitulo quod incipit: *In primo namque sue iuventutis flore* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod certum et no-
5d torium est quod dominus Ludovicus et fratres sui carnales * cum duobus fratribus Minoribus eorum obsequiis deputatis et cum quibusdam nobilibus iverunt in Cathaloniam, et quod septennio vel circa dominus Ludovicus, de quo queritur, fuit ibi moratus, et quod quando intravit Cathaloniam ipse quasi nichil sciebat in gramaticalibus nec aliis. Et in illo septennio sic in scienciis nominatis in eodem capitulo

[1] Sic. [2] Cod. *obstruentem*.

profecit idem dominus Ludovicus, quod in exitu suo de Cathalonia, quando rediit in Provinciam ad quam immediate reversus est post exitum obsidatus et fuit Aquis, incepit conferre et disputare cum eo, et continuerunt hoc usque Neapoli, de difficilibus questionibus et materiis tam theologicis quam philosophicis; et ita plene et excellenter idem dominus Ludovicus arguebat et respondebat, quod, secundum dictum testem [1] qui loquitur, magis videbatur divini doni infusio quam humani ingenii et studii exquisicio; et reputasset magnum secundum humanam capacitatem, si [2] in xv annis tantum profecisset. Interrogatus quid movet eum ad credendum quod dominus Ludovicus haberet scienciam infusam, respondit quia talia sciebat et tantum profecit in illo septennio, quod Fratres qui erant deputati ad docendum eum, licet essent alias boni viri, honesti et litterati et magni testimonii in Ordine, non erant tante sciencie quod sufficcissent pro illo tempore ad docendum eum ita sublimia et ita difficiles questiones tam in theologia quam in philosophia. Et dixit quod ipse non habuit alium doctorem pro illo tempore nisi Fratres predictos. Item alia racio que movet eumdem testem qui loquitur, quia frequenter vidit, quando ibant Neapolim, in civitatibus et locis, quod lectores tam fratrum Minorum quam Predicatorum veniebant ad visitandum dominum Ludovicum in domo sua, et ipse querebat a singulis lectoribus frequenter de qua materia legissent illa die. Et sine premeditacione ita arguebat et pertractabat materias quas sibi dicebant dicti * lectores, quod vix erat aliquis *f. qui sufficienter sibi responderet, ut dixit.

Capitulum iij. Super capitulo quod incipit: *Set et tunc eciam in obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire nisi quantum audivit a Fratribus qui erant cum domino Ludovico.

Capitulum iiij. Super capitulo quod incipit: *Sic fugit consorcia mulierum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, necnon et lectis sibi omnibus aliis capitulis in quibus agitur de hiis que contigisse [3] dicuntur tempore obsidatus [4], respondit quod omnia credit esse vera sicut in singulis capitulis et capitulorum membris ponuntur; et multa audivit de illis que in eisdem capitulis continentur a Fratribus qui erant cum eo in obsidatu et ab ipso domino Ludovico post liberacionem, qui dixit eciam sibi multa, ut dixit.

Ista capitula que sequuntur respiciunt tempus liberacionis et exitus obsidatus et antequam idem dominus Ludovicus esset episcopus Tholosanus.

Capitulum xxij. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod de tonsura nichil scit. Et dixit quod nunquam vidit eum pelles varias vel grisias portantem. De staminea, dixit quod vidit eum portantem Neapoli duram stamineam, quod ante non viderat; et cum eum laborantem de febre ipse testis moneret et induceret quod stamineam deponeret tempore infirmitatis, nullatenus potuit eum inducere ad dimittendum eam. De corda dura ad carnem, dixit testis qui loquitur quod ipse vidit et tetigit cordam quam dominus Ludovicus portabat ad carnem et iuvit [5] frequenter ad amovendum pediculos, et quod dictam cordam portavit ante susceptionem sacri

---

[1] Cod. *testis.* [2] Cod. *set.* [3] Cod. *contīgisse.* [4] Idest, capp. v-xxi.
[5] Cod. *īvit.*

ordinis et post. Dixit eciam quod fratres Minores continue iacebant in camera sua. De discalceacione sua non recordatur, sicut ponitur in capitulo. Quod votum fecerit primo et quod postea in Monte Pessulano solempnisaverit et Ordinem Minorum 4b ibidem * intrare voluerit, dixit quod non vidit nec fuit presens; audivit tamen dici a dicto domino Ludovico, et ex hoc credit ea esse vera. De tabardo dato pauperi dixit se nichil scire; credit tamen esse verum. De suscepcione minorum ordinum dixit quod nichil scit. Dixit eciam quod ipse testis vidit quod dominus Ludovicus fuit factus subdyaconus per dominum Bonifacium in ecclesia beati Petri in Urbe. De pellibus vero variis et grisiis respondit ut supra. Dixit eciam idem testis quod ab illo tempore ex quo ipse fuit cum domino Ludovico Neapoli, vidit quod semper portabat vel pannum brunum vel camelinum vel beguinum. De vasis argenteis missis sibi Velletri per patrem, dixit quod nescit si fuit Velletrum; sed scit bene quod pater suus misit sibi vasa argentea in una civitate vel loco de partibus illis dum erant in via, et noluit recipere. De verbis que dominus Ludovicus dixit postea patri ipse nescit; set postea audivit dominum Ludovicum referentem quod impetraverat cum domino patre suo quod non uteretur vasis argenteis. Quod fuerit persuasum domino Ludovico quod iret Romam ad suscipiendum sacros ordines, et quod ipse diceret illa verba quod vanitati et pompę [1] posset sibi ascribi, de predictis dixit se non recordari. Dixit tamen quod patriarcha Ierosolimitanus, qui tunc erat Neapoli, de licencia archiepiscopi Neapolitani ordinavit eum in dyaconum, et publice, in ecclesia fratrum Minorum, cum multis aliis. Dixit eciam quod dominus Ludovicus temporali patrimonio et iuri primogeniture et regno renunciavit, et ipse qui loquitur fuit presens, ut dixit, et dominus Landulphus cardinalis et multi alii prelati et nobiles regni cum multitudine aliorum. Interrogatus de loco, dixit quod in castro Novo.

Capitulum xxiij. Super capitulo quod incipit: *Existens in castro Ovi* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod antequam promoveretur in 4c sacerdotem dominus Ludovicus, ipse qui loquitur recesserat ab eo et ve-*nerat in Provinciam. Credit tamen vera esse omnia que in eodem capitulo continentur, quia audivit a Fratribus qui erant cum eo et a multis aliis bonis viris, ut dixit.

Capitulum xxiiij. Super capitulo quod incipit: *Post collacionem* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, quia presens non erat.

Capitulum xxv. Super capitulo quod incipit: *Postmodum autem* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit idem quod in supra proximo capitulo.

Capitulum xxvj. Super capitulo quod incipit: *Et si quando fatigatus erat* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit idem quod in supra proximo.

Capitulum xxvij. Super capitulo quod incipit: *Quamdiu fuit in ipso castro* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire cum non esset presens; dixit tamen quod, quamdiu fuit cum eo Neapoli et alibi, [2] fratres Minores semper iacebant in camera sua, ut dixit, et predicta vidit ipse qui loquitur quamdiu fuit cum eo, ut dixit.

Capitulum xxviij. Super capitulo quod incipit: *Continue preterea erat in eius mensa lectio* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod, pro tempore quo fuit cum domino Ludovico, fuit continua in eius mensa lectio, et semper vidit eum assiduum in oracione et devocione, ut dixit; tamen non recordatur quod

---

[1] Cod. *paupere*. [2] Cod. add. *quod*.

fuerit cum eo per annum continuum, set per intervalla multorum temporum et dierum, ut dixit.

Capitulum xxix. Super capitulo quod incipit: *Sic erat devocioni et oracioni deditus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Hic incipit tangere capitula aliqua de hiis que contigerunt postquam dictus dominus Ludovicus fuit factus episcopus Tholosanus.

Capitulum xxx. Super capitulo quod incipit: *Consequenter quoque* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, quia presens non erat.

Capitulum xxxj. Super capitulo quod incipit: *Eo vero in Pape constituto presencia* etc. diligenter interrogatus * idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, * f. quia ipse non fuit presens; credit tamen quod contenta in eodem capitulo sint vera, quia ita narravit sibi postea dominus Ludovicus, ut dixit.

Capitulum xxxij. Super capitulo quod incipit: *Quem equidem habitum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, quia presens non erat; credit tamen ita esse ut continetur in capitulo, quia ita audivit dici a domino Ludovico, ut dixit.

Capitulum xxxiij. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc supra humanum modum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit vera esse que in capitulo continentur, ex eo eciam quia predicta servabat antequam haberet episcopatum et esset in sacris ordinibus constitutus et antequam habitum publice assumpsisset, et ita vidit testis qui loquitur, ut dixit.

Capitulum xxxiiij. Super capitulo quod incipit: *De canibus et avibus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit contenta in eodem capitulo esse vera, et ita vidit in Provincia, postquam fuit factus episcopus, veniendo cum eo de Nicia usque Nemausum [1] inclusive, et omni die qua comedebat in domo sua. De illis tribus pauperibus, dixit se non vidisse.

Capitulum xxxv. Super capitulo quod incipit: *Veniens Parisius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire; credit tamen esse vera que in eodem capitulo continentur, et ita audivit a fide dignis, ut dixit.

Capitulum xxxvj. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, nisi per auditum; credit tamen esse vera que in eodem capitulo continentur, quia dominus Ludovicus dixit sibi, ut dixit.

Capitulum xxxvij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum eius somerii non venissent* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Capitulum xxxviij. Super capitulo quod incipit: *Cum in crastinum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, * dixit se nichil scire, ut in supra proximo * f. capitulo.

Capitulum xxxix. Super capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, quia non vidit eum ordines celebrantem; scit tamen quod quitquid faciebat circa cultum Dei, totum faciebat cum devocione magna. De diligenti examinacione clericorum, dixit se nichil

---

[1] Nimes; cod. *Nemausoī.*

scire, cum non esset presens, ut dixit. Dixit eciam quod pro tempore quo ipse fuit cum eo a tempore sacerdocii domini Ludovici, vidit ipsum celebrantem Missam devote quasi omni die, nisi haberet notabile impedimentum. Dixit tamen ipse qui loquitur quod non fuit in Cathalonia cum ipso, et propter hoc de hiis que fuerunt facta ibi nichil scit nisi per auditum.

Capitulum xl. Super capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, respondit idem quod in supra proximo.

Capitulum xlj. Super capitulo quod incipit: *In eodem eciam viagio* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit idem ut in supra proximo.

Capitulum xlij. Super capitulo quod incipit: *Cum iret Parisius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, cum non esset presens.

Capitulum xliij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere penitus voluit* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, quod dominus Ludovicus voluntatem cedendi Pape exposuerit, ipse testis non audivit, nec audivit responsum Pape; audivit tamen a domino Ludovico, qui sibi narravit quod ipse renunciaverat episcopatui in manu Pape quantum in eo erat, et ipsemet narravit sibi quod nullo modo Papa potuit flecti ad recipiendam cessionem. Dixit eciam quod non vidit dominum Ludovicum, ab eo tempore quo ivit Romam post exitum suum de obsidatu et Ianua in antea, quod equitaret nisi mulum, et postea continue et per Urbem et alibi.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Suadentibus sibi Fratribus* etc.
37b * diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit contenta in eodem capitulo esse vera, et ipse testis qui loquitur fuit unus de persuasoribus. Et audivit quod dominus Ludovicus, sicut homo qui spernebat mundana et honores vagos, respondit sicut in capitulo continetur, ut dixit.

Capitulum xlv. Super capitulo quod incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit contenta in eodem capitulo esse vera, et ipse testis vidit hoc dum fuit cum eo, ut dixit.

Capitulum xlvj. Super capitulo quod incipit: *Frequenter in secreto* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod verum est, et frequenter vidit ipse testis quod volebat lavare pedes Fratribus. De potu dixit quod semel vidit Brinonie quod dominus Ludovicus mantellum amovit, et potum Fratribus sociis suis, qui erant ibi presentes, flexo genu ministravit. Fratres tamen noluerunt sustinere, et ipse fuit unus de illis, ut dixit.

Capitulum xlvij. Super capitulo quod incipit: *Sepe visitabat hospitalia pauperum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se non vidisse; set tamen credit contenta in eodem capitulo esse vera.

Capitulum xlviij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum indigeret habitu* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Capitula que sequuntur respiciunt tempus infirmitatis dicti domini Ludovici.

Capitulum xlix. Super capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod illa die qua dominus Ludovicus dicitur celebrasse Brinonie, ipse qui loquitur non interfuit Misse, quia recesserat

ab eo eodem mane, nec vidit quod febris eum arripuerit illa die, nec de aliis que contigerunt post recessum suum ab illa die usque post eius obitum, aliquid [1] scit nisi per auditum. De infirmitate respondit ut in proximo. Quantum est de alio statu suo, dixit quod nunquam vidit eum nisi pacientissimum, nec unquam vidit eum inordinate turbatum.

Capitulum l. Super capitulo quod incipit: *Devotissime * suscepit in morbo Corpus dominicum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod non erat presens; set credit eum recepisse devotissime, et credit vera esse que in eodem capitulo continentur. * f.

Capitulum lj. Super capitulo quod incipit: *Licet autem de consilio* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, quod dominus Ludovicus voverit non audire leges, dixit quod nichil scit; set tamen bene scit quod voluntarius fuit ad non audiendum eas aliquo tempore.

Capitulum lij. Super capitulo quod incipit: *Dum die quadam* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, respondit quod ipse non erat presens; set ita audivit dici a fr. *Raymundo* Gauffridi, quod verum erat quod dixerat sibi.

Capitulum liij. Super capitulo quod incipit: *Per biduum vel triduum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, respondit quod non erat presens.

Capitulum liiij. Super capitulo quod incipit: *Hoc eodem in crastinum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, respondit ut supra proximo.

Capitulum lv. Super capitulo quod incipit: *De predictis autem omnibus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, quod dominus Ludovicus habuerit humilitatem, dixit quod quantum ad superiores, quantum ad pares, si quos habebat, et quantum ad inferiores, omnem humilitatem tenuit et exhibuit; et hoc apparuit quia recordatur quod quando fuit Neapoli in subdyaconum ordinatus, cum assistentes vellent ei honorem impendere et preferre, dixit dominus Ludovicus testi qui loquitur: « Providete ne aliquis honor ultra alios ordinandos impendatur michi, quia multum esset michi grave si aliquid michi fieret plus quam minori qui sit inter ordinandos ». De innocencia, dixit quod nunquam vidit nec audivit nec in signo nec in verbo nec in exemplo nec in facto quod aliquid committeret vel ageret [quod] posset declinare ad peccatum mortale. De puritate, dixit quod supponit eum habuisse puritatem in corde et in ore et eciam in exemplo et opere. De austeritate penitencie ipse loquutus est in precedentibus capitulis; dixit tamen quod max-*imas abstinencias faciebat secundum sui qualitatem et condicionem. De paciencia, dixit quod in manibus custodum, quibus ipse dominus Ludovicus et fratres sui erant dati in custodia, multas passus fuit iniurias, contumelias et molestias gravissimas, et in persona et in rebus, sicut audivit testis qui loquitur ab eo. Et audivit a dicto domino Ludovico quod semel unus miles accepit eum per manum et tenebat eum pendentem extra rupem Siccurane [2] ac si deberet eum precipitare, et retulit sibi dominus Ludovicus quod in hoc nec in aliis molestiis sibi illatis habuit aliquam displicenciam. Dixit eciam idem testis quod dominus Ludovicus caritatem habuit ad proximum, quia compaciebatur infirmis et afflictis et indigentibus, et quitquid poterat facere faciebat ad relevacionem [3] et sustentacionem et salutem animarum et corporum eorum. Quod dominus Ludovicus habuerit pietatem et devocionem ad Deum, dixit quod habuit quia, relicto * f.

---

[1] Cod. *aliquod.* [2] Sic. [3] Cod. *revelacionem.*

et reiecto mundi regno et honore mundano, totum se divino cultu[i] dedicavit. De sobrietate dixit quod dominus Ludovicus fuit sobrius et modestus in comestione et potu et in omnibus actibus sensuum. Dixit eciam idem testis quod de istis omnibus, ubicumque conversatus est, et maxime in Provincia et in aliis locis, est publica vox et fama. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam vel Ordinis sui affectione seu exaltacione vel aliqua alia racione sic deposuerit, dixit quod non; set solum quia veritas sic se habet.

Sextus testis super vita, meritis, moribus et miraculis prefati domini Ludovici. Cap. vj.

Fr. *Raymundus* Gauffridi magister in theologia de Ordine fratrum Minorum, 26a testis productus et iuratus et diligenter interrogatus * de dicenda [veritate] super vita, moribus et meritis beati Ludovici secundum formam et continenciam capitulorum traditorum et circumstancias eorumdem dominis inquisitoribus supradictis, et primo:

Capitulum j [1]. Interrogatus super capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit quod ipse vidit dominum Ludovicum, quondam Tholosanum episcopum, apud Aquis in Provincia in domibus regis, qui tunc poterat esse etatis octo annorum vel circa. Et quidem miles qui vocabatur dominus Guillelmus, qui erat gallicus, qui multum commendabatur de honestate et bonitate, custodiebat eum et dominum Robbertum fratrem ipsius domini Ludovici. Et ibi ipse qui loquitur visitavit et vidit dominum Ludovicum et fratres suos carnales, et comedit interdum cum eis. Et vidit dominum Ludovicum secundum suam etatem multum compositum et disciplinatum, qui, secundum quod miles predictus dicebat, non indigebat multa correctione nec reprehensione, ita erat docilis [2] et ita ordinate vivebat. Dixit eciam quod ibi cum domino Ludovico erat quidam clericus qui vocabatur magister Iohannes, qui erat gallicus et fuit canonicus vel prepositus Fontiscalquerii [3], et reputabatur ille clericus bonus et honestus, et docebat eos litteras et perhibebat testimonium, sicut supradictus miles, domino Ludovico. Post hoc audivit a fide dignis hominibus quod dominus Ludovicus dum crevit in etate crevit in morum honestate et in omni disciplina usque ad xiiij^cim annos. Et istud fuit moris apud dominum regem K(arolum) patrem domini regis qui nunc est, quod pueros suos masculos semper tradiderit [4] bonis et honestis personis militibus et clericis docendos in litteris, informandos in moribus et in omni honestate et virtute, et quod ita, secundum quod est comune et vulgare ubique, reges Francie, a quibus isti domini Karoli descenderunt, in suis provinciis hactenus servaverunt. 26b In quarto autem decimo anno vel circa, cum dominus rex, * qui tunc temporis erat princeps, a Cathalanis teneretur captivus, fuit ordinatum quod dictus dominus Ludovicus cum duobus fratribus suis Robberto et Raymundo Berengarii pro patris liberacione cum certis nobilibus duceretur pro obsidibus in Cathaloniam; et dominus Ludovicus hoc audito recepit multum placabiliter et multum dulciter, sicut ille qui videbatur hoc velle et appetere liberacionem patris sui, licet fratres alii in signis magnam displicenciam et flebilem demonstrarent, et potissime dominus Robbertus. Et in Cathaloniam fuerunt ducti, et ibi steterunt septem annis vel quasi. In quo septennio, quamquam de rudimentis gramatice dominus Ludovicus prius aliquid

[1] Deest in Cod. [2] Cod. *dulce*. [3] Sic; = Forcalquier. [4] Cod. *tradidērt*.

didicisset, ibi tamen tam in gramaticalibus, logicalibus, philosophicis, moralibus et theologicis sic profecit, quod recte pocius videretur de sciencia sua divina infusio quam humani ingenii acquisicio; et ipse testis qui loquitur dixit quod ipse et multi alii viri magne sciencie mirabantur de hiis que procedebant de ore domini Ludovici; et conferendo et disputando cum magistris et bacalariis [1] in theologia excellenter respondebat. Dixit tamen idem testis quod non audivit dominum Ludovicum predicantem in Cathalonia, nisi semel quando ipse qui loquitur tenebat Capitulum provinciale in Barchilona, et tunc venerunt fratres carnales domini Ludovici, et dominus Ludovicus proposuit inter fratres Minores in Capitulo egregie verbum Dei per modum collacionis, recommendando se ipsum et fratres suos et in fine patrem et matrem oracionibus Fratrum, ut dixit.

Capitulum iij. Super capitulo quod incipit: *Set et tunc eciam* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Capitulum iiij. Super capitulo quod incipit: *Sic fugit consorcia mulierum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, necnon et lectis sibi omnibus et singulis capitulis in quibus agitur de hiis que con-*tigerunt tempore obsidatus usque ad tempus * f.
exitus domini Ludovici [2], dixit quod non vidit nec presens fuit nisi quantum vidit eum in Capitulo fratrum Minorum Barchilone predicantem; credit tamen ea omnia esse vera que in singulis capitulis propositis continentur, pro tempore illo quo fuit in obsidatu, et multa audivit de illis que in eisdem capitulis continentur a Fratribus qui erant cum eo in obsidatu et ab ipso domino Ludovico, qui multa de premissis sibi narravit eciam post liberacionem. Dixit eciam testis qui loquitur quod audivit a Cathalanis qui custodiebant eum, quod nunquam viderunt tantam perfectionem in aliquo vivente, quanta apparebat in eo.

Ista capitula que sequuntur respiciunt tempus liberacionis et exitus obsidatus et antequam ipse dominus Ludovicus esset episcopus Tholosanus.

Capitulum xxij. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod ipse non fuit presens nec vidit quando dominus Ludovicus exivit de obsidatu, nec scit aliquid per presenciam vel per visum de hiis que contigerunt a tempore obsidatus usque dominus Ludovicus pervenit Romam, ubi tunc erat ipse qui loquitur; et quando ipse venit ad Urbem, recordatur ipse testis quod vidit eum intrantem lectum cum quadam staminea vel alba tunica: non potuit tamen discernere quid [3] istorum esset. De fune quem dicitur portasse ad carnem, dixit quod non vidit eum portare. Quod fratres Minores iacerent in camera sua continue, dixit quod verum est, et ipsemet qui loquitur iacebat in gardarauba sua, ut dixit. Quod in Monte Pessulano voluerit solempnisare votum quod emiserat de intrando fratrum Minorum Ordinem, dixit quod ipse non fuit presens nec vidit; tamen dominus Ludovicus postea narravit sibi et Fratres qui erant cum eo, ut dixit. De tabardo seu mantello quod dederat pauperi, dixit quod nichil scit, quia non erat presens. De acolitatu et * aliis minoribus ordinibus nichil scit, nec recordatur quando fuit factus subdyaconus; audivit tamen quod dominus Bonifacius fecit eum subdyaconum in ecclesia sancti Petri in Urbe. Dixit

[1] Sic. [2] Idest, capp. v-xxi. [3] Cod. *quod*.

eciam idem testis quod numquam vidit eum portare pelles varias vel grisias ab illo tempore quo dominus Ludovicus venit ad Urbem. Dixit eciam idem testis quod, quamdiu vidit dominum Ludovicum in habitu seculari, vidit quod erat vestitus panno nigro vel beguino vel aliquo florentino dicti coloris. De vasis argenteis missis Velletri domino Ludovico, dixit se nichil scire, nec scit eciam quod ipse noluerit [1] recipere, quia presens non erat. Super membro eiusdem capituli in quo dicit quod suasum fuerit sibi quod iret Romam pro reliquis [2] sacris ordinibus suscipiendis a Papa, dixit se nichil scire; set pro certo supponit et credit quod omne illud quod saperet vanitatem mundanam libenter sperneret propter Deum. Quod dominus Ludovicus renunciaverit temporali patrimonio, primogeniture iuri et regno, dixit quod ipse non fuit presens, set ita audivit, credit et certum est, ut dixit. Quod dominus Ludovicus existens in castro Ovi, premissa confessione, omni die fere Missam celebraret et quod deinde ad studium accederet, dixit idem quod supra proximo. Quod post prandium se a vaniloquiis abstineret et collacioni alicui in theologia etc. libenter lintenderet, dixit quod pro illo tempore quo fit mencio [3] in capitulo, ipse non erat cum eo; scit tamen, quia vidit aliquociens et a fide dignis eciam didicit et audivit, quod predicta contenta in eodem capitulo vera sunt et talem consuetudinem observabat.

Capitulum xxiiij. Super capitulo quod incipit: *Post collacionem* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire.

Capitulum xxv. Super capitulo quod incipit: *Postmodum autem* etc. diligenter
27a interrogatus idem testis * qui loquitur, dixit se nichil scire nisi per auditum. De sarcello eciam, de quo fit mencio in inmediate sequenti capitulo, dixit se nichil scire.

Capitulum xxvj. Super capitulo quod incipit: *Et si quando fatigatus erat* etc., necnon et super sequentibus capitulis in quibus tangitur de hiis que contigerunt vel dicta vel facta fuerunt de castro Ovi et in castro Novo, quamdiu fuit Neapoli dominus Ludovicus [4], scilicet: tam de Fratribus iacentibus coram eo et de aliis que in eodem capitulo continentur; tam de lectione, videlicet quod in eius mensa continuo legeretur, et quod de mensa interdum surgeret nesciens an in illa bibisset; et quod fratres Minores provisionem factam de ipso absente ecclesie Tholosane sibi insinuaverint et ad acquiescendum et assenciendum dicte provisioni multis racionibus eum induxerint, et de responsione sua; et quod eo constituto in Pape presencia provisioni de ipso facte assentire noluerit, nisi completo primitus voto de intrando fratrum Minorum Ordinem per ipsum emisso; et quod habitum fratrum Minorum susceperit antequam vellet acceptare dictum episcopatum, et quod eumdem habitum de mandato Pape occulte ad tempus portaverit et postea de mandato eiusdem Pape dictum habitum publice in antea portaverit, dixit se nichil scire quia nec vidit nec presens fuit in aliquo vel aliquibus predictorum. Audivit tamen dici a fratribus Minoribus sociis domini Ludovici supradicta, et ab eodem eciam domino Ludovico, illa que tangunt provisionem de ipso facte ecclesie Tholosane et multa alia de hiis que sunt in capitulis supradictis, ut dixit. Certus tamen est testis qui loquitur quod habitum fratrum Minorum assumpsit et multo tempore portavit eciam usque ad mortem, et credit omnia esse vera que de eo in capitulis predictis dicuntur, et eciam maiora, ut dixit.

Capitulum xxxiij. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc supra humanum mo-*
27b *dum* etc. diligenter interrogatus * idem testis qui loquitur, dixit quod ex tunc et

---

[1] Cod. *voluerit.* [2] Cod. *reliquiis.* [3] Cod. *mensio.* [4] Idest, capp. XXVII-XXXII.

antea ab omni illicito risu et actu, verbo et exemplo se abstinuit, nec unquam recordatur quod viderit unum hominem magis mature regulate et disciplinate vite, sue etatis vel maioris, sic in exterioribus se habentem, ut dixit.

Capitulum xxxiiij. Super capitulo quod incipit: *De canibus vel avibus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod verum est. Dixit eciam quod in Provincia, factus episcopus, teste presente qui loquitur et vidente, multos alebat pauperes (set numerum nescit) et dabat eis aquam ad lavandum manus et scindebat eis panem flexis genibus et eis potagium ministrabat in multis locis et antequam comederet. De eo quod faciebat Tholose nescit, quia non erat presens; credit tamen quod ita ubi erat aliis pauperibus faciebat. De tribus pauperibus, quibus secrecius lavabat pedes, dixit se nichil scire.

Capitulum xxxv. Super capitulo quod incipit: *Veniens Parisius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod non fuit presens; set bene audivit dici et credit eciam ita esse. Et quod lavaverit scutellas, credit eciam esse verum, set non vidit, ut dixit. Dixit eciam testis qui loquitur quod illo eodem anno, in quo predicta contigisse dicuntur, ipse testis fuit Parisius et audivit ista recitari in domo Fratrum Parisiensium, et quod eciam publice predicaverat clero et in habitu fratrum Minorum dumtaxat et sine mantello et cappa, quanquam esset episcopus. Dixit eciam idem testis qui loquitur quod audivit ibi recitari quod in die Cene celebravit et omnes Fratres comunicavit et eis postea pedes lavit. Inter quos erat quidam frater Minor niminatus fr. *Iohannes* Passavensis, magnus medicus et antiquus, et qui fuerat decanus medicorum Parisiensium, et iste comunicaverat de manu domini Ludovici illa die et dominus Ludovicus laverat sibi pedes, et erat ydropicus, sicut ferebatur, de calida, et erat * nimis grossus secundum suum esse. Et ille narravit *f. 2 testi qui loquitur quod nullo modo credebat posse vivere per octo dies eo tempore; qui, convocatis ceteris medicis Parisiensibus, rogavit et peciit quod darent sibi remedium et consilium quod posset a morbo tam gravi et intollerabili liberari. Et responderunt quod racione morbi et racione senii non videbant remedium nisi illud quod medicina ponebat: videlicet, quod faceret se inscidi ad tres digitos sub umbilico; et tamen reputabant remedium desperatissimum, ita quod nullo modo sibi consulere voluerunt propter periculum quod sciebant. Ex tunc autem ipse infirmus habuit unum stilum ad longitudinem unius palmi fere, et ipsemet perforavit umbilicum suum et posuit stilum in ventrem quasi totum, pre nimio dolore et angustia morbi et sicut omnino de convalescencia desperatus, sperans tamen quod extractione stili sanies de ventre exiret. Quo extracto, nichil breviter exivit; et tunc magis fuit desperatus. Demum ipse convertit se ad memoriam beati Ludovici, qui tunc recesserat de Parisius, et considerans quam devote celebraverat et Fratres comunicaverat et cum quanta humilitate pedes suos et aliorum Fratrum laverat dominus Ludovicus, devote ipsius imploravit auxilium ut sibi aliquod salubre remedium procuraret cum Deo. Quo facto, secundum narracionem quam ille infirmus fecit testi qui loquitur, ut ipse dixit, per locum foraminis quod ipse cum stilo fecerat, ad modum vini quod exit de dolio, de ventre sanies maxima emanavit, et sic continuavit exitum illa sanies donec ipse totaliter sanus fuit. Et dixit testis qui loquitur quod ipse infirmus asserebat se esse curatum ab illa infirmitate meritis beati Ludovici, et hoc ipse dicebat publice, et Fratres domus Minorum Parisiensium credebant ita esse, qui in tanta infirmitate eum viderant, et postea sanum. Et multi eciam * de domo Fratrum Parisiensium *f.

narraverunt hoc testi qui loquitur. Plus eciam dixit testis qui loquitur quod dictus fr. *Iohannes* quondam infirmus, postquam se vidit sanitati integre restitutum, fuit temptatus redire ad seculum cum esset infra tempus noviciatus, et in illa temptacione cui videbatur consentire, supervenit sibi febris continua; quo viso, recessit ab illa temptacione, dicens quod beatus Ludovicus graciam istam sibi non fecerat quod rediret ad seculum, set quod in Ordine remaneret. Et sic remansit, et est adhuc, ut dixit.

Capitulum xxxvj. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod semper fuit sibi cura de pauperibus in quocumque statu, quantum ipse vidit; et audivit similiter a fide dignis quod idem faciebat ubique, ut dixit. Quod Papa dixerit ei quod non ut episcopus set ut regi[s] natus expenderet, dixit quod presens non fuit in verbis istis; set postea, cum dominus Ludovicus venit in Provinciam, narravit testi qui loquitur quod ita dixerat sibi Papa. Et narravit sibi eciam quod ipse conceperat diminuere familiam suam et volebat scire redditus episcopatus sui, ut posset pauperibus largius providere.

Capitulum xxxvij [1]. Super capitulo quod incipit: *Semel cum eius somerii non venissent* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire, nec de verbis que sunt in capitulo sequenti, quod incipit: *Cumque in crastinum* etc., *capitulum xxxviij.*

Capitulum xxxix. Super capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire. De Missa dixit quod, postquam fuit episcopus et venit in Provinciam et testis qui loquitur fuit cum eo, vidit eum continue et devote celebrantem Missam, nisi iusto impedimento esset
28v aliter impeditus. De aliis que continentur in * sequentibus capitulis [2], videlicet in capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc., et in sequenti capitulo quod incipit: *In eodem eciam viagio* etc., et inmediate sequenti capitulo quod incipit: *Cum iret Parisius* etc., dixit se nichil scire de contentis in eisdem, quia non erat presens, ut dixit.

Capitulum xliij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere penitus voluit* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod ipse non fuit presens in verbis que dominus Ludovicus dixit Pape, nec in illis que Papa dixit vel respondit ei: set postea, cum dominus Ludovicus venit in Provinciam, narravit testi qui loquitur quomodo voluit resignare et Papa noluit acceptare, et eciam dixit sibi plus quod, si contigeret ipsum redire Romam ob causam aliquam, ipse dominus Ludovicus non rediret episcopus. Dixit eciam testis qui loquitur quod postquam dominus Ludovicus fuit clericus, nedum episcopus, ipse non equitavit equum vel palafredum, sed mulo tantum utebatur.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Suadentibus sibi Fratribus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se nichil scire; set credit quod Fratres aliqui suaserunt ei, et audivit a Fratribus qui ei persuaserant, ut dixit.

Capitulum xlv. Dixit eciam contenta in sequenti capitulo quod sic incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. esse vera, et ipse vidit pro eo tempore quo fuit iuxta eum, et audivit a pluribus Fratribus sociis suis et familiaribus aliis quod talibus pannis et talibus coloribus continue utebatur.

---

[1] Et cap. xxxviii. [2] Idest, capp. xl-xlii.

Capitulum xlvj. Dixit eciam quod de contentis in capitulo sequenti quod incipit: *Frequenter in secreto* etc. nichil scit; set, considerata eius humilitate, credit quod vera sint, ut dixit.

Capitulum xlvij. Super capitulo quod incipit: *Sepe visitabat hospitalia pauperum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod non vidit; set bene audivit dici a Fra-*tribus sociis domini Ludovici quod ita faciebat, sicut in capitulo continetur, ut dixit. * f. 28

Capitulum xlviij. De contentis in sequenti capitulo quod incipit: *Semel cum indigeret habitu* etc., dixit se nichil scire.

Capitula que sequuntur respiciunt tempus infirmitatis dicti domini Ludovici.

Capitulum xlix. Super capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire; audivit tamen dici quod illa die ibi celebraverat et predicaverat, et propter laborem arripuerat eum febris, ut dixit. Dixit eciam quod in [1] infirmitate sua fuit pacientissimus, et ipse vidit, nec unquam vidit eum turbatum seu tristem.

Capitulum l. Dixit eciam contenta in sequenti capitulo quod sic incipit: *Devotissime suscepit in morbo Corpus dominicum* etc. esse vera, et ipse fuit presens et vidit devocionem et recepcionem.

Capitulum lj. Super capitulo quod incipit: *Licet autem de consilio* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitulum lij. Super capitulo quod incipit: *Dum die quadam* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit contenta in eodem capitulo esse vera; et ipse dominus Ludovicus testi qui loquitur istud etc. dixit.

Capitulum liij. Super capitulo quod incipit: *Per biduum vel triduum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit contenta in eodem capitulo esse vera; et plus eciam, quod frequenter faciebat sibi aportari Crucem, quam devotissime adorabat; et ipse testis vidit et presens fuit, ut dixit.

Capitulum liiij. Super capitulo quod incipit: *Hoc eodem in crastinum* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, [dixit] quod de narracione illius ystorie nichil scit; set bene fuit presens quando transivit, et tenebat eum per manum. Dixit tamen quod vix potuit percipere quando transivit, nisi quantum sensit eum extendisse manum quando transivit. Interrogatus dictus testis qui loquitur si dominus Ludovicus * servaverit humilitatem, dixit quod in omni conversacione sua et statu tenuit * f. 2 et servavit humilitatem, quia, quamvis ipse esset tantus quantus videbatur in genere, tamen inter Fratres et alios quoscumque homines religiosos [2] voluit humilior apparere [3] et esse; et satis testis qui loquitur apperuit de [4] humilitate ipsius in multis capitulis supradictis, et multa eciam alia possent de eius humilitate narrari, ut dixit. De innocencie puritate, dixit quod ipse quasi vitam ducebat angelicam; nec unquam vidit nec potuit legere vel notare in eo, nec in verbo vel signo vel facto nec in habitu nec in incessu nec in cibo nec in potu nec in aliquo alio actu, aliquid in quo posset aliquod peccatum mortale vel dignum notabili reprehensione notari; set breviter in omni simplicitate bona et honestate et bonitate et paciencia et sanctitate, pietate et

---

[1] Cod. bis *in*. [2] Cod. *religiosus*. [3] Cod. *apparerre*. [4] Cod. bis *de*.

caritate et devocione ad Deum vel in omni opere virtuoso, fugatis quibusvis illecebris, tota eius conversacio intencius [1] ventilabatur et vita. Dixit eciam idem testis quod de hiis omnibus est publica vox et fama in civitate Massiliensi et communiter in Provincia et in omnibus aliis locis et regionibus in quibus extitit conversatus et notus dominus Ludovicus. Dixit eciam quod ipse credit pro certo, et publica vox et fama est in civitate Massiliensi et communiter in Provincia et in aliis provinciis et regionibus, quod Deus facit et fecit multa miracula propter merita domini Ludovici. Dixit eciam quod non in favorem seu elevacionem Ordinis Minorum ita deposuit in predictis, set quia multa vidit de predictis et multa eciam audivit a Fratribus et aliis hominibus fide dignis, que credit esse vera, et longe eciam maiora, ut dixit. Requisitus utrum informatus vel instructus vel a quoquam inductus ita deposuerit, dixit quod non; set propter hoc solum quia sic se habet veritas, prout dixit, ipsum dominum Ludovicum reputans in omnibus graciis et virtutibus fuisse perfectum, ut dictum est.

28d *** Septimus testis super vita, moribus et meritis et miraculis predicti domini Ludovici. Cap. vij.**

Gantelmus de Veyruna nobilis homo Arelatensis dyocesis, quinquagenarius et ultra, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus de dicenda veritate super vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, secundum formam et continenciam capitulorum traditorum et circumstancias eorumdem dominis inquisitoribus predictis, et primo:

Capitulum j. Super capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit quod ipse fuit cum domino Ludovico eo tempore quo ipse habebat septem annos, ut credit, et non plus; et tunc dominus Ludovicus et frater suus dominus Robbertus erant dati in custodia domini Guillelmi de Manerio Reynardi militis gallici, qui reputabatur valde prudens, morigeratus et honestus homo. Et dictus miles tenebat eos docendo et disciplinando iuxta etatem eorum in hiis que pertinebant ad honestatem et bonos mores. Dixit eciam quod habebant unum clericum gallicum honestum hominem, sicut dicebatur, qui docebat eos litteras; set quas litteras, ipse nescit, quia laycus est. Dixit eciam quod dicti pueri, scilicet dominus Ludovicus et dominus Robbertus, nutri[e]bantur iuxta morem liberorum regis Francie; set quis esset ille modus vel consuetudo domus Francie, ipse nescit, nisi quantum dicebatur quod in bonis moribus et honestate et benignitate nutriebantur. Interrogatus quanto tempore fuit ipse testis cum domino Ludovico, dixit quod per byennium, et serviebat ei de eo quod miles, qui eos habebat in custodia, precipiebat ei. Interrogatus si ultra byennium fuit cum eis antequam irent in obsidatum pro domino patre suo rege, dixit quod sic,
29a quia, antequam irent in obsidatum per sex menses * ipse qui loquitur redierat ad dominum Ludovicum et stetit cum eo per sex menses, et vidit omnem mansuetudinem, bonitatem, honestatem crevisse in eo, ut dixit. Interrogatus cuius etatis erat dictus dominus Ludovicus eo tempore quo fuit in obsidatum deductus, dixit quod xiiij.cim annorum, secundum quod domina mater sua dicebat et alii qui erant cum ea. Interrogatus quanto tempore ipse testis fuit cum domino Ludovico postquam intravit Cathaloniam et fuit in obsidatu, dixit quod a festo omnium Sanctorum usque ad subsequens festum Pasche. Interrogatus quam vitam ducebat in obsidatu dominus Lu-

[1] Cod. potius *intencio.*

dovicus, dixit quod omni mane audiebat Missam privatam et postea ibat ad studium cum fr. *Francisco* et fr. *P(etro)* de Ordine fratrum Minorum, qui docebant eum, et ibi stabat usque ad prandium legendo vel studendo, et post prandium redibat ad cameram ut ibi studeret et conferret et disputaret; et ipse testis vidit hoc multociens. De alio tempore quo[1] fuit et remansit in obsidatu nichil scit, nisi quod postea audivit dici quod ibi multum profecit et magnam scienciam acquisivit. De hiis autem que dominus Ludovicus fecit a tempore exitus obsidatus Cathalonie usquequo fuit Neapoli, dixit quod nescit, quia presens non erat; audivit tamen quod, nedum illa bona que scripta sunt in capitulis, set eciam longe maiora fecit, ut dixit. Neapoli autem vidit eum in castro Ovi, ubi fecit sibi reverenciam; et fuerunt vestes sibi date pro parte sua, sicut consuetum erat fieri sibi et aliis familiaribus domini Ludovici. Et tunc fuit cum eo per sex dies. Nec permittebat quod aliqui seculares nec ioculatores nec alique mulieres venirent ad eum; set quatuor fratres Minores quasi continuo erant cum eo. Et multi alii religiosi veniebant ad eum. Et illis sex diebus vidit eum * utentem vasis vitreis ad biben- *f. dum et terreis ad comedendum, et in magna humilitate et mansuetudine. Post predictos autem sex dies, testis qui loquitur dixit se ivisse cum domino rege Brundisium; et post duos menses reversi sunt Neapolim. Et postquam rex fuit per tres dies reversus de Brundisio Neapolim, ivit Romam, et testis qui loquitur cum eo. Et post multos dies dictus dominus Ludovicus venit Romam, cui cancellarius regis occurrit in Molaria, et testis qui loquitur erat cum eo. Et idem testis descendit ut faceret ei reverenciam et oscularetur sibi pedem, set dominus Ludovicus non permittebat; tamen ipse testis quasi violenter posuit manus suas sub cappa ipsius et pervenit ad tybias et invenit eas nudas et plenas luto, ut dixit. Interrogatus si ipse vidit quando dominus Ludovicus recepit minores ordines, dixit quod non vidit nec presens fuit in minoribus ordinibus, nec quando in subdyaconum, dyaconum et presbiterum ordinatus fuit. Vidit tamen idem testis quando Papa providit domino Ludovico de episcopatu Tholosano Rome, et vidit postea una die solempni quod idem dominus Papa consecravit eum; set non vidit quod dominus Ludovicus renuerit acceptare, nec vidit nec audivit eciam quod ipse diceret quod non reciperet episcopatum donec habitum fratrum Minorum accepisset. Vidit tamen, postquam fuit episcopus, quod portavit habitum fratrum Minorum et quod in vestibus suis et in ornamentis domus et camere et lecti sui utebatur panno coloris bruni vel beguini. Dixit eciam quod non vidit nec audivit quod dominus Ludovicus renunciaverit temporali patrimonio, primogeniture iuri et regno; vidit tamen multociens quod pauperibus multis ipse dominus Ludovicus dabat hora prandii aquam ad lavandum manus et quod serviebat eis de primo ferculo, et devote genu flexo scindebat eis panem, et quod multum compaciebatur infirmis et in-*digentibus et quod quitquid poterat eis facere, quod esset *f. ad relevacionem et sustentacionem eorum, libenter faciebat. Dixit eciam quod ipse credit pro certo eum fuisse humilimum et sine superbia, et quod ipse fuit sobrius in comestione et in potu, et in omnibus actibus et potenciis sensuum suorum perfectissime regulatus, et in omni bonitate et mansuetudine reputat eum fuisse virum perfectum et sine peccato mortali. Dixit eciam quod ipse fuit pacientissimus; et ipse vidit, pro eo tempore quo fuit cum eo in obsidatu, ubi multas et graves passus

[1] Cod. *quod.*

fuit iniurias et molestias per illos qui eum custodiebant, et ipse pacientissime sustinebat, ut audivit eciam dici a Fratribus qui cum eo fuerant in dicto obsidatu. Dixit eciam quod ipse testis pro certo [credit] quod Deus, meritis domini Ludovici et et propter bonam et sanctam vitam quam ipse duxit in hoc mundo, multa miracula operatur; et de hoc et de predictis eciam est publica vox et fama Massilie et in Provincia et in aliis locis extra Provinciam, ut dixit. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod comuniter dicitur. Interrogatus eciam si instructus vel informatus ab aliquo, timore vel amore, prece vel precio ita deposuit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Octavus testis super vita eiusdem domini Ludovici. Cap. viij.

Hugo Porceleti de Aralate, nobilis homo etatis xxx^ta annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus de dicenda veritate super vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani secundum formam et continenciam et circumstancias capitulorum traditorum dominis inquisitoribus predictis, et primo:

Capitulum j. Super capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit quod ipse non vidit, nec erat illius etatis quod sciret discernere contenta in eodem capitulo;
9d credit tamen quod dominus Ludovicus fuerit bene, * honeste et morigerate nutritus.

Que sequuntur referuntur ad tempora obsidatus.

Capitulum ij. Super capitulo quod incipit: *In primo namque sue iuventutis flore* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod non vidit nec ivit quando dominus Ludovicus fuit missus in obsidatum; audivit tamen dici quod dominus Ludovicus et frater suus Robbertus transiverunt per Vasconiam et fuerunt ducti in Cathaloniam obsides pro liberacione patris sui, ut dixit. Postea vero, post multos dies, dominus Raymundus B[e]rengarii, frater domini Ludovici, cum multis nobilibus de Provincia, de quibus ipse qui loquitur fuit unus, et cum multis burgensibus fuerunt ducti in Cathaloniam eciam pro obsidibus, et applicuerunt in Cathaloniam in quadragesima; et in die veneris sancta sequenti testis qui loquitur, qui tunc poterat esse etatis xij^cim annorum vel circa, sicut dixit, fuit ductus de quodam castro alio quod vocabatur Roca, ubi cum multis aliis tenebatur obses, ad castrum dictum de Monte Cade, ad standum in hospicio domini Ludovici et fratrum suorum et ad serviendum eis. Et ibi fuit in eorum servicio septem mensibus vel circa. Et vidit quod duo fratres Minores, fr. *Franciscus* et fr. *P(etrus)* Scarrerii, erant cum eis et docebant dominum Ludovicum et dominum Robbertum; et omni die audiebant Missam et Officium, sicut ipse vidit multociens, nec ante aliquo modo comederent donec audivissent Missam. Et vidit ipse qui loquitur quod dominus Ludovicus multociens corripiebat multum dulciter fratrem suum dominum Robbertum, quando videbat eum in aliquo dissolutum. Et in ipso domino Ludovico nunquam notavit dissolucionem ineptam, immo comuniter Cathalani qui custodiebant eum et Provinciales qui erant cum eo dicebant: « Iste faciet unam bonam et sanctam personam! » Dixit eciam quod
0a dominus Ludovicus faciebat servari * in hospicio suo quod quicumque plasphemabat Deum vel sanctos vel iuraret vel diceret aliquod turpe vel inhonestum verbum, sedebat illo die in terra et comedebat in terra, nec quamdiu erat ibi audebat au-

ferre panem canibus, si venirent canes et capere vellent. Et omnem honestatem volebat et faciebat servari, quantum poterat, in domo et alibi. De sciencia domini Ludovici nichil scit nisi quantum [1] continue addiscebant; set erant multum iuvenes, et continue addiscebant. Dixit eciam quod iuvenes qui non audebant iurare de Deo, quod dominus Ludovicus audiret, dixerunt quod ipsi iurarent de eo; et tunc ipse dixit eis: « Audacter iuretis et dicatis de me illud quod volueritis ». Et tunc interdum ipsi iurabant per capud aut per pedes aut per ventrem Ludovici; et tunc ipse ridebat [2] et aliter non curabat. Dixit eciam ipse testis quod, quamdiu fuit cum domino Ludovico, non vidit in eo signum, per quod posset notari peccatum mortale. Dixit eciam quod ipse fuit vite laudabilis, in omni humilitate, benignitate, sobrietate et mansuetudine; et hoc audivit dici a pluribus fide dignis et vidit quamdiu secum fuit. Et de hoc est fama publica; et quod ipse fuit magnus helemosinarius et compaciens pauperibus. Dixit eciam quod publica vox est hic et in Provincia et in locis pluribus, quod Deus facit et fecit frequenter multa miracula meritis beati Ludovici, et quod multi venientes ad tumulum suum curantur de infirmitatibus suis. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Dixit eciam quod ipse credit eum in omni humilitate, caritate, devocione et sanctitate fuisse perfectum. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Nonus testis super vita eiusdem domini Ludovici. Cap. ix.

Reverendus pater et dominus frater P(etrus) de Ordine fratrum Predicatorum, episcopus de * Vencia, testis productus de dicenda veritate super vita, moribus * f.
et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, exhibitis sibi sacrosanctis evangeliis, iuratus prout iura volunt, dixit quod de tempore ante obsidatum nichil scit, nec eciam de tempore quo fuit in obsidatu; sed bene credit quod fuerit honeste et in bonis moribus educatus ac eciam informatus et per bonos et sapientes viros, qui eum informabant in bonis moribus et in conversacione honesta. Credit eciam quod in obsidatu multum profecit in sciencialibus, moralibus, theologicis et philosophicis. Dixit eciam quod post exitum obsidatus vidit eum predicantem apud Figuieras [3], in nupciis sororis sue uxoris regis Aragonum. Postea vidit eum continuo parum loqui nisi in conferendo et disputando, in quibus fervebat et se exercitabat. Et ex tunc vidit eum in omni humilitate conversantem, in puritate et innocencia viventem, nec recordatur quod in eo vidit aliquod signum vel factum, in quo posset notari peccatum mortale; austeritatem penitencie et abstinencie observantem, pacientem in adversitatibus, honestatem et caritatem ad Deum et proximum habentem, pietatem et devocionem habuit ad Deum [4], et virum plenum virtutibus et sanctitatem magnam in omnibus suis actibus pretendentem. Dixitque eciam ipse qui loquitur quod in suis necessitatibus vel infirmitatibus, confidens de sanctitate ipsius, invocabat beatum Ludovicum, et videtur sibi quod inveniebat bona remedia et salubria. Dixit eciam quod populus de Massilia et homines multarum provinciarum et multi nobiles et alii viri sapientes magnam devocionem habent ad beatum Ludovicum, propter sanctitatem suam et bonitatem quam habuit. Dixit eciam quod a multis audivit quod Deus meritis beati Ludovici miracula multa facit.

[1] Sic. [2] Cod. *videbat.* [3] Figueras in Catalaunia. [4] Sic.

Decimus testis super vita eiusdem. Cap. x.

Reverendus in Christo pater dominus Iacobus episcopus Foroiuliensis, testis productus et iuratus, prout consuetum est episcopum iurare, diligenter interrogatus
50c super capitulis traditis de vita, mo-*ribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani et circumstanciis eciam eorumdem, et primo:

Capitulum j. Super capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit se audivisse contenta in ipso capitulo a fide dignis, et credit ea esse vera; aliter nescit, ut dixit.

Capitula que sequuntur referuntur ad tempora obsidatus.

Capitulum ij. Super capitulo quod incipit: *In primo namque sue iuventutis flore* etc. diligenter interrogatus, respondit idem quod in supra proximo.

Capitulum iij [1]. Super capitulo quod incipit: *Set et tunc eciam in obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus, necnon et super omnibus et singulis capitulis contentis usque ad capitulum quod incipit: *De canibus et avibus* etc. exclusive, diligenter interrogatus, dixit idem quod in proximo.

Capitulum xxxiiij. Super capitulo quod incipit: *De canibus et avibus* etc. diligenter interrogatus, dixit quia, ex quo prefatus dominus Ludovicus Tholosam applicuit, vidit frequenter, sicut ille qui erat eius officialis et familiaris et domesticus suus, quod multis pauperibus (de quorum numero non recordatur, set bene credit quod erant xxv) humiliter serviebat, aquam eorum infundendo manibus et apponendo [2] fercula coram eis; non tamen recordatur plene utrum ipse solus omnibus apponeret fercula vel familiares sui iuvarent eum. Vidit eciam quod panem scindebat coram aliquibus pauperibus flexo genu, et familiares eius interdum iuvabant eum ad scindendum, ut dixit testis qui loquitur. Dixit eciam idem testis quod, ex tunc usque dictus dominus Ludovicus diem clausit extremum, sicut familiaris et domesticus suus frequentavit domum ipsius, et toto illo tempore se vidisse non recordatur quod canibus vel avibus venaticis fuerit usus, nec aliquis eius familiaris. De tribus vero pauperibus dixit se audivisse a fide dignis, et aliter se nescire, ut dixit.

Capitulum xxxv. Super capitulo quod incipit: *Veniens Parisius* etc. diligenter interrogatus, dixit se audivisse contenta in eodem capitulo a fide dignis, et aliter se nescire, ut dixit.

0d *Capitulum xxxvj.* * Super capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera. Interrogatus quomodo scit predicta, dixit quia ipse qui loquitur fuit ille familiaris cui dominus Ludovicus verba illa dixit. Quadam enim die eo ad partem vocato, dixit eidem testi qui loquitur dictus dominus Ludovicus quod provideret quod summam sui episcopatus exquireret et eciam expensarum, et taliter ordinaretur hospicium suum et temperarentur expense quod superesset satis ad largas helemosinas faciendum; quanquam enim summus Pontifex dixisset eidem domino Ludovico, sicut ipsemet asseruit, quod non ut episcopus set ut regis filius expenderet, ipse de hoc non curabat, quia magis eligebat confundi quoad mundum quam quoad Deum, ut dixit.

Capitulum xxxvij [3]. Super capitulo quod incipit: *Semel cum eius somerii non venissent* etc., et super capitulo immediate sequenti quod incipit: *Cumque in cra-*

---

[1] Et capp. IV-XXXIII. [2] Cod. *apponenda.* [3] Et cap. XXXVIII.

stinum etc., diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit se credere contenta in eisdem capitulis esse vera. Interrogatus quare credit, dixit quia audivit illa a reverendo patre domino P(etro) bone memorie quondam Arelatensi archiepiscopo, tunc regni Sicilie cancellario, qui, sicut sibi dixerat, fuit ille familiaris dicti domini Ludovici qui fecit eidem domino Ludovico bacile argenteum deportari, et sibi fuit facta responsio per dictum dominum Ludovicum sicut in eodem capitulo continetur.

Capitulum xxxix. Super capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. diligenter interrogatus, dixit se audivisse dici a fide dignis contenta in ipso capitulo, et vidisse eum pluries devotissime celebrantem Missam eciam cum intensis caloribus, et sociis suis fessis existentibus et confractis, ut dixit.

Capitulum xl. Super capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc. diligenter * interrogatus, dixit vera esse contenta in ipso capitulo. *f. Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit et presens fuit, et vidit et audivit que in eodem capitulo continentur, ut dixit.

Capitulum xlj. Super capitulo quod incipit: *In eodem eciam viagio* etc. diligenter interrogatus, dixit quod quanquam ipse testis esset tunc in comitiva domini Ludovici, tamen non fuit presens quando visitavit illam mulierem annosam et quando pavit eam. Sed paulo post, cum dictus dominus Ludovicus recessisset ab ea, ipse audivit eam conquerentem de pediculis, et vidit quod multos habebat supra se, et iuvit una cum quibusdam aliis familiaribus domini Ludovici ipsum a dictis pediculis liberari. Et tunc socii domini Ludovici dixerunt testi qui loquitur quod ita acceperat et fecerat dominus Ludovicus, sicut in eodem capitulo continetur.

Capitulum xlij. Super capitulo quod incipit: *Cum iret Parisius* etc. diligenter interrogatus, dixit se audivisse et credere contenta in ipso capitulo; aliter nescit, ut dixit.

Capitulum xliij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere penitus voluit* etc. diligenter interrogatus, dixit se audivisse a fide dignis contenta in ipso capitulo quantum ad cessionem; quantum autem ad alia contenta in eodem capitulo, dixit quod, quandiu fuit cum eo, non vidit eum equitantem equum seu palafredum, set mulum [1] dumtaxat.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Suadentibus sibi Fratribus* etc. diligenter interrogatus, dixit se audivisse a fide dignis et credere contenta in ipso capitulo; aliter nescit, ut dixit.

Capitulum xlv. Super capitulo quod incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur. Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit.

Capitulum xlvj [2]. Super capitulo quod incipit: *Frequenter in secreto* etc. et super duobus ca-*pitulis immediate sequentibus diligenter interrogatus, dixit se audivisse *f. et credere contenta in eisdem capitulis; aliter nescit, ut dixit.

Ista capitula que sequuntur respiciunt tempus infirmitatis domini Ludovici.

Capitulum xlix. Super capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus, dixit quod vidit et audivit dominum Ludovicum in festo beati

---

[1] Cod. *multum.* [2] Et capp. XLVII-XLVIII.

Dominici celebrantem Missam Brinonie in domo regis et de infirmitate conquerentem. Dixit eciam quod nec in dicta infirmitate, in qua servivit sibi ipse qui loquitur multum assidue sicut familiaris suus, nec alias potuit percipere ipsum inordinate turbatum, licet interdum facta sibi fuerint talia, de quibus ipse qui loquitur et nonnulli alii familiares eius turbabantur, ut dixit.

Capitulum l. Super capitulo quod incipit: *Devotissime suscepit in morbo Corpus dominicum* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in ipso capitulo esse vera. Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit et presens fuit.

Capitulum lj. Super capitulo quod incipit: *Licet autem de consilio* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse contenta in ipso capitulo. Interrogatus quomodo scit, dixit quia audivit et presens fuit.

Capitulum lij. Super capitulo quod incipit: *Dum die quadam* etc. diligenter interrogatus, dixit se credere esse vera contenta in ipso capitulo, quia ita audivit a venerabili et religioso viro fr. *Raymundo* Gaufridi magistro in theologia, cui dictus dominus Ludovicus, sicut idem fr. *Raymundus* asseruit, dixit verba illa.

Capitulum liij. Super capitulo quod incipit: *Per biduum vel triduum* etc. diligenter interrogatus, dixit se credere vera esse et audivisse contenta in ipso capitulo; aliter nescit, ut dixit.

Capitulum liiij. Super capitulo quod incipit: *Hoc eodem in crastinum* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur. Interrogatus quomodo scit, dixit quia presens fuit et audivit. De nomine tamen Fratris qui nar-
/c ravit historiam, dixit se non recordari, nec de ystoria; * erat tamen de facto paradisi terrestri[s], ut dixit.

Capitulum lv. Super capitulo quod incipit: *De predictis autem* etc. diligenter interrogatus, dixit quod numquam vidit tempore vite sue hominem ita pium nec magis humilem nec qui magis contempneret mundum nec magis sobrium in omnibus actis[1] suis; et quod de hiis et de predictis erat fama et est adhuc inter omnes familiares dicti domini Ludovici et apud magnos viros et honestas tam religiosas quam seculares personas, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore vel aliqua alia racione ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic, et melius quam dixerit, se habet, ut dixit.

Undecimus testis super vita prefati domini Ludovici.

Guillelmus abbas monasterii sancti Victoris de Massilia ordinis sancti Benedicti, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super capitulis traditis de vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani et circumstantiis eorumdem, necnon et super aliis predictum negotium tangentibus, et primo:

Capitulum j[2]. Super capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit quod de tempore ante obsidatum nichil scit; set audivit dici a fide dignis et credit quod dominus Ludovicus mundissime et honestissime et in bonis moribus per doctas et honestas personas fuit nutritus et doctus et in devocione Dei et Ecclesie. De tempore obsidatus dixit quod nichil scit, nisi quod credit et audivit a fide dignis, quod ibi staret et honestam vitam duxit et quod ibi ita profecit in diversis scienciis, quod, secundum quod ipse audivit a multis, videbatur magis habuisse a divine gracie in-

---

[1] Sic. [2] Et capp. II-XXI.

fusione quam humana acquisicione. Et audivit dici quod cum eo erant et conversabantur quasi continue honeste et religiose persone, cum quibus libenter vivebat et studio et lectioni * et oracioni vacabat. De sua predicacione pro illo tempore nichil * f. scit, sicut dixit. Lectis eciam sibi seriose omnibus et singulis capitulis que respiciunt tempus ante obsidatum et tempus in obsidatu, dixit se nichil scire; sed tamen audivit dici a fide dignis et credit esse vera que in dictis capitulis et eorum singulis continentur, et maiora eciam et quitquid posset dici de eo boni ipse credit, ut dixit.

Capitula que sequuntur respiciunt tempus liberacionis et exitus obsidatus et antequam esset episcopus Tholosanus.

Capitulum xxij. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse qui loquitur vidit dominum Ludovicum apud Bellam Gardiam [1] in Cathalonia portantem tonsuram clericalem et pelles varias in vestibus suis talaribus, que de novo fuerant sibi facte, de persico claro. Quod portaret staminea[m] et cordam ad carnem, dixit se nichil scire. Dixit tamen quod fratres Minores continuo erant cum eo et habebant lectos in camera sua, et credit quod iacerent ibi, ut dixit. De servicio secularium nichil scit, ut dixit. Quod in Monte Pessulano voluerit iterare votum, quod dicebatur fecisse, de intrando fratrum Minorum Ordinem, nec eciam quod votum emiserit, dixit se nichil scire. De tabardo genitoris sui dato pauperi, dixit se nichil scire; vidit tamen ipse qui loquitur quod iuxta Sanctum Tyberium, Agatensis dyocesis, quodam die domino Ludovico occurrit unus pauper, et cum non haberet peccuniam ad dandum, ciroteeas quas portabat in manibus quanto secrecius potuit dicto pauperi erogavit. De minoribus et maioribus ordinibus dixit se nichil scire, quia presens non fuit. De panno nigro nichil scit; set bene vidit quod utebatur interdum panno beguino, ut dixit. De vasis argenteis sibi per patrem * missis et per eum non admissis, dixit se nichil scire. Quod re- * f. nunciaverit temporali patrimonio, primogeniture iuri et regno, dixit quod nichil scit, quia presens non fuit; dixit tamen quod credit, quia publice habetur et apparuit postea quando religionem intravit.

Capitulum xxiij. [2] Super capitulo quod incipit: *Existens in castro Ovi* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod de hiis que contigerunt ex quo exivit dominus Ludovicus de Provincia et ivit Neapolim, et de hiis eciam que contigerunt in castro Ovi et in castro Novo et in Curia romana, et lectis sibi omnibus et singulis capitulis factis super hiis que contigerunt et facta fuerunt in locis predictis et in via donec factus fuit episcopus Tholosanus et reversus est in Provinciam, dixit se nichil scire; credit tamen quod quecumque scripta sunt in predictis capitulis vera sunt, ut dixit. Et cum dominus Ludovicus reversus fuit in Provinciam, ipse testis qui loquitur occurrit sibi circa Draguignhanum [3], et illa die comedit cum eo testis qui loquitur, et vidit multos pauperes, sed nescit numerum quibus dominus Ludovicus dedit aquam ad lavandum manus; et scindebat eis panem flexis genibus, ut credit. Et sequentibus diebus continuo, quandiu idem testis fuit cum eo, vidit quod idem faciebat. Interrogatus quanto tempore fuit cum eo tunc, dixit quod xv^cim^ diebus vel circa, et in Terrascone recessit ab eo. Et pro illo tempore vidit quod continuo celebrabat Missam et cum multa devocione, et faciebat legi in mensa sua continue,

[1] Cod. *Gardiani.* [2] Et capp. XXIV-LIV; deest titulus in cod. [3] Draguignan (Var).

et conferebat et disputabat libenter; et vidit quod erat multum sobrius in cibo et potu, ut dixit. Dixit eciam quod ab illo tempore quo recessit a domino Ludovico de
2b Terrascone, quid[1] ipse dominus Ludovicus egerit eundo Pa-*risius vel Tholose et postea eundo in Cathaloniam, eundo et redeundo, dixit se nichil scire: set credit omnia contenta in capitulis que respiciunt tempora illa esse vera, et credit quod posset dici de eo omne bonum. Quod episcopatui cedere voluerit, nichil scit, ut dixit. Quod eciam iret Parisius pro magistrando in theologia, nichil scit. Quod de panno humili et bruni coloris [indueretur] et quod eiusdem coloris tapetum et cortinas et coperturum[2] lecti sui haberet, dixit quod verum est, et ipse vidit, et talibus utebatur, ut dixit. Quod vellet servire Fratribus, nichil scit. Quod hospitalia pauperum visitaret, dixit quod nichil scit; set bene credit. Quod Brinonie celebraverit in die beati Dominici et quod eadem die eum febris arripuerit, dixit se nichil scire. Scit tamen pro tempore pro quo vidit eum, et audivit a fide dignis religiosis et secularibus viris, quod ipse in omni statu suo humilis et pacientissimus fuit, nec unquam percepit eum in aliquo inordinate turbatum. Dixit eciam quod non fuit presens quando recepit Corpus dominicum, nec quando adoravit Crucem; credit tamen quod devotissime recepit et adoravit. Quod eciam leges amplius[3] non audire ordinaverit, et de licencia quam ab eo Frater quidam peciit et de responsione quam ipse fecit ei, et quod Fratrem qui de Curia venerat ut sibi narraret aliquam ystoriam rogaverit et quod tunc spiritum Domino reddiderit, dixit se nichil scire, quia non erat presens; credit tamen quod cum omni devocione, humilitate et contricione transivit de hoc mundo.

Capitulum lv. Super capitulo quod incipit: *De predictis autem* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod pro eo tempore quo fuit cum domino Ludovico numquam vidit hominem magis humilem quantum ad maiores, minores et
2c mediocres et eciam quantum ad se, quia quantumcumque esset de alto * genere non vidit quod propter hoc iactaret se vel eciam superbiret. Dixit eciam quod credit pro firmo quod ipse fuit purus et innocens et sine peccato mortali, quia nunquam, quod ipse viderit vel audiverit, apparuit in eo, signo, verbo, exemplo vel eciam facto, aliquid quod esset inhonestum et Deo displicibile, inmo totaliter[4] videbatur ducere angelicam vitam. Credit eciam et audivit dici quod multas penitencias et abstinencias faciebat, et quod numquam vidit aliquem hominem ita pacientem nec ita devotum ad Deum nec qui ita parum de honore mundano curaret, immo penitus pompam huius seculi et vanitates huiusmodi contempnebat et fugiebat; et quod in omnibus actibus sensuum suorum fuit perfectissime regulatus. Dixit eciam quod de istis omnibus, necnon et quod Deus meritis suis multa et innumera miracula operetur, est in Provincia et ubicumque conversatus fuit et in multis aliis regionibus publica vox et fama. Et ipse credit et tenet pro firmo quod sit sanctus et quod propter sanctam et perfectam vitam quam habuit et tenuit, ut dixit, sicut sanctus debeat haberi in summa reverencia ac eciam honorari. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod communiter dicitur a pluribus. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set solum quia de eis veritas sic se habet.

---

[1] Cod. *quod*. [2] Sic. [3] Cod. *amp̄*. [4] Cod. *inmola taliter*.

Duodecimus testis super vita eiusdem.

Fr. *Guillelmus* de sancto Marcello ordinis fratrum Minorum, etatis LX^ta annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super capitulis traditis de vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani et circumstanciis[1] eorumdem, necnon et super aliis predictum negocium tangentibus, et primo:

Capitulum j. Super capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit quod ipse vidit dictum dominum Ludovicum in infancia Cistarici et Aquis, ut sibi videtur; et tunc apparebat infans multe dulcedinis et mansuetudinis, et pre-*tendebat signa magne humilitatis, honestatis et maturitatis secundum suam etatem. Et erat datus in custodia honestarum personarum, sicut audivit dici. Et vidit aliquas personas de illis, de quorum nominibus non recordatur, ut dixit; et bene audivit dici a fide dignis personis, quod in domo regis Francie et in domo regis Sicilie, patris quondam regis istius, et istius qui nunc est, est consuetum eorum liberos per morigeratas et honestas personas nutriri et informari. * f.

Que sequuntur referuntur ad tempora obsidatus.

Capitulum ij[2]. Super capitulo quod incipit: *In primo namque sue iuventutis flore* etc. diligenter interrogatus, dixit quod non vidit eum in obsidatu; credit tamen quod multum profecit ibi, et credit quod potius habuerit illam scienciam ex gracia infusa quam ex acquisicione humani ingenii; et credit quod haberet secum duos fratres Minores et alias honestas personas qui eum instruebant et informabant in scienciis predictis. Postea sibi lectis omnibus et singulis capitulis in quibus tangitur de hiis que contigerunt in obsidatu, dixit se nichil scire; sed credit omne bonum de eo, et credit contenta in capitulis esse vera, et multa bona et sancta audivit dici a religiosis et fratribus Minoribus et a pluribus aliis fide dignis de eo.

Capitulum xxij[3]. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem* etc. diligenter interrogatus, necnon et lectis sibi omnibus et singulis capitulis usque ad capitulum quod sic incipit: *Episcopatui penitus cedere voluit* etc., dixit se nichil scire. De aliis contentis in eisdem capitulis respondit ut supra; hoc excepto, quod de bacili nichil audivit.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui penitus cedere voluit* etc. diligenter * interrogatus, dixit quod de eo quod fecit cum Papa et de responsione eius nichil scit; hoc tamen scit quod una vice dominus Ludovicus vocavit eum qui loquitur quod veniret ad eum apud Brinoniam et dixit sibi: « Pater meus intendit vos mittere Romam, videlicet pro reintegrando episcopatu Tholosano; et ego nolo et alia intencione moveor, et est intencio mea quod vos procuretis cum Papa quod ipse recipiat renunciacionem meam, quia omnino intendo renunciare nec intendo habere curam animarum. Sufficit enim michi si possum reddere racionem Deo de anima mea ». Dixit eciam quod numquam vidit, pro tempore quo fuit cum eo, quod ipse equitaret equum seu palafredum, sed mulum parvum. Quod persuasum fuerit ei quod iret Parisius pro magisterio suscipiendo in theologia, dixit se nichil scire. * f.

---

[1] Cod. *circumstancias*. [2] Et capp. III-XXI. [3] Et capp. XXIII-XLIII.

Capitulum xlv[1]. Super capitulo quod incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera. Dixit eciam quod frequenter serviebat Fratribus, et eciam sibi ipsi qui loquitur potum semel ministravit. Quod visitaret hospitalia pauperum, nichil scit; set bene audivit a fide dignis et credit quod faceret. Quod portare voluerit habitum cuiusdam Fratris socii sui, dixit se nichil scire.

Ista sunt capitula que respiciunt tempus infirmitatis dicti domini Ludovici usque ad mortem.

Capitulum xlix[2]. Super capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus, dixit quod non fuit presens quando celebravit, sed secunda vel tercia die sequenti vidit eum Brinonie sedentem in lecto cum habitu suo, et non videbatur sibi quod haberet aliam egritudinem nisi reuma; et stetit ibi biduo cum
55b eo, et postea recessit, nec postea vidit eum. Unde dixit quod * de contentis in capitulis que sunt in capitulo proximo supradicto usque ad capitulum quod incipit: *De predictis autem* etc., nichil scit. Dixit tamen quod ipse vidit eum devotissime celebrantem Missam pro tempore quo fuit cum eo, et cotidie, ut dixit.

Capitulum lv. Interrogatus super capitulo quod incipit: *De predictis autem omnibus* etc., dixit quod si unquam vidit aliquem hominem humilem, ipse fuit magis humilis et omnem humilitatem habuit et servavit ad omnes personas, cuiuscumque status seu condicionis existerent. Et sua humilitas apparebat et apparuit in eo quod elegit habitum ita humilem, et quando renunciavit regno, et quando pompam et vanam gloriam huius mundi sic omnino contempsit et fugit, et quando nullam prerogativam, quantumcumque esset nobilis et de alto genere, nolebat habere ante alios fratres Minores socios suos qui assistebant sibi, immo frequenter eis serviebat ac si esset unus simplex Frater et minor de Ordine. Dixit eciam quod dominus Ludovicus fuit purus et innocens et sine peccato mortali, ut ipse credit et tenet pro firmo; et hoc apparebat bene, quia nunquam volebat videre aliquam mulierem nec placebant ei colloquia seu consorcia mulierum, ymmo totaliter abhorrebat et eas fugiebat; et si quandoque conti[n]geret eum ire per villam vel in publico, semper tenebat oculos dimissos ad terram; et breviter ipse videbatur ducere angelicam vitam. Quod ipse habuerit austeritatem penitencie, dixit quod ipse habuit secundum statum suum, quia multum affligebat corpus suum ieiuniis et vigiliis et interdum orando vel studendo; et vestem asperam portabat ad carnem, et cibaria comedebat grossa, quamvis delicata pararentur pro eo, et parum sumebat. Dixit eciam quod numquam vidit hominem ita pacientem, quia pro eo tempore quo fuit cum eo non vidit eum turbatum nec quod aliquod verbum inordinatum diceret, immo erat paciens in om-
5c nibus, mitis, pacificus et benignus. Dixit * eciam quod ipse habuit honorem et caritatem ad proximum, quod apparebat in effusione et erogacione helimosinarum et compassione[3] quam habebat ad pauperes, quia devote ministrabat eis in mensa et quandoque genu flexo scindebat eis panem, ut audivit a fide dignis et ipse credit. Dixit eciam quod ipse fuit devotissimus et pius, et hoc ostendebatur bene in oracione et in Missa, quia multum devotissime celebrabat. Dixit eciam quod numquam vidit hominem ita sobrium in cibo et potu et in verbis et in omnibus

[1] Et capp. XLVI-XLVIII. [2] Et capp. L-LIV. [3] Cod. add. *et erogacione*.

actibus suis, sicut ipse erat. Interrogatus si credit quod merita beati Ludovici requirant quod Deus debeat facere miracula pro eo et tanta sic facit, dixit quod quando ipse cogitat vitam suam et excellenciam perfectionis quam habuit et tenuit beatus Ludovicus, ipse credit quod merita sua requirunt quod Deus faciat miracula pro eo, immo miratur quod plura non faciat et fecerit miracula, quia numquam vidit hominem magis perfectum in omnibus, sicut dixit. Interrogatus si est fama et vox publica Massilie et in Provincia et in aliis regionibus quod Deus propter merita beati Ludovici faciat plura miracula, dixit quod sic et quod in dictis locis tenent eum pro sancto, et ipse credit et tenet pro firmo quod sit sanctus. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod communiter a pluribus dicitur. Interrogatus si prece, precio, instructus vel informatus ab aliquo aut in favorem et augmentum Ordinis sui ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Decimus tercius testis super vita eiusdem domini Ludovici. Cap. xiij.

Iohannes de Us, archidiaconus Baugenciaci in ecclesia Aurelianensi [1], testis productus, iuratus et requisitus super vita, meritis et moribus domini Ludovici quondam episcopi tholosani, dixit quod ipse vidit dominum Ludovicum quando erat etatis trium vel m^{or} annorum, et docuit eum alphabetum et oracionem dominicam, scilicet *Pater noster*, et *Ave Maria*. Dixit eciam quod ibi erat quidam miles vocatus dominus Guillelmus de Manerio Reynardi, qui erat * honestus et discretus homo, et erat domino Ludovico et fratri suo datus pro informatore et instructore; et dixit quod dominus Ludovicus et fratres sui semper fuerunt docti, nutriti et instructi in bonis moribus et honestis, quantum ipse vidit. Dixit eciam quod dominus Ludovicus fuit in obsidatu, ubi multa didicit et magnus clericus effectus fuit; tamen ipse non vidit eum ibi. Sed postquam dominus Ludovicus rediit de obsidatu, ubi fuerat per multos annos, testis qui loquitur venit apud Aquis, et ipse testis qui loquitur vidit eum; et tunc dominus Ludovicus recepit eum de hospicio suo et de raubis suis. Et processu temporis dominus rex qui erat ibi et dictus dominus Ludovicus iverunt Romam et de Roma Neapoli[m]; et in via multum honeste se gessit dominus Ludovicus, et legebatur in mensa sua, et duo fratres Minores continuo erant cum eo et alie persone honeste, et libenter conferebat et disputabat cum personis religiosis et aliis hominibus litteratis. Neapoli vidit quod dominus Ludovicus fuit factus presbiter per archiepiscopum Neapolitanum, et ipse qui loquitur serviebat sibi cum superpellicio et custodiebat cappellam suam. Et postea vidit quod, nisi impedimentum adesset, dominus Ludovicus quasi cotidie celebrabat Missam, et devote, ut dixit. Dixit eciam quod non fuit presens quando renunciavit patrimonio et regno; vidit tamen frequenter quod ipse fugiebat consorcia mulierum et secularium personarum, semper appetens religiosas iuxta se litteratas et halias honestas habere personas et familiares. Quando fuit sibi provisum de episcopatu et quando eciam voluit resignare, ipse testis presens non fuit, quia iverat in Franciam; set eo facto episcopo, ipse qui loquitur veniens de Parisius occurrit domino Ludovico venienti de Roma circa S. Maximinum [2] in Provincia. Et postea continuo fuit in domo sua * et transeundo per Provinciam et eundo in Franciam et redeundo Tholosam; et tunc vidit quomodo ipse ministrabat pauperibus dando aquam, scindendo panem et fercula eis ministrando. De numero pauperum non recordatur,

[1] Beaugency, Orléans. [2] St. Maximin.

set dixit quod multi erant. Multas eciam tunicas dederat pauperibus Parisius; set ipse de numero non recordatur, ut dixit. Vidit eciam quod Tholose celebravit ordines sabbato post Penthecosten in ecclesia cathedrali, et ibi fecit testem qui loquitur dyaconum et multos alios ordinavit ibidem. Ad paucos autem dies post dominus Ludovicus arripuit iter eundi in Cathaloniam; et tunc ipse qui loquitur recepit licenciam ab eo eundi in Franciam, et ab illo tempore non vidit eum. In summa tamen concludit quod numquam tempore vite sue vidit aliquem hominem maioris humilitatis nec similis in aliquo statu, nec purioris innocencie et carnalis integritatis, nec maioris paciencie nec tante modestie, nec qui tantam devocionem haberet ad Deum et Sanctos, nec qui tanta caritate moveretur ad proximos et egenos, nec magis sobrium in cibo, in verbo, in opere et exemplo; et quod ipse reputat eum sanctum, et est in Francia fama publica de hoc, ut dixit, et in multis aliis regionibus [1], et quod Deus facit miracula pro eo. Et ipse peribet testimonium, quia in crastinum Exaltacionis sancte Crucis proximo preterite [2] ipse testis steterat quasi per annum sine appetitu comedendi et quod parum poterat comedere; et tunc illa nocte, cum esset in lecto, supervenit sibi talis et tanta infirmitas quod factus fuit in manibus, brachiis, cruribus, tibiis et pedibus penitus impotens et contractus, nec poterat exire lectum, immo oportebat quod per adiutorium aliquorum hominum portaretur de lecto ad lectum.
54^b Et istud duravit sibi per tres dies et plus, ita quod ipse desperabat magis * omnino de sanitate sua, quia credebatur amisisse corpus suum vel medietatem, et sperabat magis mori quam vivere. Et licet pro salute sua de multorum Sanctorum suffragiis cogitaret, demum convertit se ad beatum Ludovicum eius graciam implorando, et promisit se visitare sepulcrum suum cum una ymagine cere; et voto facto recuperavit appetitum et infra x^cem dies ab illa membrorum suorum impotencia perfecte curatus fuit. Et credit pro firmo quod per invocacionem, auxilium et merita beati Ludovici curatus fuit et postea votum suum, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Testis xiiij^us super vita, moribus, meritis et miraculis dicti domini Ludovici.

Reverendus pater et dominus fr. *P(etrus)* de Ordine fratrum Minorum, episcopus Troianus [3], testis productus et diligenter interrogatus de dicenda veritate super capitulis traditis de vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani et circumstanciis eorumdem, exhibitisque sibi sacrosanctis evvangeliis iuratus [4], secundum quod est consuetum episcopum iurare, et:

Capitulum j. Lecto sibi primo capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc., dixit se nichil scire per visum, quia non erat presens; tamen supponit et credit et ita, secundum quod ipse audivit, fuit servatum in domo Francie et in domo illorum qui de domibus Francie descenderunt, quod infantes et pueri consueverunt tradi bonis et honestis personis secundum etatis exigenciam et clericis et secularibus, ut secundum Deum honeste et discrete doceantur et informentur. Et de isto apparet bene quod in primeva etate tales habuerit eruditores, sicut postea opera subsequuta declarant.

Capitulum ij [5]. Super capitulo et capitulis omnibus et singulis tangentibus tempus quo fuit dominus Ludovicus in obsidatu diligenter interrogatus, respondit quod ipse

[1] Cod. *religionibus.* [2] Idest, 14 sept. 1307. [3] Cod. *Truianus.* [4] Sic. [5] Et capp. III-XXI.

non fuit * presens nec cum eo in illis temporibus, set illa que continentur in dictis capitulis audivit a pluribus fide dignis et ita credit esse vera. Dixit tamen quod, considerata etate tenera domini Ludovici et considerato eciam quomodo fuerat inter hostes suos, et auditis disputacionibus, collacionibus et sermonibus quos ipse audivit postea ab eodem, videbatur sibi quod nullo modo ex humano ingenio sed ex infusione divina sic profecerat in predictis; et idem audivit eciam testis qui loquitur a magistris in theologia, scilicet a fratre Stephano de Lorrim et magistro *Ricardo* de Mediavilla, qui mirabantur super prudencia et sciencia, frequenti disputacione, collacione et predicacione et responsis ipsius domini Ludovici, ut dixit. *f.

Ista capitula que sequuntur respiciunt tempus liberacionis et exitus obsidatus et antequam esset episcopus Tholosanus.

Capitulum xxij [1]. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, usque ad capitulum quod incipit: *Existens in castro Ovi,* dixit contenta in eodem capitulo esse vera. Interrogatus quomodo scit, dixit quod ipse vidit frequenter et erat presens, et dixit quod diebus singulis celebrabat nisi esset iusto impedimento impeditus.

Capitulum xxiiij. Super capitulo quod incipit: *Post collacionem* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse vidit quod interdum dominus Ludovicus de cantu Ecclesie aliquid [2] addiscebat. Set hoc tenuit per paucos dies. De modo dormiendi de die, dixit se non recordari.

Capitulum xxv [3]. Super capitulo quod incipit: *Postmodum autem* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in ipso capitulo esse vera, et ipse testis vidit multociens, ut dixit. Quod orticellum coleret cum sarcello, dixit se non recordari quod vidit; set bene vidit orticellum, ut dixit.

Capitulum xxvij. Super capitulo quod incipit: *Quandiu fuit in ipso castro Ovi* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in ipso capitulo esse vera pro eo tempore quo ipse fuit cum eo in castro Ovi, et Fratres qui tunc iacebant ibi in camera domini Ludovici * vocabantur fr. *Franciscus* et fr. *P(etrus)* Scarrerii. Dixit eciam quod iiijor Fratres habebat comuniter, quamdiu fuit cum eo in castro Novo, in eius camera dormientes, et ipse testis aliquando fuit unus de illis et fr. *Guillelmus* de Cornelione et duo Fratres supra proximo nominati, ut dixit. *f.

Capitulum xxviij. Super capitulo quod incipit: *Continue preterea erat in eius mensa lectio* etc. diligenter interrogatus, dixit quod legebatur in mensa sua continuo, dum ipse residebat in domo sua, et eciam quasi comuniter quando equitabat, et hoc [4] ipse testis vidit pro eo tempore quo fuit cum eo, ut dixit. Cetera contenta in ipso capitulo credit esse vera, et dixit quod vidit eum interdum intrantem capellam suam.

Capitulum xxix. Super capitulo quod incipit: *Sic erat devocioni et studio deditus* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Hic incipit tangere capitula de hiis que contigerunt postquam dominus Ludovicus fuit factus episcopus Tholosanus.

Capitulum xxx. Super capitulo quod incipit: *Consequenter quoque cum summus Pontifex* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non fuit presens quando Papa providit dicto domino Ludovico ecclesie Tholosane; set bene audivit dici quod pro-

[1] Et cap. XXIII. [2] Cod. *aliquod*. [3] Et cap. XXVI. [4] Cod. *hic*.

viderat ei. Et dixit quod bene audivit quando fuit sibi persuasum quod provisioni huiusmodi assentiret. Et audivit eciam dici quod ipse dixerat se non acceptare, nisi artaretur apostolici vigore precepti.

Capitulum xxxj[1]. Super capitulo quod incipit: *Eo vero in Pape constituto presencia* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non fuit presens nec audivit verba que Papa dixit domino Ludovico nec responsionem quam ipse fecit sibi, set bene audivit dici quod talia fuerunt verba Pape et talia verba domini Ludovici. Dixit
55a eciam ipse testis qui loquitur quod ipse * fuit presens in domo domini Ger(ardi) quondam Sabinensis episcopi, et ibi vidit quod de manu domini Portuensis qui nunc est, tunc temporis generalis ministri Ordinis fratrum Minorum, recepit habitum et professionem emisit, et vidit et audivit quando dominus Sabinensis tunc sibi inhibuit ex parte domini Pape quod non portaret habitum publice, et vidit et audivit eciam quod inhibuit assistentibus, ex parte domini Pape, quod nemini revelarent quod dictum habitum assumpsisset. Dixit eciam idem testis quod dominus Ludovicus portabat dictum habitum occulte usque ad festum beate Agathe, et hoc scit quia ipse qui loquitur iacebat in camera domini Ludovici et quasi continue istud vidit. In festo vero beate Agathe testis qui loquitur portabat habitum et mantellum dicti domini Ludovici ad domum fratrum Minorum prope Capitolium in Urbe, et illa die dominus Ludovicus celebrabat publice magnam Missam in pontificalibus in ecclesia predictorum Fratrum. Qua Missa solempniter celebrata et depositis pontificalibus ornamentis, dominus *Matheus* quondam Portuensis episcopus et dominus Iacobus cardinalis quondam nepos domini Bonifacii pape tradiderunt sibi habitum et comederunt una cum eo in refectorio cum Fratribus; et post prandium equitaverunt dicti duo cardinales usque ad domum domini Latini quondam Hostiensis episcopi, in qua habitabat dominus Ludovicus. Et inde recesserunt Cardinales; et dictus dominus Ludovicus, vocatus a domino Bonifacio papa, ivit ad eum pedes portans habitum publice et aperte.

Capitulum xxxiij. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc supra humanum modum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod tunc et ante eciam, pro tempore quo
55b testis qui loquitur fuit cum dicto domino Ludovico, a risu, nutu, verbo vel * opere et signo illicito vel inhonesto abstinuit, nec aliquam circa predicta dissolucionem notare potuit in eodem, et quod continuo veste humili utebatur, nec instrionibus favit, ut dixit.

Capitulum xxxiiij. Super capitulo quod incipit: *De canibus et avibus* etc. diligenter interrogatus, dixit quod nec canes nec aves in domo sua tenuit nec permisit teneri. Dixit eciam quod, postquam dominus Ludovicus de Urbe recessit, continuo tot tenuit pauperes et sic ad eos continuo se habuit prout in ipso capitulo continetur, et ipse testis, qui tunc erat helemosinarius suus, hoc vidit et presens fuit, ut dixit. De tribus vero pauperibus dixit se non recordari. Quod autem dictum est superius de xxv pauperibus, hoc servavit in via Parisiensi et Parisius et Tholose, dum fuit ibi. Cum autem exivit de Tholosa dominus Ludovicus ut iret in Cathaloniam, testis qui loquitur remansit infirmus, et non vidit eum postea nec fuit cum eo; audivit tamen a fide dignis quod continuo usque ad mortem predicto pauperum numero providebat.

Capitulum xxxv. Super capitulo quod incipit: *Veniens Parisius* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in ipso capitulo esse vera, et presens fuit et vidit, ut dixit.

---

[1] Et cap. xxxii.

Capitulum xxxvj. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse scit pro certo quod maxima erat sibi cura de pauperibus; nescit tamen quis erat ille cui dixit quod inquireret de summa reddituum episcopatus sui, set bene audivit dici quod ita dixerat, ut dixit.

Capitulum xxxvij [1]. Super capitulo quod incipit: *Semel cum eius somerii non venissent* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire, nec de contentis in sequenti capitulo quod sic incipit: *Cumque in crastinum* etc.

Capitulum xxxviiij. Super capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. diligenter interrogatus, dixit quod credit contenta in ipso capitulo esse vera, quia tantam devocionem vidit et probavit in eo * in hiis que erant circa cultum et officium divinum, quod merito debet credere quod circa predicta devote et provide se habebat; set ipse ista non vidit, ut dixit. De celebracione vero Misse respondit superius. *f.

Capitulum xl. Super capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire, quia non erat presens; dixit tamen quod in dyocesi Lemovicensi prope Grandimontem [2] in quadam paupere ecclesia dominus Ludovicus celebravit cum indumentis indecentibus et immundis, et ipse qui loquitur erat presens et ministrabat ei, ut dixit.

Capitulum xlj. Super capitulo quod incipit: *In eodem eciam viagio* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire quia non erat presens; set bene audivit postea narrari, presente domino Ludovico, ut dixit.

Capitulum xlij. Super capitulo quod incipit: *Cum iret Parisius* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit contenta in eodem capitulo esse vera, et ipse erat presens, ut dixit.

Capitulum xliij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere penitus voluit* etc. diligenter interrogatus idem testis, dixit se nichil scire; set bene audivit dici, ut dixit. Dixit eciam quod non vidit eum equitantem equum seu palafredum, nisi semel iuxta Brinatam in Arvernia propter nives [3] et malum tempus quod tunc vigebat.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Suadentibus sibi Fratribus* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitulum xlv. Super capitulo quod incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera, et quod, si permitte[re]tur eidem, vilioribus uteretur.

Capitulum xlvj. Super capitulo quod incipit: *Frequenter in secreto* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in ipso capitulo esse vera; et ipse testis qui loquitur vidit quod semel ministravit sociis * suis Fratribus vinum, et frequenter fecisset, si Fratres permisissent, ut dixit. *f.

Capitulum xlvij. Super capitulo quod incipit: *Sepe visitabat hospitalia pauperum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod faciebat hospitalia pauperum visitari et faciebat eciam pauperibus et infirmis provideri; et ipse testis qui loquitur de mandato suo visitavit interdum, et eciam incarceratos et inclusos, ut dixit.

Capitulum xlviij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum indigeret habitu* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitulum xlix [4]. Super capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, necnon et super contentis in omnibus

[1] Et cap. XXXVIII. [2] Grandmont. [3] Cod. *nivos*. [4] Et capp. L-LIV.

et singulis capitulis que continentur a dicto proximo capitulo usque capitulum quod sic incipit: *De predictis autem* etc., dixit se nichil scire, quia non vidit nec fuit presens; tamen bene audivit dici a Fratribus qui viderunt et presentes fuerunt quando dominus Ludovicus celebravit Brinonie, quod ita fuit et quomodo fuit infirmus et quomodo se habuit in infirmitate et quomodo transivit. Et dixit testis qui loquitur quod credit pro certo contenta in eisdem capitulis esse vera.

Capitulum lv. Super capitulo quod incipit: *De predictis autem omnibus* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod ipse vidit dominum Ludovicum semper, pro tempore quo fuit cum eo, humilem et pium, et quod omnem fastum et superbiam contempnebat [1] et semper pauperibus, obpressis et deiectis personis libenter et humiliter serviebat et neminem spernebat, immo quibuscumque personis et minoribus se eciam deferebat. Dixit eciam ipse qui loquitur quod dominus Ludo-
56a vicus fuit innocens ab omni crimine et peccato * mortali, et quod quitquid virtutis, castitatis, puritatis, honestatis, bonitatis et perfectionis potest esse in aliquo homine vivente fuit in eo. Dixit eciam testis qui loquitur quod dominus Ludovicus fuit, secundum statum suum et etatem, vir magne penitencie et abstinencie, quia ipse frequenter ieiunabat in pane et aqua et portabat stamineam ad carnem et grossis et minime delicatis cibariis utebatur, quamvis pro eo delicata multociens pararentur. Quam caritatem habuit ad proximum, dixit ipse testis qui loquitur quod apparuit bene per suarum largam erogacionem elimosinarum, ut superius est expressum. Dixit eciam idem testis qui loquitur quod dominus Ludovicus habuit pietatem et devocionem ad Deum, et hoc ostendebatur quia Missam et alia que spectant ad Dei servicium devotissime celebrabat et eciam faciebat. Dixit eciam testis qui loquitur, quod numquam vidit hominem magis sobrium nec perfectius in omnibus suis sensibus et actibus regulatum, quia, si parum comedebat, et minus bibebat, omnem honorem mundanum fugiebat et soli Deo et Christi pauperibus servire curabat et totaliter ad Deum eius, ut apparebat, intencio ferebatur. Dixit eciam quod de predictis et quod Deus miraculose operetur pro eo et quod sit sanctus, est non solum in Provincia set eciam in Francia et Apulia et in locis in quibus conversatus est et in aliis multis regionibus publica vox et fama, et ipse credit et tenet pro firmo ita esse. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod communiter a pluribus dicitur. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore, aut propter favorem vel exaltacionem sui Ordinis ita deposuit in predictis, dixit quod
56b non; set quia de * eis veritas sic se habet.

Testis xvus super vita eiusdem domini Ludovici.

Magister Durantus Curaterii, civis Aquensis etatis Lta annorum, ut dixit, et lit[e]ratus et intelligens homo, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super capitulis traditis de vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani et circumstanciis eorumdem, necnon et super aliis predictum negocium tangentibus, et primo:

Capitulum j et [2] ij. Super duobus primis capitulis, quorum unum sic incipit: *Ante obsidatum* etc. et aliud sic: *In primo namque sue iuventutis flore* etc., dixit quod ipse vidit dominum Ludovicum primo Aquis, et tunc erat etatis xcem annorum vel circa, et tunc temporis venerat dictus dominus Ludovicus de novo de Apulia; et dixit

[1] Cod. *contempnebant.* [2] Deest in cod. *et*.

quod ipse habebat tunc quemdam militem qui vocabatur dominus Guillelmus de Manerio Reynardi, sub cuius correctione et disciplina erat dominus Ludovicus et frater suus dominus Robbertus; et dictus miles erat homo provecte etatis et magne prudencie et honestatis, sicut dicebatur, et ille docebat dominum Ludovicum et fratrem suum dominum Robbertum in bonis moribus et libenter inclinabat eos ad audiendum Officium divinum. Dixit eciam quod habebant unum capellanum vocatum magistrum Iohannem de Bimaret, qui regebat eos et informabat in bono. Dixit eciam plus quod ipse vidit dictum dominum Ludovicum post per iiij^or annos vel circa morantem in Provincia, et in tota illa etate dictus dominus Ludovicus apparuit puer bone et laudabilis indolis et in factis suis signa multa honestatis ostendens, nec ipse testis qui loquitur illis temporibus notavit nec notare potuit, sicut dixit, in eo nec audivit eciam quod alii notarent eum de aliquo calore vel dissolucione puerili nec in verbo nec in opere. Subsequente vero * tempore, cum dominus Ludovicus esset etatis * f. 3 xiiij^cim annorum vel circa, sicut dixit testis qui loquitur, pro liberacione domini regis genitoris sui fuit missus obses in Cathaloniam cum domino Robberto fratre suo: ipse tamen qui loquitur non fuit tunc temporis cum eis. Audivit tamen dici, et credit quod verum est, quod illi duo fratres, scilicet dominus Ludovicus et dominus Robbertus, intraverunt in Cathaloniam circa festum omnium Sanctorum; et processu temporis dominus Raymundus Berengarii dictorum fratrum germanus cum multis nobilibus et aliis bonis viris de Provincia, inter quos erat testis qui loquitur, sequuti sunt eos. Et intraverunt Cathaloniam, sicut recordatur ipse qui loquitur, in die Cinerum prima die quadragesime, ut dixit. Et tunc testis qui loquitur invenit ibi fr. *Franciscum* et fr. *P(etrum)* Scarrerii de Ordine Minorum cum domino Ludovico et fratre suo. Dixit eciam quod in obsidatu steterunt dominus Ludovicus et dominus Robbertus per septennium vel circa; ipse tamen qui loquitur non erat cum eis, set audiebat ab illis qui conversabantur cum domino Ludovico et a multis Cathalanis quod dictus dominus Ludovicus summe honeste se gerebat et habebat, et quod multum profecit ibi in studendo, et quod studio incessanter vacabat. Set ipse qui loquitur erat cum aliis obsidibus in civitate Hylerdensi, ubi stetit obses sex annis et ultra, ut dixit. Alia ipse non vidit; set audivit dici a fide dignis quod ita profecit et ita se habuit sicut in eodem capitulo continetur et ipse credit, ut dixit.

Capitulum iij [1]. Super capitulo quod incipit: *Set et tunc eciam in obsidatu manens* etc. et super omnibus et singulis capitulis que sequuntur a dicto capitulo usque ad capitulum quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter * interrogatus, dixit quod presens non fuit nec vidit, set audivit a pluribus fide di- * f. 3 gnis eciam a Cathalanis, qui multa bona predicabant de domino Ludovico, et ipse credit omnia contenta in eisdem capitulis esse vera. De cato tamen, de quo fit mencio in capitulo quod incipit [2]: *In obsidatu manens* etc., dixit quod non audivit dici; set bene credit ita fuisse, ut dixit.

Capitula que sequuntur respiciunt tempus liberacionis et exitus obsidatus et antequam esset episcopus Tholosanus.

Capitulum xxij. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem* etc. et super membris omnibus et singulis eiusdem capituli usque ad capitulum quod

[1] Et capp. IV-XXI. [2] Cap. XXI.

incipit: *Existens in castro Ovi* etc. diligenter interrogatus, dixit quod non fuit presens; set bene audivit dici et credit esse vera ea que in ipso capitulo et eius membris continentur. Et dixit quod de premissis omnibus, quod vera sint, est publica vox et fama.

Capitulum xxiij. Super capitulo quod incipit: *Existens in castro Ovi* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, respondit quod ipse non fuit presens quando dictus dominus Ludovicus fuit factus presbiter; set post aliquos dies ipse testis venit ad eum in castro Ovi et ibi, pro tempore quo fuit cum eo, vidit quod Missam devote cotidie celebrabat nisi haberet impedimentum, et ita credit quod faceret antequam ipse qui loquitur veniret ad eum in dicto castro Ovi, et credit eciam quod confiteretur sicut in capitulo continetur. Cetera vero contenta in ipso capitulo dixit esse vera, et ipse vidit pro eo tempore quo fuit cum domino Ludovico.

Capitulum xxiiij. Super capitulo quod incipit: *Post collacionem vero* etc. dili-
7a genter interro-*gatus, dixit se nichil scire; credit tamen fuisse verum, ut dixit.

Capitulum xxv. Super capitulo quod incipit: *Postmodum autem ne preteriret hora temporis ociosa* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse vidit dictum dominum Ludovicum frequenter in illo claustro studentem, et credit quod studeret in libris beati Bernardi et in aliis edificativis, ut dixit.

Capitulum xxvj. De contentis vero in proximo sequenti capitulo, dixit quod non vidit eum sarcellantem; sed bene vidit orticellum, ut dixit etc.

Capitulum xxvij. Super capitulo quod incipit: *Quamdiu fuit in ipso castro* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit quod continuo iacebant in dicto castro Ovi in camera sua duo fratres Minores, scilicet fr. *Franciscus* et fr. *P(etrus)* Scarrerii, et quandoque plures, ut dixit. In castro vero Novo dixit quod iacebant in eius camera IIIIor, scilicet duo prenominati, et fr. *P(etrus)* Cocardi et fr. *Guillelmus* de Cornelione, et ipse frequenter vidit lectos eorum in dicta camera, et dicti Fratres erant socii domini Ludovici, ut dixit.

Capitulum xxviij. Super capitulo quod incipit: *Continue preterea erat in eius mensa lectio* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod verum est quod continue legebatur in eius mensa. Dixit eciam quod dominus Ludovicus, et post prandium et ante prandium et comuniter quando sibi vacabat, erat in capella vel in studio, ubi semper studebat vel orabat, et aliquibus vicibus et in diversis locis testi qui loquitur accidit, qui erat dispensator domus suae tunc, ut dixit, quod cum erat hora prandii ipse testis veniebat ad capellam ad anunciandum sibi quod erat hora prandii et quod eum familia expectabat et omnia parata erant, et invenit
b eum flexis genibus, complosis manibus, occulis elevatis ad celum, * ante altare; et licet testis qui loquitur faceret aliqualem strepitum, ipse non movebat se, immo oportebat quod testis qui loquitur appropinquaret et cum tactu vestium revocaret eum a statu intente devocionis et oracionis quibus insistere videbatur. Dixit eciam dictus dominus Ludovicus dispensatori qui loquitur, quod nullo modo requireret eum quid in crastinum esset commesturus, set ipse ordinaret sicut videretur, et ipse comederet si placeret sibi. Et ipse dominus Ludovicus valde parum sumebat in cibo, in potu, nec delicata querebat, nec delicate parata, ut dixit.

Capitulum xxix. Super capitulo quod incipit: *Sic erat devocioni et studio deditus* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Hic incipit tangere capitula aliqua de hiis quae contigerunt postquam dominus Ludovicus fuit factus episcopus Tholosanus.

Capitulum xxx. Super capitulo quod incipit: *Consequenter quoque* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod ipse non fuit presens quando Fratres socii sui insinuaverunt ei provisionem de ipso factam ecclesie Tholosane, nec audivit quod inducerent eum ut assentiret provisioni predicte, nec audivit eciam responsionem quam ipse fecit eis, ut dixit.

Capitulum xxxj. Super capitulo quod incipit: *Eo vero in Pape constituto presencia* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod ipse non audivit nec fuit presens quando Papa insinuavit domino Ludovico quod ipse providerat de eo ecclesie Tholosane, nec quando Papa dixit sibi quod assentiret provisioni huiusmodi, nec audivit eciam responsionem domini Ludovici, nec fuit presens quando complevit votum in domo domini Sabinensis, nec quando recepit habitum; credit tamen vera fuisse omnia que in ipso capitulo continentur.

* *Capitulum xxxij.* Super capitulo quod incipit: *Quem equidem habitum* etc. diligenter interrogatus, quod portaverit habitum occulte usque ad festum beate Agathe, et quod eodem die de licencia Pape publice portare inceperit, et quod cum habitu pedes eodem die usque ad beatum Petrum processit, dixit se nichil scire. Scit tamen quod post nativitatem Domini et post multos dies ipse dominus Ludovicus sumpsit habitum et portavit publice, set non recordatur de die. Nec ipse fuit presens quando habitum primo publice assumpsit; set eadem die ipse vidit eum in habitu, et in illo visitavit Papam postmodum pedes, qui erat tunc in sancto Petro.

Capitulum xxxiij. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc supra humanum modum* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in eodem capitulo esse vera.

Capitulum xxxiv. Super capitulo quod incipit: *De canibus et avibus* etc. diligenter interrogatus, dixit quod nec canes nec aves tenebat. Dixit eciam quod, postquam fuit factus episcopus Tholosanus, in Urbe semper dedit xx^{ti} v^{que} pauperibus comedere, quibus et serviebat sicut in ipso capitulo continetur. Et ipse testis qui loquitur pro maiori parte temporis vidit et fuit presens, ut dixit.

Capitulum xxxv. Super capitulo quod incipit: *Veniens Parisius* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in capitulo esse vera. Interrogatus quomodo scit, dixit quia ipse fuit presens in reddenda racione numeri pauperum et vestium. De locione scutellarum Fratrum dixit se nichil scire; credit tamen, quia omne opus humilitatis libenter faciebat, ut dixit.

Capitulum xxxvj. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non vidit nec audivit quod dominus Ludovicus iniunxisset alicui de familiaribus suis quod summam redditUum sui episcopatus perquireret. Dixit tamen quod ipse frequenter erat cum camerariis qui fuerunt de domo domini Ludovici, et ibi habebatur racio expensarum; * et inveniebant quod quandoque una die expendebant [1] decem libras, quandoque xx^{ti}, quandoque xxx^{ta} parisienses in victualibus et necessariis domus; et tantum quantum ascendebant familie et domus expense, tantum in elemosinis et pauperibus expendebat, ut dixit.

[1] Sic.

Capitulum xxxvij [1]. Super capitulo quod incipit: *Semel cum eius somerii non venissent* etc. diligenter interrogatus, necnon et super capitulo sequenti quod sic incipit: *Cumque in crastinum* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitulum xxxix. Super capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. diligenter interrogatus, dixit quod credit quod ordines et alia que spectant ad Dei servicium devotissime faciebat, et quod clericos examinabat sicut in capitulo continetur; set ipse non vidit nec fuit presens. De Missa et aliis contentis in ipso capitulo, dixit quod verum est, et ipse vidit frequenter, pro eo tempore quo fuit cum eo, ut dixit.

Capitulum xl. Super capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire, quia non vidit nec fuit presens, ut dixit.

Capitulum xlj. Super capitulo quod incipit: *In eodem eciam viagio* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitulum xlij. Super capitulo quod incipit: *Cum iret Parisius* etc. diligenter interrogatus, dixit quod bene credit contenta in ipso capitulo esse vera; set ipse non vidit nec fuit presens, ut dixit.

Capitulum xliij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere penitus voluit* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire. Dixit tamen quod non recordatur quod viderit eum equitantem equum seu palafredum, set mulo dumtaxat erat contentus quamdiu post episcopatum fuit cum eo, ut dixit.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Suadentibus sibi Fratribus* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

8a *Capitulum xlv.* Super capitulo quod incipit: *Post * susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod, postquam fuit factus episcopus, non utebatur panno precioso nec preciosi coloris, set ut plurimum coloris bruni seu beguini tam in persona sua propria quam in camera, ut dixit. Dixit tamen quod portabat ad carnem stamineam grossam, et ipse testis semel vidit, ut dixit, et credit quod ita continuavit.

Capitulum xlvj. Super capitulo quod incipit: *Frequenter in secreto* etc. diligenter interrogatus, dixit quod non vidit; scit tamen quod multum satagebat eis placere, et hoc frequenter vidit, ut dixit.

Capitulum xlvij. Super capitulo quod incipit: *Sepe visitabat hospitalia pauperum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non vidit quod dominus Ludovicus visitaret in propria persona, set bene vidit frequenter quod ipse per aliquas personas faciebat visitari et mittebat largas elemosinas carceratis, pauperibus et infirmis; et ipse testis qui loquitur quandoque tradidit peccuniam pro dictis eleemosinis faciendis, ut dixit.

Capitulum xlviij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum indigeret habitu* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitula que sequuntur respiciunt tempus infirmitatis dicti domini Ludovici.

Capitulum xlix. Super capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod dominus Ludovicus in festo beati Dominici celebravit Brinonie, et ipse vidit et fuit presens et credit quod febris eum arripuerit illa die. Cetera contenta in ipso capitulo dixit esse vera.

[1] Et cap. xxxviii.

Capitulum l. Super capitulo quod incipit: *Devotissime suscepit in morbo Corpus dominicum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod non vidit nec fuit presens, set [tenet] pro firmo ita esse, quia in omnibus breviter se humiliter et reverenter habebat.

Capitulum li. * Super capitulo quod incipit: *Licet autem de consilio* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire. *f.

Capitulum lij. Super capitulo quod incipit: *Dum die quadam* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire.

Capitulum liij. Super capitulo quod incipit: *Per biduum vel triduum* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire; set credit firmiter contenta in ipso capitulo esse vera, quia tot signa humilia vidit et opera laudabilia et sancta de eo, quod tenet et supponit quod omnem reverenciam Cruci exhibuit ob Illius reverenciam qui in ea passus fuit.

Capitulum liv. Super capitulo quod incipit: *Hoc eodem in crastinum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non audivit quod ille Frater ystoriam illam sibi retexeret, nec erat presens quando transivit; set credit et tenet pro certo quod cum omni devocione et humilitate transivit, ut dixit.

Capitulum lv. Super capitulo quod incipit: *De predictis autem* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse fuit humilis et servavit humilitatem et quod libenter honorabat pauperes, nec gloriabatur in genere suo nec de parentibus suis; et apparuit magna humilitas quia tanti regis filius, tantis consanguineis et affinibus et parentibus stipatus, humilem suscepit habitum, spernens totaliter mundi pompam et regnum. Dixit eciam quod innocencie puritatem ipse servavit in manibus, non recipiendo munera nec donaria, et in carnis et cordis mundicia, nec extulit se, nec aliquid[1] dolose egit contra aliquem; et pro firmo tenet, sicut dixit, quod virgo fuit et virgo finivit, nec signum alicuius peccati mortalis vel dissolucionis inepte testis qui loquitur, sicut dixit, notare potuit in eodem nec de die nec de nocte. Dixit eciam quod austeritatem penitencie servavit; quod apparuit quia frequenter se ieiuniis affligebat et ieiunans eciam modicum cibum et potum sumebat, et quod stamineam grossam ad carnem portabat, sicut ipse qui loquitur vidit, ut dixit. Dixit eciam quod ipse fuit pacientissimus, quia nec * inter inimicos nec inter alios nunquam ipse qui loquitur *f. potuit apprehendere quod aliqua displicencia mortis fratrum vel amicorum vel alia adversitas ipsum dominum Ludovicum a discrecionis rectitudine deviaret. Servavit eciam dictus dominus Ludovicus honorem et caritatem ad proximum, in elemosinarum largicione et in aliis operibus misericordie. Dixit eciam quod pietatem et devocionem ad Deum servavit, quia omnes sensus suos et vires anime, sicut apparebat ex suis actibus, manifeste, assidue et libentissime convertebat in Deum, et per frequentes et devotas celebraciones Missarum et per dedicaciones ecclesiarum et benedictiones monialium et per frequentissimas predicaciones et per alia opera que respiciunt cultum Dei. Sobrietatem servavit in potu, cibo et in quolibet alio in quo crederet offendere Deum. Et mundum contempsit, sicut apparet universaliter singulis et singulariter universis, ut dixit. Dixit eciam quod dictus dominus Ludovicus sapiens fuit in spiritualibus et prudens in temporalibus, sicut apparuit in honestate sua et sue familie et regimine domus sue. Dixit eciam idem testis qui loquitur quod de predictis et quod Deus plura miracula fecit et facit pro eo et eius meritis et quod est sanctus,

[1] Cod. *aliquod.*

est Aquis et in Provincia et multis aliis regionibus publica vox et fama; et ipse testis credit et tenet pro firmo quod sit sanctus. Et dixit quod Aquis cives eiusdem loci colunt et faciunt festum de ipso quolibet anno sicut de uno sancto; et in honorem Dei et ipsius domini Ludovici fecerunt et constituerunt cives predicti confratriam, et anno quolibet augmentatur et crescit in numero personarum. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod communiter a multis dicitur. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore, instructus vel informatus a quoquam ita deposuit * in predictis, dixit quod non; sed quia de eis veritas sic se habet.

d

Testis xvj^{us} super vita eiusdem etc.

Lambertus, alias dictus Lambletus, de Parisius, laycus etatis XL annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et requisitus supra vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod ipse vidit dominum Ludovicum in etate trium annorum Neapoli. Postea ibi crevit dominus Ludovicus per duos annos, ita quod completo quinquennio fuit ductus per mare in Provinciam et applicuit Nicie, sicut dixit. Subsequenter fuit idem dominus Ludovicus et frater suus [1] dominus Robbertus tam Aquis quam Brinonie quam in aliis locis Provincie per novem annos vel circa, et testis qui loquitur toto illo tempore fuit in servicio suo, sicut dixit. Et in hiis temporibus crescebat continuo de bono in melius dictus dominus Ludovicus; et iuxta eum et fratrem suum dominum Robbertum erat dominus Guillelmus de Manerio Reynardi miles, magister et custos eorum, qui erat homo perfecte etatis, magne prudencie et honestatis, qui dictos fratres docebat et informabat verba inepta et opera mala fugere et in bonis operibus et moribus et honestis esse et vivere. Habebant eciam unum clericum qui docebat eos litteras et vocabatur magister Iohannes de Bimaret. Dixit eciam quod dictus dominus Ludovicus semper fuit humilis et mitis, et nunquam vidit vel audivit signum in eo aliquod nisi magne mansuetudinis et honestatis. In fine vero XIIIJ^{cim} annorum vel in XV^{mo} anno dictus dominus Ludovicus fuit missus in Cathaloniam cum fratre suo domino Robberto pro liberacione patris sui; set testis qui loquitur non ivit cum eo nec vidit eum in tempore obsidatus. Audivit tamen quod in obsidatu sapienter et honeste se habuit et in sciencia multum profecit; tamen ipse qui loquitur, quia laycus est, non intelligit * nisi quantum ab aliis fide dignis audivit. Postquam autem dictus dominus Ludovicus et fratres sui de Cathalonia redierunt, venerunt apud Aquis in Provincia, ubi erant dominus rex et regina. Et post aliquos dies dicti rex et regina, una cum domino Ludovico et aliis liberis eorumdem, arripuerunt iter eundi in Apuliam; et in via dominus Ludovicus portabat cappam clausam, quandoque de persico, quandoque de alio panno. Et processerunt continuando dietas suas per Provinciam, terram Ianuensem et Tusciam, donec applicuerunt apud Sutrium; et ibi, sicut dixit testis qui loquitur, dictus dominus Ludovicus ordinavit quod non comederet in argento, nec equitando uteretur palafredo vel equo, set dumtaxat mulo. Quo audito, rex fuit valde turbatus; nichilominus tamen dictus dominus Ludovicus predicta servavit, nisi quando comedebat cum rege vel cum Papa vel cum alio magno viro. Deinde intraverunt Romam, et ibi viderunt dominus rex et regina et dominus Ludovicus et alii Papam. Quid ultra dominus Ludovicus Rome fecerit, ipse nescit. Set processu temporis iverunt Neapolim, et ibi

a

[1] Cod. *suos*.

dominus Ludovicus in novitate adventus sui fuit hospitatus in castro Novo in quodam loco sibi et familie deputato per patrem; ubi cum stetisset diebus aliquibus, videns quod non poterat lib[e]re vacare studio, cogitavit alibi se transferre et intravit castrum Ovi. Et in utroque castro, quamdiu fuit ibi, cotidie multos habebat pauperes, quibus, antequam ipse comederet, dabat aquam ad lavandum, scindebat panem et fercula ministrabat. Habebat eciam secum fratres Minores, qui assistebant ei et iacebant coram eo. Et ibi, postquam fuit presbiter, dominus Ludovicus quasi cotidie [1] dicebat Missam et intendebat quasi assidue studio, collacioni et disputacioni. Et ioculatores, * canes vel aves venaticos nolebat habere nec tenebat in domo nec permittebat in domo teneri. Tota delectacio ipsius videbatur versari in hoc, quod iuxta se haberet viros religiosos et honestos cum quibus conferret et disputaret et alios litteratos; nec mulieres nec seculares personas libenter videbat, immo vitabat consorcia eorumdem. In dicto vero castro Ovi testis qui loquitur recepit licenciam et rediit in Provinciam, domino Ludovico Neapoli remanente. De episcopatu et de aliis que postea contigerunt circa personam domini Ludovici, videlicet quomodo sumpsit habitum fratrum Minorum, quid egit cum Papa, quid fecit postea in via eundo Parisius, revertendo Tholosam, proficiscendo in Cathaloniam et deinde in Provinciam redeundo, dixit se nichil scire per visum; audivit tamen a fide dignis quod in predictis locis tam in elemosinis quam in predicacionibus et oracionibus et aliis bonis operibus laudabiliter se habuit; et quitquid potuit facere, bonus homo et sancte conversacionis et vite, in omni aetate in qua potuit bonum a malo discernere, totum fecit. Nec vidit eum postea, nisi per paucos dies ante infirmitatem suam de qua mortuus est; et tunc venit ad eum apud Brinoniam et supplicavit sibi quod, consideratis laboribus quos pertulerat in servicio suo, faceret sibi aliquod bonum, et dominus Ludovicus respondit quod libenter; quo audito ipse testis qui loquitur recessit, nec vidit eum postea. De aliis dixit se nichil scire. Interrogatus si est fama et vox publica Massilie et in Provincia et in aliis regionibus quod, propter bonitatem et perfectam et sanctam vitam quam habuit et tenuit quamdiu vixit dominus Ludovicus, Deus fecerit et facit multa miracula, et si in locis predictis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipse tenet et credit pro firmo quod sit sanctus. Et apparet bene quod sit sanctus, ut dixit, quia de Francia et de Cathalonia * et de locis predictis veniunt frequenter gentes ad eius tumulum [2] visitandum. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Testis xv[ij]us super vita eiusdem etc.

Fr. *Adam*, sacre theologie magister de Ordine fratrum Minorum, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus de dicenda veritate super hiis que audivit dici a domino Robberto duce Calabrie, fratre quondam domini Ludovici, et super hiis que credit super vita et conversacione et moribus et miraculis predicti domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit et deposuit de auditu et de credulitate ut sequitur.

In primis dixit quod in ianuario proxime preterito [3], sicut potest recordari, ipse comedit cum domino Duce predicto in castro Novo Neapoli; et post comestionem, post

---

[1] Cod. *continuo*. [2] Cod. *tumultum*. [3] Idest, 1308.

aliqua verba habita inter eos, intercidit verbum de beato Ludovico. Et tunc dictus dominus Dux narravit magistro testi qui loquitur et socio suo fr. *Gilberto* dicti Ordinis quod, quando ipsi erant obsides in Cathalonia pro domino rege patre ipsorum, ipse dominus Ludovicus ordinavit tali modo tempus suum, quod: primo in mane ipse et fratres sui dicerent vel audirent Officium suum; secundo quod vacarent lectioni et studio; tercio quod ad aliquod exercicium corporale, secundum quod decebat eos, se darent. Et contigit una die quod cum ipsi audivissent Officium et lectioni et studio vacavissent, ascenderunt equos et causa exercicii exierunt et cucurrerunt equos quos equitabant; et a casu contigit quod equus quem equitabat dominus Ludovicus cecidit ad terram, et facies dicti domini Ludovici aliquantulum in terra collisa fuit. Et surgens de terra dixit fratri suo pre-*dicto: « Frater, bene potestis videre quod Deus non vult quod ego dem me exercicio tali nec milicie seculari; unde deinceps non dicatis michi quod talia faciam: alteri enim milicie deputavit me Deus ». Dixit eciam quod dictus dominus Dux narravit sibi quod cum ipse et dictus dominus Ludovicus iacerent in una camera, dictus dominus Dux de nocte quandoque surgebat de lecto, et [vidit] fratrem suum dominum Ludovicum extra lectum positum disploide alba contectum, prostratum ad terram in oracione; et timuit a principio, donec agnovit eum esse, et reversus est ad lectum. Recitavit eciam dictus dominus Dux eidem testi qui loquitur, quod dictus dominus Ludovicus quasi comuniter omni nocte ponebat se complosis manibus super cervical, et ibi orabat, evitans quantum poterat ne faceret tedium aliis vel videretur ab eis. Dixit eciam testis qui loquitur, quod audivit dictum dominum Ducem recitantem sibi et dicto socio suo quod, cum essent in septimana penosa, appropinquante die Cene, dictus dominus Ludovicus incepit suadere predicto domino Duci fratri suo quomodo in die Cene Dominus humiliaverat se et fecerat cenam discipulis et laverat eis pedes, et ortabatur dictum dominum Ducem quod ipsi se Christi actibus conformarent et quod haberent pauperes et eorum pedes lavarent et eos reficerent; adiciens dominus Ludovicus, secundum narracionem factam per dictum Ducem testi qui loquitur et predicto Fratri socio suo et multis aliis qui aderant ibi, quod dictus dominus Dux et dictus dominus Ludovicus haberent unum leprosum inter alios pauperes, cui lavarent pedes et ipsum oscularentur in pedibus et in ore in memoriam Christi Salvatoris sui, qui in passione sua apparuerat contemptibilis * et leprosus; et quanquam dictus dominus Dux aborreret leprosi presenciam, dixit domino Ludovico: « Nos sumus tenelli et pueri, et ille morbus infectivus est, et habemus considerare periculum, quia leviter possemus incurrere illum morbum ». Et tunc predictus dominus Ludovicus fratri sic loquenti respondit: « Frater, non habemus timere de aliquo malo, ubi nos agimus aliquid in reverenciam et memoriam passionis Christi ». Post hoc fuerunt vocati pauperes; et fuit unus leprosus inter eos magnus [1] in persona adductus, deformis valde et totus plenus maculis cum grossis et turpibus labiis et alias multipliciter ulcerosus. Cuius pedes dominus Ludovicus cum magna devocione et reverencia lavit, et osculatus fuit ei pedes et os et labia eius, omni horrore deposito, sicut deberet osculari fratrem suum. Et opportuit quod dictus dominus Dux illud faceret de locione pedum et osculi dacione, cum magno horrore et timore; et cum osculabatur ipsum leprosum in ore, visum fuit sibi, ut dixit, quod ignis egrediens de fornace vix erat ita calidus sicut dicti leprosi anhelitus appare-

[1] Cod. *magnos*.

bat. Post oscula vero dictorum duorum fratrum, domini Ludovici et domini Ducis, cum ipsi vellent dictum leprosum cum ceteris pauperibus reficere et ei peccuniam dare, dictus leprosus surrexit et ivit ad hostium quod erat valde prope. Quo viso, dominus Ludovicus misit inmediate post eum ad reducendum eum; nec potuit inveniri nec intus nec extra, licet per multos et in multis locis et in ipsa domo et extra domum et in domo leprosorum statim sine aliqua mora fuerit cum magna diligencia et sollicitudine summa quesitus. Et * hec omnia supradicta dixit idem fr. *Adam* se audivisse dici a predicto domino Duce in castro predicto.

Et predictus fr. *Gilbertus* socius dicti fr. *Adam*, testis productus et iuratus, dixit se audivisse dici in predicto castro et a predicto domino Duce omnia et singula supradicta, prout superius sunt narrata et scripta; et eciam ambo ipsi Fratres, ut dixerunt, credunt et tenent pro firmo ea omnia esse vera, propter sanctam vitam et humilitatem quam habuit et habebat dum vivebat predictus dominus Ludovicus.

xviij^us testis super vita prefati domini Ludovici.

Nobilis vir dominus Raymundus de Bancon miles, dominus de Podio Ricardi, etatis XLV annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus et meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod vidit ipse dictum dominum Ludovicum quando erat etatis sex annorum apud Aquis et Brinonie et in hospicio suo proprio et in multis aliis locis in Provincia. Et a dictis annis usque ad tempus quo idem dominus Ludovicus ivit in obsidatum pro domino rege patre suo, vidit eum frequentissime, et nunquam notavit in eo in aliqua etate aliquod signum alicuius dissolucionis nec infantilitatis [1] nec alterius, nec notare potuit, sicut dixit. Et ubi frater suus dominus Robbertus ludebat vel trahebat cum arcu vel currebat, iste semper stabat in gravi et maturo statu secundum suam etatem. Nec vidit aliud in eo, nisi quod aliquo tempore vidit eum ludentem ad scacos. Et cum in etate crescebat, maturitas et discrecio crescere videbantur in eo. Et erat tunc in custodia domini Guillelmi de Manerio Reynardi militis, multum maturi et sensati hominis et honesti, qui dictum dominum Ludovicum et dominum Robbertum cum multa sollicitudine in bonis et honestis * moribus continuo nutriebat et informabat. Et tunc erant cum dicto domino Ludovico et domino Robberto fratre suo clerici et religiosi qui eos litteras edocebant et in morum honestate et doctrina tenebant. Dixit eciam ipse testis qui loquitur quod, quando dictus dominus Ludovicus ivit in obsidatum, ipse testis dominam reginam et dominum Ludovicum et dominum Robertum conduxit usque ad Aralatem; et tunc ipse testis recessit ab eis. Dixit eciam idem testis quod nunquam aliquo tempore malum signum nec malum opus vidit in domino Ludovico, nec audivit ab aliquo vivente qui diceret quod malum signum vel malum opus fecisset nec vidisset in eo; imo dixit quod, dum erat eciam in illa etate, singulis diebus dominicis ipse confitebatur. Dixit eciam ipse testis quod in obsidatu non vidit eum, set postquam rediit de obsidatu et fuit in Provincia ipse vidit eum frequenter predicantem et elemosinas erogantem; et sicut in annis creverat, ita in ipso omnis honestas et humilitas habundabant; et quod tunc audivit per viros religiosos et alios homines litteratos quod ipse dominus Ludovicus in obsidatu multam et magnam scienciam in diversis scienciis acquisiverat, ita quod audivit ab illis quod secundum suam eta-

[1] Cod. *infantulis.*

tem et temporis brevitatem a Deo videbatur infusa. Dixit eciam idem testis quod ipse vidit eum episcopum Tholosanum in Provincia, et tunc quasi cotidie [1] celebrabat Missam et predicabat et in omni humilitate vivebat. Et ista videbatur in ea maior sollicitudo, quod pauperibus elemosina daretur. Mulieres vero nullo modo volebat videre, nec quod ioculatores intrarent domum suam, nec canes nec aves venaticos tenebat. Et tota vita sua hec erat, cum viris religiosis et honestis personis et litte-
10a ratis et in studio et oracione * et in habitu humili communiter conversari. Nec volebat equum vel palafredum aliquem equitare, set erat uno mulo non precioso contentus, ut dixit. Dixit eciam idem testis qui loquitur, quod ipse non utebatur vasis argenteis pro persona sua. Dixit eciam quod, quando dominus Ludovicus de hoc mundo transivit, ipse qui loquitur erat vigerius Massilie et voluit exire obvius funeri quod portabatur Massilie. Verum, sicut ipse dixit, ipse fuerat passus et gravatus tanto dolore femoris et tybie, et credit quod esset gutta, et duraverat sibi per mensem, nec medici poterant eum curare, nec pedes ire poterat nisi quantum appodiabat se super humeros servitorum suorum. Et cum ipse appropinquavit ad feretrum in quo portabatur corpus domini Ludovici, ipse qui loquitur usus est hiis verbis: « O domine Ludovice, tantum consuevistis me diligere, quando vivebas, et honorare; supplico tibi quod tollas a me istum dolorem ». Et verbis dictis, cessavit omnino dolor; et ipse ivit pedes ex tunc sine aliquo adiutorio bene per dimidiam leucam, nec ex tunc sensit nec dolorem nec vestigium doloris, ut dixit. Et ipse credit et tenet pro firmo, ut dixit, quod ipse fuit curatus a dicto dolore per invocacionem et merita beati Ludovici. Dixit eciam quod fama est et vox publica in Provincia et in pluribus aliis regionibus quod, propter sanctam et perfectam vitam quam habuit et tenuit beatus Ludovicus, Deus fecit et facit plura miracula; et gentes dictorum locorum et diversarum terrarum dicunt et tenent quod sit sanctus, pro eo quod, invocato eius auxilio
11a in suis necessitatibus et infirmitatibus, propter eius merita, salubria * remedia consequuntur. Dixit eciam ipse testis qui loquitur, quod, cum in crastinum sepulture domini Ludovici Commune Massiliense vellet facere fieri exequias solempniter et faceret dici vigilias seu matutinas mortuorum pro ipso domino Ludovico, testis qui loquitur, qui erat in choro ecclesie fratrum Minorum Massilie, respexit in capite chori ex parte altaris et vidit dominum Ludovicum in habitu fratrum Minorum cum mantello ad collum et almucia in capite; et cum essent ibi decem millia hominum, sicut dixit, ipse dominus Ludovicus visus est eminere et apparere sibi super omnes alios qui erant choro ab umbilico usque ad capud. Et ita stetit, et ipsum vidit idem testis a primo nocturno finito donec vigilie seu matutine predicte complete fuerunt et dictum fuit *Requiescat in pace;* et ex tunc non apparuit, ut dixit. Dixit eciam idem testis qui loquitur per iuramentum suum, quod audivit a domino Hugone de Vicinis, tunc temporis senescalco Provincie, quod simili modo eum viderat eodem die et eadem hora. Dixit eciam testis qui loquitur, quod, cum ipse esset remotus illa hora a senescalco predicto in dicto choro, ipse vidit dictum senescalcum oculos fixos tenentem ad predictam partem altaris, ubi sibi apparuit dominus Ludovicus, et cum lacrymis respiciebat ibidem; et postea simul stantes idem testis et dictus senescalcus communicaverunt sibi huiusmodi visionem, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus

[1] Cod. *continuo.*

ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

xix[us] testis super vita eiusdem domini Ludovici.

Reverendus pater et dominus fr. *P(etrus)* Scarrerii episcopus Repollanus, de Ordine fratrum Minorum, testis productus et iuratus, prout decet episcopos iurare, super * capitulis traditis de vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani et circumstanciis eorumdem, et primo: *f.

Capitulum j. Super capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non vidit contenta in ipso capitulo nec novit dominum Ludovicum ante obsidatum; set bene audivit dici quod ipse fuerat in custodia cuiusdam militis qui vocabatur dominus Guillelmus, cuius cognomen ignorat; et ille miles erat homo multum discretus et honestus, et dictum dominum Ludovicum instruebat et informabat in bonis moribus et omni honestate, et nichilominus faciebat instrui in primis rudimentis gramaticalibus. Et audivit dici eciam quod illi pueri qui descendunt de domo Francie consueverunt in moribus bonis et honestate nutriri. Alias dixit se nichil scire, nisi quod credit contenta in ipso capitulo esse vera.

Que sequuntur referuntur ad tempora obsidatus domini Ludovici.

Capitulum ij[1]. Super capitulo quod incipit: *In primo namque sue iuventutis flore* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit quod credit quod dominus Ludovicus esset XIIJ[cim] annorum quando ivit ad obsidatum, et alias nescit. Dixit eciam ipse testis quod non noverat dominum Ludovicum quando ivit ad obsidatum in Cathalonia, nec vidit eum euntem. Dixit eciam quod dictus dominus Ludovicus et frater suus dominus Robbertus fere steterant per biennium, antequam ipse testis veniret ad eos in obsidatu. Audivit tamen quod fr. *Franciscus*, nunc episcopus Gagetanus, cum quodam socio in festo beati Nycolai[2], postquam dictus dominus Ludovicus et dominus Robbertus, intraverant obsidatum, qui intraverunt in festo precedenti omnium Sanctorum ante festum predictum beati Nycolai. Et dictus fr. *Franciscus* fuit ibi cum dictis germanis fere biennio, donec testis qui loquitur venit ad eos in obsidatu; et tunc testis qui loquitur primo vidit * dominum Ludovicum. Et ibi ipse testis fuit cum domino Ludovico quinque *f. annis et plus, et docuit dominum Ludovicum loqui litteraliter, et postea docuit eum logicalia, naturalia, moralia et theolog[i]ca; ita quod in quinquennio dictus dominus Ludovicus ita perfectus factus fuit in predictis per gratiam Dei, quod conferre [et] disputare poterat cum quibuscumque personis de eisdem. Dixit eciam idem testis quod dominus Ludovicus fuisset sufficiens lector in predictis, sicut apparuit, quia in predicto obsidatu ipse dominus Ludovicus legit tractatus et logicalia et naturalia et aliqua theologica, et post obsidatum Neapoli legit primum Sententiarum, presente fr. *Guillelmo* de Falgario, magistro in theologia, et multis viris religiosis et secularibus, ut dixit. De aliis contentis in ipso capitulo dixit se nichil scire.

Capitulum iij. Super capitulo quod incipit: *Set et tunc eciam in obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus, dixit quod dominus Ludovicus studio et oracioni vacabat, sicut in ipso capitulo continetur.

---

[1] Deest in Cod. [2] Idest, 6 decembris.

Capitulum iiij. Super capitulo quod incipit: *Sic fugit consorcia mulierum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod nunquam vidit nec scivit nec audivit ab aliquo, nec credit quod dominus Ludovicus habuerit familiaritatem aliquam cum aliqua muliere, immo fugiebat consorcia omnium mulierum; et eciam matri sue domine regine, quando rediit de obsidatu, osculum denegavit, sicut ipse testis qui loquitur dixit se vidisse. Quod dominus Ludovicus se conferret interdum ad [1] monialium monasteria, ut illis salubria monita diceret, dixit quod verum est, et ipse testis fuit presens in monasterio quod vocatur Bon Repons et in Monte sancte Clare in Barchilona.

Capitulum v. Super capitulo quod incipit: *Divinis intentus Officiis* etc. diligenter interrogatus idem testis, dixit esse vera omnia que in ipso capitulo continentur, quia
1d ipse presens erat et vidit hec omnia, ut dixit. Dixit eciam plus quod quidam * Frater de Carthusia valde devotus homo docuerat dominum Ludovicum ita dicere Officium Crucis, dicens idem dominus Ludovicus quod multum valebat illud ad contemptum mundi.

Capitulum vj. Super capitulo quod incipit: *Missas audiebat devotissime* etc. diligenter interrogatus [2] idem testis, dixit quod non vidit hominem qui magis devote Missas audiret; et frequenter et pure confitebatur, ut dixit.

Capitulum vij. Super capitulo quod incipit: *Displicebat sibi dum erat in mensa colloqui* etc. diligenter interrogatus, dixit quod et in mensa et alibi superfluum et inhonestum colloquium displicebat sibi.

Capitulum viij. Super capitulo quod incipit: *Sermonibus libenter intererat* etc. diligenter interrogatus, dixit esse vera que in ipso capitulo continentur, et testimonium perhibuit, quia vidit et presens fuit, ut dixit.

Capitulum ix. Super capitulo quod incipit: *Verba inhonesta loqui et audire vitabat* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum quod in ipso capitulo continetur.

Capitulum x. Super capitulo quod incipit: *Erat in cibo et potu plurimum sobrius* etc. diligentur interrogatus, dixit quod verum est quod in ipso capitulo continetur.

Capitulum xj. Super capitulo quod incipit: *Crebris atterebat corpus suum in pane et aqua ieiuniis* etc. diligenter interrogatus, dixit quod dominus Ludovicus ieiunabat in pane et aqua in iiijor vigiliis beate Marie et in die veneris sancta, et alia ieiunia indicta per Ecclesiam observabat, ut dixit. Dixit eciam ipse testis quod ipsemet aliquociens in sexta feria dicto domino Ludovico petenti dedit disciplinam.

Capitulum xij. Super capitulo quod incipit: *Erat sibi magnum esse cum secularibus tedium* etc., dixit contenta in ipso capitulo esse vera, et ipse vidit, ut dixit.

Capitulum xiij. Super capitulo quod incipit: *In libris contemplacionis* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum quod in ipso capitulo continetur, et ipse vidit, ut dixit.

2a * *Capitulum xiiij.* Super capitulo quod incipit: *Sic postremo disposuit vanitates seculi fugere* etc. diligenter interrogatus, dixit quod audivit contenta in ipso capitulo a domino Ludovico, qui recitavit sibi; alias tamen ipse non noverat propositum suum, nec audivit votum suum, ut dixit.

Capitulum xv. Super capitulo quod incipit: *Semel uni leproso obvius* etc. diligenter interrogatus, dixit quod audivit dici quod dominus Ludovicus semel fecit unum

---

[1] Cod. *de*. [2] Cod. bis *interrogatus*.

leprosum vocari secreto ad cameram suam et osculatus fuit eum multum devote; et hoc audivit pro certo a domino Duce fratre suo et a quibusdam aliis, qui dicebant se fuisse presentes quando dominus Ludovicus osculatus fuit leprosum. Aliud vero dixit se nescire de contentis in ipso capitulo.

Capitulum xvj. Super capitulo quod incipit: *Ad conversionem quoque infidelium* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est illud quod dicitur in capitulo de iudeis; de sarracenis non recordatur, ut dixit.

Capitulum xvij. Super capitulo quod incipit: *Sic iam in eo miseracio vigebat ad pauperes* etc. diligenter interrogatus, dixit quod dominus Ludovicus fuit ita largus ad pauperes quod libentissime eis elemosinas erogabat, et alia que non dabantur pauperibus perdita reputabat. Quod dominus Ludovicus panes proiceret per fenestram, dixit se non vidisse. Dixit eciam quod dominus Ludovicus fuit mirabiliter paciens et dicebat, quod melius erat et securius adversitates pati quam in mundanis prosperitatibus delectari, et quod pro toto mundo nolebat non fuisse in ipso obsidatu, quia utilis fuerat sibi pro retractione mundanorum et salutem anime sue.

Capitulum xviij. Super capitulo quod incipit: *Quidam Frater eius socius* etc. diligenter interrogatus, dixit [1] esse verum quod in ipso capitulo continetur, et ipse testis qui loquitur fuit et est ille Frater cui dominus Ludovicus predicta dixerat. Et dixit idem testis quod cum mirabili paciencia * recipiebat correctionem. * f.

Capitulum xix. Super capitulo quod incipit: *Set et cum Fratrem ipsum* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, dixit quod non audivit; set credit contenta in ipso capitulo esse vera.

Capitulum xx. Super capitulo quod incipit: *Eius denique magnitudo paciencie* etc. diligenter interrogatus, dixit quod de paciencia respondit supra; de aliis dixit se nichil scire. Dixit eciam quod dominus Ludovicus familiam suam informabat ad bene et honeste vivendum et veniendum ad sermones et ad Missam, sicut in ipso capitulo continetur, et penitendum et ad comunicandum; et illos qui non veniebant vel non faciebant predicta, dure aliquociens arguebat. Dixit eciam quod non recordatur quod audiverit a domino Ludovico illa verba precipitacionis; set firmiter credit quod dixit, et quod libenter volebat sustinere omne illud quantumcumque periculosum esset et difficile, per quod posset ad salutem venire.

Capitulum xxj. Super capitulo quod incipit: *In obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est illud quod in prima parte capituli continetur, scilicet quod libenter iret ad regionem longinquam et intraret Ordinem, ut ibi humilitatis officia exerceret; et ipse hec audivit ab eodem domino Ludovico, ut dixit. Quantum est de eo quod crebro surgeret de lecto de nocte, dixit quod nescit de hoc; set bene credit quod oraret de nocte et prolixe oracioni vacaret. De cato breviter et de aliis que sequuntur in ipso capitulo dixit se nichil scire; set bene audivit dici.

Capitula que sequuntur respiciunt tempus liberacionis et exitus obsidatus et antequam esset episcopus Tholosanus.

Capitulum xxij. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter interrogatus testis qui loquitur, et primo * super tonsura, * f.
dixit quod fr. *Franciscus*, nunc episcopus Gagetanus [2], de mandato domini Celestini

[1] Cod. add [illegible] [2] Cod. *Guagetanus* vel *Gnagetanus*.

tunc pape facto sibi per litteram apostolicam, fecit eidem domino Ludovico tonsuram et dedit sibi minores quatuor ordines dum erat in obsidatu ex virtute eiusdem mandati et secundum formam quam sub bulla dictus dominus Papa miserat sibi. Interrogatus testis qui loquitur si ipse fuit presens quando predictus fr. *Franciscus* dedit domino Ludovico tonsuram et minores ordines, dixit quod non; set postea vidit idem testis qui loquitur quomodo apparebat signum de amocione capillorum in capite domini Ludovici, et dixit sibi dominus Ludovicus quod nulli diceret; nec dominus Ludovicus dum fuit in obsidatu portavit coronam rasam, nec expediebat sibi propter custodes et periculum quod posset contingere. Audivit eciam testis [1] qui loquitur hoc idem a fr. *Francisco.* Dixit eciam fr. *Franciscus* testi qui loquitur, quod dominus Ludovicus flexis genibus et capite demisso et cum multis lacrimis et gemitibus recepit tonsuram et ordines minores. Interrogatus si ipse vidit litteram commissionis vel formam, dixit quod non, nisi quantum a predictis domino Ludovico et fr. *Francisco* audivit. Postea tamen, cum dominus Ludovicus venit apud Bellam Gardiam post exitum obsidatus, fecit sibi radi coronam et publice portavit eam postea; et ipse vidit, ut dixit. De pellibus variis, dixit quod portavit eas usque Sutrium et, ut credit, invitus, et ibi dimisit easdem. Et dixit quod stamineam incepit portare quando fuit factus subdyaconus per Papam in Urbe, et portavit eam donec venit ad infirmitatem de qua mortuus fuit, nec volebat dimittere unquam licet pluries fuerit sibi dictum. Dixit eciam quod cordam ad carnem incepit portare dum fuit in obsidatu, et portavit eam post obsidatum per annum, usquequo portavit
2a ha-*bitum fratrum Minorum. Quod fratres Minores iacerent continue in camera domini Ludovici, dixit quod verum fuit, et ipse vidit frequenter. De discalciacione vero tunc non recordatur. Interrogatus qui erant illi Fratres, dixit quod fr. *Franciscus* episcopus nunc Gagetanus et fr. *P(etrus)* testis qui loquitur. De eo quod dicitur in ipso capitulo quod voluerit implere votum, et Monte Pessulano, de intrando Ordinem fratrum Minorum, dixit quod verum fuit, et tunc ipse qui loquitur erat presens; adiciens quod tunc eciam dominus Ludovicus iteravit dictum votum sponte in presencia Ministri qui tunc erat et quorumdam aliorum solempnium fratrum Minorum, et se obtulit intraturum ipsum Ordinem quandocumque fratres Minores vellent eum recipere, dicens dictus dominus Ludovicus Ministro et aliis Fratribus ibidem presentibus, quod ex nunc non stabat per eum set per eos quominus intraret ipsum Ordinem. De tabardo vero seu mantello quod dederit pauperi, dixit se nichil scire, nisi quod audivit dici quod ita fuit. Quod acolitatum et alios minores ordines susceperit, respondit ut supra circa principium huius capituli. De ordine subdyaconatus, dixit quod verum est, et ipse fuit presens quando dominus Bonifacius fecit eum subdyaconum in Urbe. De pellibus variis respondit supra in isto eodem capitulo. Quod, postquam fuit factus subdiaconus, usus fuerit panno nigro vel camelino beguino, dixit idem testis quod verum est, et ipse vidit hoc qui sibi continue assistebat. De missione vasorum argenteorum sibi facta per patrem dixit se non recordari, set postquam fuit subdyaconus dominus Ludovicus non fuit usus vasis argenteis in domo sua, nec recordatur quod propter hoc dictus dominus Ludovicus iverit ad patrem suum nec
3a quod illa verba dixerit que in ipso capitulo * continentur, ut dixit. Quod suasum fuerit domino Ludovico quod pro reliquis sacris ordinibus suscipiendis Romam ac-

[1] Cod. *testes.*

cederet, dixit testis qui loquitur quod ipse non audivit persuasionem, set bene scit quod noluit ire ut pompam evitaret. Scit eciam, et presens fuit, ut dixit, quod dominus Ludovicus fuit factus Neapoli dyaconus in domo fratrum Minorum per dominum Radulphum tunc patriarcham Ierosolimitanum. Dixit eciam quod per verba et opera et exempla que ostendebat et agebat, bene apparet quod aspirabat ad hereditatem eternam. In renunciacione temporalis patrimonii et primogeniture iuri et regni, dixit quod presens non fuit; set ita audivit dici a multis fide dignis, et hoc opera sequuta demonstrant.

Capitulum xxiij. Super capitulo quod incipit: *Existens in castro Ovi* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse vidit et presens fuit quando dominus Ludovicus fuit in presbiterum ordinatus per dominum Philippum tunc archiepiscopum Neapolitanum, et sequenti die, sicut sibi videtur, post ordines, dominus Ludovicus celebravit Missam privatam; et istud continuavit dictus dominus Ludovicus de celebracione Misse, nisi haberet aliquod impedimentum, usque ad tempus illud in quo illum [1] infirmitas de qua decessit incepit ipsum gravare. Dixit eciam quod frequentissime confitebatur antequam Missam celebraret. Dixit eciam quod post Missam ad studium accedebat regulariter, abinde comuniter non exiens usque ad prandii horam; nec immiscebat se vaniloquiis, set collacioni alicui super materia theologica vel philosophica seu morali ut plurimum intendebat.

Capitulum xxiiij. Super capitulo quod incipit: *Post collacionem vero ingrediens cameram* etc. diligenter interrogatus, dixit quod dominus Ludovicus frequenter intrabat cameram suam et ibi aliquid de cantu Eccle*sie addiscebat, et interdum quiescebat, sicut in ipso capitulo continetur. Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit et presens fuit, ut dixit. * f

Capitulum xxv [2]. Super capitulo quod incipit: *Postmodum autem ne preteriret hora temporis ociosa* etc. et super sequenti capitulo diligenter interrogatus, dixit quod dominus Ludovicus frequenter studebat in libris beati Bernardi et in aliis edificativis; et si quando fatigatus erat a studio, intrabat orticellum et ibi cum sarcello operabatur; et sic tempus sine ocio expendebat.

Capitulum xxvij [3]. Super capitulo quod incipit: *Quamdiu fuit in ipso castro* etc. diligenter interrogatus, dixit verum esse quod in ipso capitulo continetur. Interrogatus de nominibus Fratrum qui iacebant in camera domini Ludovici, dixit quod fr. *Franciscus* et fr. *P(etrus)* testis qui loquitur, in castro Ovi; cum autem dominus Ludovicus se transtulit ad castrum Novum, tunc prenominati Fratres et fr. *Guillelmus* de Cornelione et fr. *P(etrus)* Cocardi iacebant continue in camera dicti domini Ludovici.

Capitulum xxviij. Super capitulo quod incipit: *Continue preterea erat in eius mensa lectio* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est quod erat lectio in principio mense domini Ludovici et in fine. Dixit eciam quod post Completorium intrabat capellam et ibi per spacium aliquod stabat orando, sicut ipse sepe vidit.

Capitulum xxviiij. Super capitulo quod incipit: *Sic erat devocioni et oracioni deditus* etc. diligenter interrogatus, dixit quod dominus Ludovicus erat devocioni et oracioni deditus, et hoc videbat testis qui loquitur quasi continue. De aliis contentis in ipso capitulo dixit se nichil scire.

---

[1] Sic: vel superfluum vel pro *illa*. [2] Et cap. xxvi. [3] Cod. *xxvj*, et subsequenter *xxvij* et *xxviij* pro *xxviij-xxviiij*.

Hic incipit tangere capitula aliqua de hiis que contigerunt postquam dominus Ludovicus fuit factus episcopus Tholosanus.

Capitulum xxx. Super capitulo quod incipit: *Consequenter quoque cum summus* 45c *Pontifex providisset de eo * absente ecclesie Tholosane* etc. diligenter interrogatus idem testis qui loquitur, dixit quod ipse audivit et presens fuit quando persuadebatur domino Ludovico quod assentiret provisioni de ipso facte ecclesie Tholosane, et ipse testis fuit unus de illis qui persuaserunt sibi, ut dixit. De responsione vero quam dominus Ludovicus fecit persuasoribus non recordatur, ut dixit.

Capitulum xxxj. Super capitulo quod incipit: *Eo vero in Pape constituto presencia* [etc.] diligenter interrogatus, dixit quod ipse non fuit presens coram Papa quando dominus Ludovicus intravit ad eum, nec audivit verba que dominus Papa dixit sibi, nec responsionem quam fecit dominus Ludovicus domino Pape. Dixit tamen quod, postquam dominus Ludovicus exivit de camera Pape, recitavit testi qui loquitur quomodo ipse dixerat Pape de ingressu Ordinis et obtinuerat apud eum licenciam quod intraret Ordinem fratrum Minorum et assumeret habitum eorumdem. Et tunc iverunt dominus Sabinensis et dominus Ludovicus ad domum domini Sabinensis, et tunc in presencia domini Sabinensis cardinalis et aliquorum fratrum Minorum dominus *Iohannes*, tunc Minister generalis Ordinis fratrum Minorum et nunc episcopus Portuensis, recepit dominum Ludovicum in fratrem Ordinis fratrum Minorum et tradidit sibi habitum; et immediate dictus dominus Ludovicus fecit professionem in manu dicti domini *Iohannis*.

Capitulum xxxij. Super capitulo quod incipit: *Quem equidem habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod de mandato domini Pape, sicut audivit a domino Ludovico, dictus dominus Ludovicus celavit habitum sub aliis vestibus usque ad festum beate Agathe quod instabat, et in festo beate Agathe dictus dominus Ludovicus celebravit Missam in domo fratrum Minorum prope Capitolium, presentibus dominis 45d *M(atheo)* tunc episcopo Portuensi et fr. Iacobo cardi-*nalibus. Et Missa dicta et finita solempniter, depositis paramentis episcopalibus, dominus Ludovicus publice assumpsit habitum fratrum Minorum; et dicti Cardinales et dominus Ludovicus remanserunt in prandio cum fratribus Minoribus predictis. Et post prandium dominus Ludovicus et dicti Cardinales ascenderunt bestias suas, et Cardinales conduxerunt ipsum dominum Ludovicum usque domum in qua inhabitabat dominus Ludovicus, sicut ipsi testi qui loquitur videtur. Et eadem die post dormicionem dominus Ludovicus fuit vocatus per dominum Papam, et tunc ipse dominus Ludovicus ivit ad eum pedes et in habitu fratrum Minorum, ut dixit.

Capitulum xxxiij. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc supra humanum modum a risu* etc. *cohibuit* diligenter interrogatus, dixit quod ex tunc magis abstinuit a risu et aliis inhonestis, licet prius eciam abstineret. Dixit eciam quod instrionibus nunquam favit.

Capitulum xxxiiij. Super capitulo quod incipit: *De canibus et avibus* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est quod dicitur in capitulo de canibus et avibus. Dixit eciam quod verum est illud quod continetur in ipso capitulo de xxv pauperibus, et ipse vidit hoc frequentissime. Et illud eciam quod dicitur de tribus pauperibus vidit aliquociens, ut dixit.

Capitulum xxxv. Super capitulo quod incipit: *Veniens Parisius centum pauperes induit* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est, dando singulis singulas tunicas, sicut ipse vidit et presens fuit. De locione scutellarum, dixit quod verum fuit, set non recordatur si fuit in die Pasche.

Capitulum xxxvj. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperum cura maior* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est illud quod in ipso capitulo continetur, hoc excepto quod non audivit verba que * dominus Papa dixit domino * f. Ludovico, nec illa verba que idem dominus Ludovicus dixit illi familiari suo de exquirendo valorem reddituum; tamen scit quod magnam affectionem habebat in augendis elemosinis, et propter[ea] alias expensas restringebat.

Capitulum xxxvij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum eius somerii non venissent* etc. diligenter interrogatus, dixit quod non vidit, set audivit dici illud quod in ipso capitulo continetur.

Capitulum xxxviij. Super capitulo quod incipit: *Cumque in crastinum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod non audivit nec fuit presens; set credit quod verum fuit.

Capitulum xxxix. Super capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. diligenter interrogatus, dixit quod semel vidit dominum Ludovicum celebrantem ordines Tholose devote, sabbato post Penthecosten. De examinacione clericorum beneficiandorum et promovendorum, dixit quod ipse vidit aliquociens quod ita servabat sicut in ipso capitulo continetur. Cetera in ipso capitulo contenta dixit esse vera, et ipse testis vidit aliquociens et presens fuit, ut dixit.

Capitulum xl. Super capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc. diligenter interrogatus, dixit quod hoc non vidit in Cathalonia, set bene audivit dici quod ita fuerat. Vidit tamen, et presens fuit ipse qui loquitur, quod in itinere Francie dictus dominus Ludovicus venit ad quamdam ecclesiam; cum non haberet paramenta propria, ibi invenit quedam grossa et utcumque sordida et dislacerata paramenta, cum quibus, nolens Missam ob hoc obmittere, celebravit, et cum calice et turpi et vili, ut dixit.

Capitulum xlj. Super capitulo quod incipit: *In eodem [eciam] viagio* etc. diligenter interrogatus, dixit esse vera que in ipso capitulo continentur, et ipse qui loquitur fuit presens cum * dicto domino Ludovico, ut dixit. * f.

Capitulum xlij. Super capitulo quod incipit: *Cum iret Parisius* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est illud quod in capitulo continetur, et ipse qui loquitur fecit tradi illam cappam dicto pauperi de mandato dicti domini Ludovici. Interrogatus de loco, dixit quod fuit in Arvernia, ut credit, prope Brinatam; et erat magnum gelu et frigus.

Capitulum xliij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere penitus voluit* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est; tamen ipse non vidit, set audivit hoc a domino Ludovico qui dixit sibi; et de hoc, quia fecerat, ipse testis ipsum durissime increpavit, ut dixit. Cetera contenta in ipso capitulo dixit esse vera, dicens quod non recordatur quod viderit dominum Ludovicum equitare aliud animal nisi mulum.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Suadentibus sibi Fratribus* etc. diligenter interrogatus, dixit verum esse quod in ipso capitulo continetur, et ipse qui loquitur fuit unus de persuasoribus, ut dixit.

Capitulum xlv. Super capitulo quod incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse ea que in ipso capitulo continentur, quia vidit.

Capitulum xlvj. Super capitulo quod incipit: *Frequenter in secreto satagebat Fratribus sociis suis obsequiosus existere* etc. diligenter interrogatus, dixit quod semel vidit Brinonie quod dedit potum Fratribus sociis suis, et libenter aplaudebat eis; alias nescit.

Capitulum xlvij. Super capitulo quod incipit: *Sepe visitabat hospitalia pauperum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod, antequam dominus Ludovicus esset episcopus, vidit ipsum hospitalia pauperum visitare; sed postquam fuit episcopus non recordatur quod hoc fecerit, eo vidente; scit tamen, quia vidit hoc frequenter, quod
14c mag-*nam affectionem et compassionem habebat ad pauperes, ut dixit.

Capitulum xlviij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum indigeret habitu* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum quod in ipso capitulo continetur, et idem testis est ille Frater cuius erat habitus, ut dixit.

Ista capitula respiciunt tempus infirmitatis dicti domini Ludovici usque ad mortem.

Capitulum xlix. Super capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus, dixit quod dominus Ludovicus in festo beati Dominici celebravit Missam Brinonie in domo regis solempniter, et sequenti die celebravit in domo fratrum Minorum pro fratre suo quondam rege Ungarie [1]; et, dicta Missa de mortuis, dictus dominus Ludovicus sensit frigus, et tunc arripuit eum infirmitas; in qua infirmitate multum se ostendit pacientem; et eciam in aliis statibus fuit paciens, sicut dixit.

Capitulum l. Super capitulo quod incipit: *Devotissime suscepit in morbo Corpus dominicum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod in die Assumpcionis beate Marie Virginis testis qui loquitur celebravit Missam in camera dicti domini Ludovici, et audivit confessionem ipsius domini Ludovici. Et postea dominus Ludovicus egrediens de lecto venit ad altare, ad quod venit idem dominus Ludovicus cum magna devocione et reverencia, licet debilis esset multum, et comunicavit eum ibi.

Capitulum lj. Super capitulo quod incipit: *Licet autem de consilio et dispensacione summi Pontificis* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in ipso capitulo esse vera; hoc excepto quod non audivit quod voverit, set bene vovere voluit, set testis qui loquitur non permisit, ut dixit.

Capitulum lij. Super capitulo quod incipit: *Dum die quadam a morbo craticasse*
14d *et curatus fore a medicis crederetur* etc. diligenter interrogatus, * dixit quod verba predicta non audivit; set bene audivit dici a domino Ludovico quod ipse non evaderet ab illa infirmitate.

Capitulum liij. Super capitulo quod incipit: *Per biduum vel triduum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod bene recordatur et vidit quod dictus dominus Ludovicus fecit sibi apportari Crucem et quod eam devote adoravit.

Capitulum liiij. Super capitulo quod incipit: *Hoc eodem in crastinum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod quidam Frater Cathalanus qui venerat de Curia faciebat domino Ludovico narracionem de divinis ad requisicionem ipsius domini Ludovici; et credit quod nocte sequente dominus Ludovicus de hoc mundo transivit. Et in die ante obitum suum dominus Ludovicus dicebat hec verba: « Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam mundum redemisti ». Dicebat

[1] Carolus Martellus, † ante 30 augusti 1295.

eciam: « Iesus Nazarenus, rex Iudeorum »; et « Ave Maria, gracia plena, Dominus tecum ». Et predicta verba frequenter repetebat, ut dixit.

Capitulum lv. Super capitulo quod incipit: *De predictis autem omnibus* etc. diligenter interrogatus idem qui loquitur, dixit quod de predictis, scilicet quod dominus Ludovicus fuit humilis, innocens et purus cum integritate carnis sue et multas fecit penitencias secundum statum suum, et quod fuit paciens in adversis et honestus in omnibus suis actibus, et quod multam compassionem habuit ad pauperes, et quod fuit pius et devotus ad Deum et sobrius et modestus, et quod predicta cum mundi contemptu servavit, est Neapoli et in Apulia et in Provincia et in Cathalonia publica vox et fama, et de istis omnibus credit sufficienter fuisse responsum in capitulis supradictis. Dixit eciam quod dominus Ludovicus fuit vir perfectus et pru-*dens, * f.
discretus et industrius, et quod nunquam vidit eum dicentem vel agentem aliquid quod esset peccatum mortale, licet secum fuerit septem annis, multum familiaris existens, ut dixit. Adiecit eciam idem qui loquitur, quod ipse audivit dici, dum dominus Ludovicus erat in obsidatu, a quodam milite Cathalano custode ipsius domini Ludovici, vidente conversacionem et perfectionem vite ipsius, quod adhuc Deus operaretur miracula per eum. Quod et fecit et facit frequenter, ut dixit. Interrogatus testis qui loquitur si ipse credit quod propter merita domini Ludovici Deus debeat facere miracula, respondit quod sic, propter misericordiam et bonitatem Dei, et quod de hoc est fama in regno et in pluribus aliis regionibus, quod, propter sanctam et perfectam vitam quam habuit et servavit dominus Ludovicus et merita, Deus miracula operatus est ac eciam operatur. Dixit eciam quod nec prece, nec precio, timore vel amore, aut instructus vel informatus ab aliquo, nec propter exaltacionem sui Ordinis ita deposuit in predictis; set quia de eis veritas sic se habet.

Testis xx^us super vita eiusdem domini Ludovici. Cap. xx.

Reverendus pater et dominus fr. *Franciscus* episcopus Gagetanus de Ordine fratrum Minorum, testis productus et iuratus, prout decet episcopos iurare, super capitulis traditis de vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani et circumstantiis eorundem, et primo:

Capitulum j. Super primo capitulo quod incipit: *Ante obsidatum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse quando dominus [Ludovicus] erat etatis xii^cim annorum, incepit habere familiaritatem cum eo et frequenter veniebat ad eum et ad fratres suos, et dictus dominus Ludovicus, licet esset etatis illius, confitebatur ei; et tunc ipse testis vidit in domo ipsius domini Ludovici et germanorum suorum dominum Guillelmum de Manerio Reynardi militem, qui erat * gallicus et erat homo magne * f.
et perfecte honestatis et sollicite intendebat ad bonum et honestum regimen dicti domini Ludovici et fratrum suorum, ita quod omni mane faciebat [e]os lavare manus suas et postea, lotis manibus, faciebat eos intrare capellam ubi erat sacerdos paratus, et ibi audiebat Missam, et dictus dominus Ludovicus tenebat unum librum in manu in quo dicebat Officium beate Virginis. Et Missa finita, ipsi ibant ad quamdam cameram, ubi pedagogus eorum clericus, qui vocabatur Iohannes de Bimareno [1], bonus et honestus homo, sicut dixit, docebat eos litteras et multum erat diligens ad bene docendum e[o]s. Et postquam audiverant lectionem ibi, ibant ad aliquale solacium, et

[1] Sic.

deinde veniebant ad prandium; et sumpto prandio, dicti fratres interdum ludebant ad scacos. Et dictus miles multam diligenciam adhibebat ne aliquod malum vel inhonestum vel inordinatum dicerent vel quoquo modo agerent seu excessum. Tamen dixit quod ipse non vidit in domino Ludovico causam inhonestatis et inordinacionis alicuius vel excessus; immo mansuetissime se habebat. Alius, Robbertus, ipsius domini Ludovici frater, quandoque committebat aliqua, ex quibus dictus miles supponebat eum virgis; et dominus Ludovicus, fratri suo compaciens, plorabat. Sed nichil breviter faciebat quod ipse testis sciret vel videret ex quibus penam vel verbera mereretur, set in omnibus moribus et honestati[1] se exhibebat. Et ita credit quod fuit servatum in domo regis Francie circa doctrinam et nutrimentum sublimium puerorum; et Fratres qui veniebant de Francia et lectores et alii, quando videbant dictos pueros sic nutriri, dicebant quod sic nutriebantur in domo regis Francie. Interrogatus quanto tempore vidit eos sic nutriri, dixit quod per biennium in Provincia, scilicet Aquis, Brinonie et Bariolis.

Que sequuntur referuntur ad tempora obsidatus.

Capitulum ij. Super capitulo quod incipit: *In primo namque sue iuventutis flore* etc. diligenter interrogatus de singulis contentis in ipso capitulo, dixit omnia
45c vera esse que in ipso capitulo continentur, hoc excepto * quod tunc temporis dominus Raymundus Berengarii non venit nec intravit cum eis, set postea per tres menses venit et intravit in obsidatu in castro de Monte Catano, ubi erant fratres sui germani; et ipse predicta vidit et presens fuit, ut dixit. Interrogatus qui erant dicti fratres Minores, dixit quod ipsemet testis qui loquitur et quidam alius frater Minor de Cathalonia.

Capitulum iij. Super capitulo quod incipit: *Sed et tunc eciam in obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in ipso capitulo esse vera; et hoc vidit et presens fuit in castro Syeurane[2], ubi steterunt quatuor annis, ut dixit.

Capitulum iiij. Super capitulo quod incipit: *Sic fugit consorcia mulierum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod dominus Ludovicus familiaritatem et consorcia omnium mulierum, in Provincia et in Cathalonia et alibi ubi fuit, fugit; et eciam non libenter erat cum matre vel sororibus suis, immo eas quantum decenter poterat evitabat. Quod ad monasteria monialium se converterit et ibi salubria monita eis dederit, dixit quod non vidit, set audivit a Fratribus qui remanserant cum eo, quia ipse testis iverat ad regem missus a domino Ludovico et a fratre suo; et ipse credit esse verum.

Capitulum v. Super capitulo quod incipit: *Divinis intentus Officiis* etc. diligenter interrogatus, dixit omnia esse vera que in ipso capitulo continentur, et ipse presens fuit et quasi continuo dicebat cum eo dum erat presens, hoc excepto quod in Officio Crucis non vidit quod hostium clauderetur, nec quod dominus Ludovicus teneret brachia sua extensa ad modum Crucis, set audivit a fr. *P(etro)* socio suo, nunc episcopo Repollano; et propter hoc credit esse verum.

Capitulum vj. Super capitulo quod incipit: *Missas audiebat devotissime* etc. diligenter interrogatus, dixit quod Missas audiebat devotissime et frequenter confitebatur.

---

[1] Sic. [2] Sic.

Capitulum vij. Super capitulo quod incipit: *Displicebat sibi dum erat in mensa colloqui* etc. diligenter interrogatus, dixit omnia contenta in ipso capitulo esse vera, et ipse vidit et presens fuit quando ger-*manos suos et alios arguebat; et ipse dominus Ludovicus multum tacitus erat et raro loquebatur in mensa, ut dixit.

Capitulum viij. Super capitulo quod incipit: *Sermonibus libenter intererat* etc. diligenter interrogatus, dixit contenta in ipso capitulo esse vera, et ipse presens erat et frequenter predicabat ei et aliis, et audiebat eius confessionem et sibi ministrabat Eucaristie sacramentum, ut dixit, prout in ipso capitulo continetur.

Capitulum ix. Super capitulo quod incipit: *Verba inhonesta loqui et audire vitabat* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur, et ipse frequenter hoc vidit.

Capitulum x. Super capitulo quod incipit: *Erat in cibo et potu plurimum sobrius* etc. diligenter interrogatus, dixit verum [1] esse quod dominus Ludovicus multum erat sobrius in cibo et in potu, et multum oracioni et devocioni vacabat.

Capitulum xj. Super capitulo quod incipit: *Crebris atterebat corpus suum in pane et aqua ieiuniis* etc. diligenter interrogatus, dixit quod dominus Ludovicus ieiunabat in pane et aqua mj^{or} vigilias beate Virginis et diem [2] veneris sanctam, et alia ieiunia indicta per Ecclesiam continuo observabat, ut dixit. Dixit eciam ipse testis quod ipse domino Ludovico volenti et petenti cum virgis, semel ad minus et quandoque vel bis vel ter, dedit disciplinam singulis septimanis pro tempore quo fuit cum dicto domino Ludovico, et hoc in obsidatu et in castro Ovi. Dixit eciam idem testis quod dictus dominus Ludovicus interdum disciplinam per se ipsum sumebat.

Capitulum xij. Super capitulo quod incipit: *Erat sibi magnum esse cum secularibus tedium* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur, et ipse vidit frequenter, quando aliqui milites vel seculares persone veniebant ad eum, quod, quanto brevius poterat, se expediebat de eis; set ubi veniebant heremite vel religiosi vel litterate persone ad eum, eos libentissime admittebat et conferebat cum eis * de divinis et sciencialibus; et cum talibus esse, erat sibi consolacio magna.

Capitulum xiij. Super capitulo quod incipit: *In libris contemplacionis et devocionis* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum quod in ipso capitulo continetur, et ipse testis vidit hoc frequentissime, et multum delectabatur dominus Ludovicus in libris beati Bernardi et in *Vitis Patrum* et in quodam alio libro qui dicitur *Stimulus amoris Dei* [3], ut dixit.

Capitulum xiiij. Super capitulo quod incipit: *Sic postremo disposuit vanitates seculi fugere* etc. diligenter interrogatus, dixit quod credit contenta in ipso capitulo esse vera; tamen ipse non audivit quando dominus Ludovicus fecit votum primum, nec votum castitatis, quod fecit in quodam festo Penthecostes, set sibi qui loquitur postea dominus Ludovicus recitavit quod ita fecerat; scit tamen, sicut dixit, quod vanitates huius mundi, quantumcumque poterat, fugiebat.

Capitulum xv. Super capitulo quod incipit: *Semel uni leproso obvius* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non vidit; set audivit dici a domino Duce et familiaribus domini Ludovici quod una die dominus Ludovicus fuit osculatus unum leprosum.

---

[1] Cod. *vera.* [2] Cod. *idē.* [3] Cf. eius edit. ap. *Bibl. Franciscanam asceticam medii aevi* tom. IV (Ad Claras Aquas 1905).

Capitulum xvj. Super capitulo quod incipit: *Ad conversionem quoque infidelium* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum, quantum ad iudeos, quod in ipso capitulo continetur, et ipse testis vidit hoc Barchilone. De sarracenis dixit se nichil scire; scit tamen, propter bonitatem quam ipse testis vidit in domino Ludovico et puritatem quam habebat ad fidem, quod omnem a fide christiana devium [1] prompto animo revocaret ad Deum.

Capitulum xvij. Super capitulo quod incipit: *Sic iam in eo miseracio vigebat ad pauperes* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur, hoc excepto quod non vidit quod dictus dominus Ludovicus panes pàuperibus prohiceret per fenestram, set bene audivit dici et credit illud esse verum propter intensam devocionem et affeccionem quam ad pauperes ostendebat. Dixit eciam quod nec in obsidatu nec postea vidit testis qui loquitur dominum Ludovicum turbatum, 46b immo pa-*cientissime in omnibus se habebat. Dixit eciam idem testis quod frequenter audivit a dicto domino Ludovico quod meliora erant tempora adversitatis quam mundane prosperitatis, pro salute animarum.

Capitulum xviij. Super capitulo quod incipit: *Quidam Frater eius socius* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non vidit nec audivit ea que in ipso capitulo continentur, set credit ea esse vera, quia fr. *P(etrus),* nunc episcopus Repollanus, tunc socius suus, dixit eidem testi.

Capitulum xix. Super capitulo quod incipit: *Set et cum Fratrem ipsum* [etc.] diligenter interrogatus, dixit quod credit contenta in ipso capitulo, et respondit ut supra proximo.

Capitulum xx. Super capitulo quod incipit: *Eius denique magnitudo paciencie* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse contenta in ipso capitulo, et ipse vidit frequenter et audivit a custodibus domini Ludovici quomodo mirabantur et admirando stupebant de paciencia et benignitate in eo, et eciam dicebant quod adhuc Deus faceret miracula pro eo. Dixit eciam quod dominus Ludovicus familiam suam monebat et instruebat et eciam arguebat, sicut in ipso capitulo continetur. De precipitacione vero dixit quod verum est, et ipse audivit dominum Ludovicum dicentem, dum erant in castro Syeurane supra rupem.

Capitulum xxj. Super capitulo quod incipit: *In obsidatu manens* etc. diligenter interrogatus, dixit quod, dum dominus Ludovicus erat in obsidatu, ipse testis non audivit contenta in primo membro capituli ab eo, set post exitum obsidatus et postquam factus fuit episcopus Tholosanus bene audivit a dicto domino Ludovico, qui dicebat sibi quod libenter vellet esse in regione longinqua in qua esset omnino ignotus, ut ibi liberius posset humilia officia exercere. Dixit eciam ipse testis quod non iacebat eo tempore in camera in qua iacebant dominus Ludovicus et germani sui, qui in quadam turri ponebantur de nocte per custodes, ut possent melius et securius custodiri, et testis qui loquitur cum Fratre suo, quem habebat, iacebat in 46c quadam * camera inferiori; audivit tamen idem testis a domino Robberto germano domini Ludovici quod ipse et dominus Ludovicus iacuerunt simul per IIIJ^{or} annos vel circa in eodem loco, et quod nunquam dictus dominus Robbertus fuit excitatus a sompno quando inveniret dominum Ludovicum orantem, secundum quod dominus Robbertus dixit testi qui loquitur. De cato vero dixit se nichil scire, nisi quantum

[1] Cod. *demum.*

dominus Raymundus Berengarii recitavit sibi et nonnullis aliis post mortem dicti domini Ludovici.

Ista capitula que sequuntur respiciunt tempus liberacionis et exitus obsidatus et antequam esset episcopus Tholosanus.

Capitulum xxij. Super capitulo quod incipit: *Post ipsius vero liberacionem ab obsidatu* etc. diligenter interrogatus, et primo quomodo tonsuram habuit dictus dominus Ludovicus et quis fecit eum clericum, dixit quod ipsemet testis qui loquitur, dum erat in castro Syeurane, recepit litteras apostolicas in quibus dominus Celestinus, tunc temporis summus Pontifex, committebat eidem testi quod domino Ludovico faceret tonsuram et quod eciam eum ad quatuor minores ordines ordinaret. Quibus litteris receptis, testis qui loquitur tam propter se quam propter dominum Ludovicum et alios germanos suos decidit in magnam formidinem propter diligenciam quam custodes adhibebant circa dominum Ludovicum et alios, quod status eorum minime in aliquo mutaretur; nichilominus tamen idem testis confidens de Domino, visa voluntate et instancia dicti domini Ludovici qui multo desiderio fieri clericus affectabat, sequens formam mandati apostolici sibi missi, incepit illa dicere que sunt ordinata dici in clericis tonsurandis, et cum ventum fuit ad illum versiculum Psalmi [1]: *Dominus pars hereditatis mee et calicis mei, ad illa verba potissime: Tu es qui restitues hereditatem meam michi,* dictus dominus Ludovicus elevatis occulis cum multis lacrimis protulit dicta verba, ita quod duo assistentes ibidem, videntes dominum Ludovicum, ad lacrimandum eciam prorupuerunt, * et testis consummavit officium *f. quod conveniebat tonsure; quo completo, eadem hora quatuor minores ordines dedit eidem domino Ludovico. Interrogatus de tempore quo predicta fuerunt, dixit quod in festo beate Elizabeth [2] vel circa. Interrogatus de assistentibus ibidem, dixit quod dominus Robbertus, nunc dux Calabrie, et dominus P(etrus) de Cocharello, miles nunc, tunc temporis domicellus existens; et testis qui loquitur propter periculum non audebat alios convocare, eciam Fratrem socium suum, quia erat de Cathalonia. Interrogatus si habebat litteram apostolicam, dixit quod non, quia statim, dicta Missa et premissis completis, propter periculum ipse testis laceravit eam et frustra sub terra abscondit ne viderentur; credit tamen quod dominus rex habebat aliam similem litteram [3], et ita dixit sibi rex, ut dixit. Dixit eciam quod post tonsuram et minores ordines susceptos dictus dominus Ludovicus stetit in obsidatu multo tempore et portabat habitum secularem sicut prius, nec signa clericalia in aliquo apparebant, et propter hoc signanter paucos capillos absiderat de capite ipsius domini Ludovici. Post exitum vero de obsidatu ipsi venerunt [4] apud Bellam Gardiam [5], et cum fuerunt ibi, in vigilia omnium Sanctorum fecit sibi radi tonsuram et magnam fieri et patentem dictus dominus Ludovicus, et induit novas vestes clericales et talares et cappam rotundam; et ibi bene portabat pelles varias et portavit postea aliquo tempore propter mandatum patris, licet, ut ipse credit, invitus, et tunc portavit usque prope Romam. De staminea et tunica lanea, dixit quod, postquam dominus Ludovicus pervenit ad Urbem, incepit portare et continuavit usque ad finem suum, nec testis qui loquitur potuit eum inducere quod dimitteret; et reddebat racionem dictus do-

---

[1] Ps 15, 5. [2] Idest, 19 novembris. [3] Desideratur: cf. *Bull. Franc.* IV, 332.
[4] Cod. *noverunt.* [5] Cod. *Gardiani.*

7a minus Ludovicus, quia si displicebat sensualitati, placebat racioni *, et si gravabat
carnem, reficiebat mentem. Et de fune dixit quod dominus Ludovicus, dum stetisset
in obsidatu per quinque annos vel circa, assumpsit sibi funem ad carnem, et illum
portavit iuxta carnem, sicut ipse testis vidit frequenter et potissime quando dabat
sibi disciplinam, donec accepit habitum fratrum Minorum; tunc autem, post assum-
pcionem habitus, ipse dimisit illum funem. Dixit eciam quod prima die qua dominus
Ludovicus venit apud Bellam Gardiam, item testis qui loquitur et fr. *P(etrus)* Scar-
rerii iacuerunt in camera dicti domini Ludovici, et ita continuaverunt donec venerunt
ad castrum Novum Neapoli, et in castro eciam Ovi continuo iacuerunt coram eo, et
in predicto castro Novo eciam; excepto quod dictus testis qui loquitur racione infir-
mitatis sue fuit absens per tres septimanas, et illo tempore iacuerunt alii fratres
Minores. Dixit eciam quod dictus dominus Ludovicus fecit edictum in domo sua,
quod nullus secularis, postquam Completorium esset dictum, intraret cameram suam;
et fratres Minores serviebant ei et discalciabant eum, et non alius. Dixit eciam quod
de proposito vovendi vel voto, quod dicitur fecisse dum erat in obsidatu dictus do-
minus Ludovicus, de intrando Ordinem fratrum Minorum, ipse qui loquitur nichil
scivit, nisi in quantum dominus Ludovicus eciam in dicto obsidatu recitavit postea
testi qui loquitur quod ita fecerat, et fr. *P(etrus)* Scarrerii dixit eciam sibi quod ita
fecerat dominus Ludovicus. Set de iteracione voti quam fecit dominus Ludovicus in
Monte Pessulano, testis qui loquitur dixit quod presens fuit quando idem dominus
Ludovicus in presencia Ministri qui tunc erat et plurium personarum solempnium
de Ordine iteravit votum et institit apud eos dictus dominus Ludovicus quod de-
17b berent eum recipere; et cum dictus Minister de Fratrum assistentium * consilio
nollet eum recipere, timens turbacionem regis, qui erat presens in Monte Pessulano,
dominus Ludovicus dixit hec verba: « Per me non stat, set per vos, quominus ego
intrem Ordinem, sicut vovi ». Quando autem dominus Ludovicus dedit tabardum vel
clamidem pauperi, testis qui loquitur dixit quod non fuit presens quando dedit, set
bene audivit postea a domino Ludovico et a sociis suis et ab aliis secularibus per-
sonis, quod ita fecerat. De acolitatu et aliis minoribus ordinibus respondit superius
in principio huius capituli. De subdyaconatu dixit quod dominus Bonifacius papa
fecit eum subdiaconum in Urbe. De pellibus eciam variis respondit supra isto eodem
capitulo. Dixit eciam quod dictus dominus Ludovicus a tempore subdyaconatus por-
tavit vestes illius coloris sicut in capitulo continetur. De vasis argenteis sibi missis
per patrem, dixit quod Sutrii dictus dominus Ludovicus quecumque vasa argentea
habebat de domo sua amovit; nec testis qui loquitur vidit, ut dixit, quod rex sibi
mitteret nec quod ipse renueret. Dixit eciam quod persuasum fuit domino Ludovico,
ipso teste presente qui loquitur, quod ipse deberet ire Romam pro reliquis ordinibus
suscipiendis a Papa, qui dixerat dicto domino Ludovico (sicut ipse qui loquitur dixit
se audivisse a dicto domino Ludovico) pro aliis ordinibus suscipiendis ab eo; ipse
tamen ire noluit ex causa in ipso capitulo tacta; et a patriarcha Ierosolomitano
fratre Radulpho ordinem dyaconatus suscepit in domo fratrum Minorum Neapoli. Et
cum esset sibi paratus locus solempnis, ipse noluit, sed elegit cum aliis ordinandis,
sine prerogativa status vel sedis solempnis, publice promoveri. Dixit eciam idem testis
f. 7c quod ipse in renunciacione temporalis patrimonii, * primogeniture iuri et regni non
fuit presens, set postea audivit a dicto domino Ludovico et a pluribus aliis, et credit
fuisse verum, sicut apparuit postea per ingressum Ordinis et alia opera subsequuta.

Capitulum xxiij. Super capitulo quod incipit: *Existens in castro Ovi* etc., dixit omnia esse vera que in ipso capitulo continentur. Interrogatus quomodo scit, respondit quia tunc ipse testis continuo fuit cum domino Ludovico, et sibi confitebatur antequam celebraret. Dixit eciam quod alia faciebat que in ipso capitulo continentur, sicut ipse vidit et presens fuit.

Capitulum xxiiij. Super capitulo quod incipit: *Post collacionem vero ingrediens cameram* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur, et ipse vidit hoc frequenter quod addiscebat de cantu Ecclesie.

Capitulum xxv. Super capitulo quod incipit: *Postmodum autem ne preteriret hora temporis ociosa* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur, et ipse vidit et presens fuit, ut dixit. Interrogatus qui erant libri, dixit quod liber *Ad Eugenium* et *Ad Senonensem archiepiscopum* et *Ad Cluniacensem abbatem* et *Contemplacionis* [1].

Capitulum xxvj. Super capitulo quod incipit: *Et si quando fatigatus erat* etc. diligenter interrogatus, dixit esse vera contenta in ipso capitulo, et ipse qui loquitur fecit fieri illum orticellum et fecit apportari surculum seu sarcellum, et erant ibi herbe odorifere et virtuose.

Capitulum xxvij. Super capitulo quod incipit: *Quamdiu fuit in ipso castro* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur, et testis qui loquitur et fr. *P(etrus)* Scarrerii erant illi Fratres qui iacebant in camera domini Ludovici in castro Ovi; et in castro Novo eciam iacebant illi idem in camera domini Ludovici, et fr. *Guillelmus* de Cornelione et fr. *P(etrus)* Cocardi.

Capitulum xxviij. * Super capitulo quod incipit: *Continue preterea erat in eius mensa lectio* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur, hoc excepto quod nescit si ultra unius leuce spacium vel minus erat in [2] dicta capella dictus dominus Ludovicus; sed vidit et scivit quod per magnum spacium erat ibi. * f

Capitulum xxix. Super capitulo quod incipit: *Sic erat devocioni et oracioni deditus* etc. diligenter interrogatus, dixit quod audivit dici ab illo qui serviebat dicto domino Ludovico in mensa, quod ille servitor dicebat ei in fine mense: « Domine, vos non bibistis ».

Hic incipit tangere capitula aliqua de hiis que contigerunt postquam dominus Ludovicus fuit factus episcopus Tholosanus.

Capitulum xxx. Super capitulo quod incipit: *Consequenter quoque cum summus Pontifex providisset de eo absente ecclesie Tholosane* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse ea que in ipso capitulo continentur, et ipse testis fuit presens et unus de illis qui persuaserunt dicto domino Ludovico ut assentiret predicte provisioni; et dominus Ludovicus respondit sicut in capitulo continetur, ut dixit.

---

[1] S. Bernardi Abbatis *Ad Eugenium III De consideratione libri quinque* (Migne, *P. L.* 182, 727ss.); *Ad Senonensem archiep. De moribus et officio episcoporum tractatus* (l. c. 810ss.); *Ad Cluniacensem Abbatem Gulielmum Apologia* (l. c. 895ss.). Qui liber intelligendus sit sub nomine *Contemplacionis,* dubium. Varia opuscula S. Bernardo tribuuntur, quibus hic titulus convenire potest: *Contemplatio* sive *Lamentatio in Passionem Domini, De septem gradibus contemplationis* etc., sed probabilius hic indicari videtur *Tractatus de contemplando Deo,* qui inter spuria S. Bernardi editur et Guillelmo abb. S. Theodorici evincitur (Migne, 184, 365ss.) [2] Cod. *ante.*

Capitulum xxxj. Super capitulo quod incipit: *Eo vero in Pape constituto presencia* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non audivit verba que dominus Papa dixit domino Ludovico, nec responsionem quam tunc sibi fecit dominus Ludovicus, quia non erat presens; set postea dominus Ludovicus recitavit testi qui loquitur verba que Papa sibi dixerat et responsionem quam Pape fecerat idem dominus Ludovicus. Dixit eciam quod ipse fuit presens in domo domini Sabinensis quando dominus Ludovicus suscepit habitum fratrum Minorum et fecit professionem in manu domini *Iohannis* tunc temporis generalis Ministri, nunc episcopi Portuensis. Dixit eciam quod cum dominus Ludovicus eo tempore proprium habitum non haberet, dictus testis qui loquitur domino Ludovico petenti habitum suum veterem tradidit,
8a et illum [1] induit dominus Ludovicus, et fuit truncatus * in manicis et abreviatus a parte inferiori usque ad mediam tybiam; et postea desuper induit alias vestes suas, quia Papa ordinaverat quod usque ad tempus occulte portaret.

Capitulum xxxij. Super capitulo quod incipit: *Quem equidem habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod, quando dominus Ludovicus accepit publice habitum in domo fratrum Minorum et incepit portare publice, testis qui loquitur non erat presens, quia dominus Ludovicus miserat eum ad dominum Ducem germanum suum.

Capitulum xxxiij. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc supra humanum modum* etc. diligenter interrogatus, dixit quod quamdiu fuit cum domino Ludovico testis qui loquitur et postquam novit eum, vidit dominum Ludovicum abstinere a risu inordinato et verbo superfluo et quolibet alio inhonesto; set postquam recepit habitum studebat quantumcumque poterat virtuosius vivere et omne quod notari posset in malum tam in risu quam in vestibus et in quibuslibet aliis evitare. De instrionibus dixit quod, postquam habuit tonsuram, non favit instrionibus nec libenter videbat, et si videbat nichil eis dabat nec dari mandabat nisi prandium, nec officium eorum audiebat, ut dixit.

Capitulum xxxiiij. Super capitulo quod incipit: *De canibus et avibus* etc. diligenter interrogatus, dixit omnia et singula contenta in ipso capitulo esse vera, hoc excepto quod non recordatur se vidisse quod genua flecteret quando pauperibus serviebat, set bene vidit eum inclinantem se coram eis. De xxv pauperibus et de illis tribus eciam dixit quod verum est, et ipse frequenter hoc vidit; adiecit eciam
8b quod ipse audivit quod dominus Ludovicus mandavit dispensatori suo cuidam * monacho quod expensas domus multum temperate et sobrie duceret et quod affluenter pauperibus provideret.

Capitulum xxxv. Super capitulo quod incipit: *Veniens Parisius centum pauperes induit* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur, et ipse vidit et presens fuit.

Capitulum xxxvj. Super capitulo quod incipit: *Ex tunc fuit sibi pauperem cura maior* etc. diligenter interrogatus, dixit quod verum est et vera sunt que in ipso capitulo continentur, hoc excepto quod non audivit verba Pape quando dixit sibi quod expenderet sicut regis filius, nec recordatur cui familiari dixit verba de valore redditunm episcopatus Tholosani exquirendo; scit tamen quod dominus Ludovicus volebat parce vivere, ut posset pauperibus ulterius providere, et ista audivit frequenter a dicto domino Ludovico.

[1] Cod. *illud.*

Capitulum xxxvij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum eis somerii non venissent* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum quod in ipso capitulo continetur, et ipse vidit et presens fuit.

Capitulum xxxviij. Super capitulo quod incipit: *Cumque in crastinum* etc. diligenter interrogatus, dixit se nichil scire de contentis in ipso capitulo.

Capitulum xxxix. Super capitulo quod incipit: *Celebrabat ordines devotissime* etc. diligenter interrogatus, dixit quod vidit dictum dominum Ludovicum semel celebrantem ordines devote in ecclesia Tholosana, sabbato post Penthecosten. Dixit eciam quod circa clericos beneficiandos et ordinandos se habebat eo modo quo in capitulo continetur, et ipse vidit hoc, ut dixit. De celebracione Misse dixit esse verum sicut in ipso capitulo continetur, et ipse vidit hoc, et frequenter testi qui loquitur et aliis sociis domini Ludovici tedium generabat. * *

Capitulum xl. Super capitulo quod incipit: *Unde semel dum proficisceretur in Cathaloniam* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur, et ipse fuit presens et suit sibi manicas que erant nimis ample. Interrogatus ubi fuit, dixit quod in comitatu de Pallhars, sed non recordatur de ecclesia.

Capitulum xlj. Super capitulo quod incipit: *In eodem eciam viagio* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non fuit presens quando dominus Ludovicus visitavit illam mulierem, quia diverterat alibi; set postea reversus domum vidit dominum Ludovicum revertentem et fr. *P(etrum)* nunc episcopum Repollanum cum eo, et recitaverunt sibi ea que in ipso capitulo continentur, et ipse vidit multos pediculos in vestibus domini Ludovici et multos amovit, ut dixit.

Capitulum xlij. Super capitulo quod incipit: *Cum iret Parisius* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse que in ipso capitulo continentur, et ipse vidit et presens fuit. Interrogatus de loco, dixit quod fuit in Arvernia vel prope, set non recordatur de loco.

Capitulum xliij. Super capitulo quod incipit: *Episcopatui cedere penitus voluit* etc. diligenter interrogatus, dixit quod credit esse vera que in ipso capitulo continentur; tamen ipse non audivit nec presens fuit, quia ipse testis iverat Neapolim; set cum reversus fuit, idem dominus Ludovicus exposuit sibi omnia que in ipso capitulo sunt contenta, ut dixit. Dixit eciam quod nunquam vidit dominum Ludovicum, postquam fuit factus sacerdos, equitantem equum seu palafredum, nisi semel, quod propter maliciam temporis equitavit unum equum per duo vel tria miliaria, et una alia vice propter inundacionem aquarum prope Sarsanam [1] ad transeundum flumen; et continuo utebatur mulo ad equitandum.

Capitulum xliiij. Super capitulo quod incipit: *Suadentibus sibi Fratribus* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum quod in ipso capitulo continetur, * et ipse * fuit unus de persuasoribus.

Capitulum xlv. Super capitulo quod incipit: *Post susceptum Fratrum habitum* etc. diligenter interrogatus, dixit vera esse contenta in ipso capitulo, et ipse vidit et videbat continuo stando iuxta dominum Ludovicum.

Capitulum xlvj. Super capitulo quod incipit: *Frequenter in secreto* etc. diligenter interrogatus, dixit verum esse quod in ipso capitulo continetur, et ipse vidit quod semel potum Fratribus ministravit.

---

[1] Sarzana in Italia, ad Tyrrhenum mare, in finibus Thusciae et Liguriae.

Capitulum xlvij. Super capitulo quod incipit: *Sepe visitabat hospitalia pauperum* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum quod in ipso capitulo continetur, et ipse vidit frequenter et presens fuit cum eo, et cuilibet egrotanti faciebat dari bonam elemosinam et consolabatur eos et verbaliter et realiter, suadendo eis quod in multa paciencia suas sustinerent passiones.

Capitulum xlviij. Super capitulo quod incipit: *Semel cum indigeret habitu* etc. diligenter interrogatus, dixit quod de habitu suo respondit superius, scilicet capitulo quod sic incipit: *Eo vero in Pape constituto presencia* [1]; et de isto credit quod sit verum, set non recordatur quis fuit ille Frater.

Ista sunt capitula que respiciunt tempus infirmitatis dicti domini Ludovici usque ad mortem.

Capitulum xlix. Super capitulo quod incipit: *In festo beati Dominici* etc. diligenter interrogatus, dixit quod ipse non fuit presens quando infirmitas arripuit dominum Ludovicum, quia ipse testis remanserat Pirpiniani infirmus, et venit ad dominum Ludovicum tercia die ante mortem ipsius; et tunc invenit eum cum mirabili paciencia, licet semper fuisset paciens in quolibet statu suo.

Capitulum l. Super capitulo quod incipit: *Devotissime suscepit in morbo Corpus dominicum* etc. diligenter interrogatus, dixit se non fuisse presentem, set supponit et credit pro firmo quod suscepit devotissime.

9r *Capitulum lj.* Super capitulo quod incipit: *Licet autem de consilio* etc. * diligenter interrogatus, dixit quod dominus Ludovicus dixerat sibi quod ita noverat, set ipse non fuit presens quando fecit votum.

Capitulum lij. Super capitulo quod incipit: *Dum die quadam a morbo craticasse* etc. diligenter interrogatus, dixit se non audivisse a domino Ludovico ea que in ipso capitulo continentur, quia tunc non erat presens, set postea audivit a fr. *Raymundo* Gaufridi magistro in theologia, qui sibi dixit quod dominus Ludovicus ita responderat.

Capitulum liij. Super capitulo quod incipit: *Per biduum vel triduum* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum quod in ipso capitulo continetur, et ipse fuit presens et vidit.

Capitulum liiij. Super capitulo quod incipit: *Hoc eodem in crastinum* etc. diligenter interrogatus, dixit esse verum quod in ipso capitulo continetur, et ipse audivit et presens fuit; set de historia dixit se non recordari, set Frater qui recitabat eam erat Cathalanus. Dixit eciam quod dominus Ludovicus quando erat in infirmitate prope mortem dicebat hec verba: « Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam mundum redemisti », et versum Psalmi [2]: « *Delicta iuventutis mee et ignorancias meas ne memineris, Domine* Ihesu Christe ». Et faciebat signum Crucis in fronte et dicebat: « Tytulus triumphalis; Ihesus Nazarenus rex iudeorum, miserere mei ». Dicebat eciam frequenter *Ave Maria.* Et cum testis qui loquitur quereret a domino Ludovico quare ita frequenter dicebat *Ave Maria,* respondit: « Ego morior statim, et beata Virgo salvabit me ». Et quasi incontinenti amisit verbum et incepit laborare in agonia, donec spiritum emisit.

Capitulum lv. Super capitulo quod incipit: *De predictis autem* etc. diligenter interrogatus, dixit quod de predictis, scilicet quod dominus Ludovicus habuerit humilitatem, innocencie puritatem cum integritate carnis sue, et quod multas fecerit pe-

[1] Idest, cap. xxxi. [2] Ps. 24, 7.

nitencias secundum statum suum, et pacienciam habuerit * in adversis et honestatem tenuerit et servaverit in omnibus actibus suis, et quod compassionem et caritatem habuerit ad pauperes et pietatem et devocionem ad Deum, et sobrietatem et modestiam cum mundi contemptu laudabiliter tenuerit at servaverit, est publica vox et fama Neapoli et in Cathalonia et in Provincia et in locis et regionibus ubi conversatus [1] fuit dictus dominus Ludovicus; et per illa que dictus testis respondit singulariter ad capitula et ad membra capitulorum supra posita, se credit convenienter respondisse et causam sufficientem sciencie vel credulitatis in singulis reddidisse. Dixit eciam quod dominus Ludovicus fuit vir sapiens, prudens et discretus, et quod nunquam vidit eum dicentem aliquid vel agentem quod esset peccatum mortale, licet secum fuerit multis annis. Interrogatus testis qui loquitur si credit quod propter humilitatem et perfectam et sanctam vitam, quam habuit dominus Ludovicus, Deus debeat facere tot et tanta miracula sicut fecit et dicuntur facta fuisse per eum, respondit quod, si propter humilitatem, puritatem et penitenciam et propter pacienciam et honestatem et compassionem ad proximum, pietatem et devocionem ad Deum et propter sobrietatem et modestiam et mundi contemptum Deus facit miracula pro aliquo sancto, ipse debet facere pro isto domino Ludovico, qui fuit tam perfecte et sancte vite et qui predictam quamdiu vixit sine nota alicuius peccati mortalis ita tenuit, prout dictum est supra. Unde dixit testis qui loquitur quod fama est in Apulia et in Provincia et in pluribus aliis locis et regionibus quod Deus propter merita beati Ludovici multa miracula operatus est ac eciam operatur, et quod reputant ipsum sanctum et tenent pro sancto; et ipse credit et tenet pro firmo quod sit sanctus. Dixit eciam quod, dum dominus Ludovicus erat in obsidatu, Cathalani qui custodiebant ipsum, admirantes de conversacione et perfectione vite ipsius domini Ludovici, * dicebant quod Deus adhuc operaretur miracula per eum. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore, aut instructus vel informatus ab aliquo, propter exaltacionem sui Ordinis seu status ita deposuit in predictis, dixit quod non; sed quia de eis veritas sic se habet.

Cap. xxj.

Frater Aymericus de Nanis, Prior conventus fratrum Predicatorum Massilie, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod personam domini Ludovici non vidit; audivit tamen dici a fide dignis religiosis quod ipse fuit homo bone, pure, munde et honeste vite et homo dulcis et magne humilitatis et innocencie. Et audivit dici eciam quod habebat vultum quasi angelicum, et credit eum fuisse magni meriti apud Deum propter illa bona que audivit de ipso. Credit eciam quod Deus fecit et facit multa miracula pro eo, et credit eum esse in paradiso. Et dixit quod de predictis est fama publica in Massilia et in Provincia et alibi, et multi homines, mares et mulieres, veniunt ad sepulcrum ipsius et portant ibi luminaria sua et magestates et sudaria; adiciens eciam quod una vice fuit Capitulum provinciale fratrum Predicatorum in Terrascone, et audivit dici a Fratribus, qui fuerant ibi et qui multum commendabant eum de dulcedine et humilitate, quod bene predicaverat ibi. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

[1] Cod. *conservatus*.

Cap. xxij.

Frater Raymundus Queyrelli, de Ordine fratrum Predicatorum et de conventu Massiliensi, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod ipse vidit dictum dominum 69d Ludovicum puerum morantem Aquis, et vidit * eum cum multa humilitate, benignitate et mansuetudine et innocentem. Et semper audivit dici quod statum innocencie, mundicie et puritatis servavit, et quod mundum et honores et vanitates mundanas contempsit, et ad Deum semper oculos habuit et ipsum timuit et dilexit, et credit eum sine peccato mortali et actuali de hoc mundo transisse. Fuit homo eciam magne paciencie et homo qui multum dilexit pauperes et, sicut audivit dici a fide dignis, homo qui multas elemosinas faciebat. Credit eciam quod, propter innocenciam et vite sanctitatem quam ipse habuit et bonos mores et laudabilia ipsius merita, eius anima est in paradiso, et supponit et credit quod Deus pro eo multa miracula operatus est et operatur; et de diversis regionibus cum ymaginibus, sudariis et luminaribus venerunt et veniunt frequenter Massilie [1] ad sepulcrum ipsius. Et ipse audivit a diversis venientibus, quod Deus multa et diversa miracula fecerat in diversis, et quod de sua humilitate et innocencia et sanctitate vite et miraculis et aliis supradictis omnibus et singulis est Massilie et in Provincia et in diversis aliis mundi regionibus publica vox et fama. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, respondit ut dictus Prior, testis immediate precedens.

Cap. xxiij.

Frater Lhautaudus de Montilis [2], Ordinis fratrum Predicatorum et de conventu Massiliensi, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod ipse vidit dictum dominum Ludovicum semel venientem de Cathalania [3], et tunc apparebat iuvenis multe et magne 70a humilitatis et benignitatis et mansuetudinis, et qui viderant eum dicebant * eum esse iuvenem innocentem, munde, pure et sancte vite; et ipse credit ita esse verum. Nec unquam audivit aliquem nec religiosum nec secularem qui aliquod sinistrum diceret de eo; set communiter omnes dicebant bonum de ipso et de vita eius et moribus; et dixit quod ipse credit eum fuisse magni meriti apud Deum et quod multum composite et loquendo et conversando, et benigne se habebat ad personas quaslibet secundum statum earum. Interrogatus de miraculis, dixit quod ipse non vidit aliqua miracula, set credit et supponit pro certo quod propter merita humilitatis, bonitatis, innocencie puritatis, sanctitatis, mundicie et paciencie ipsius domini Ludovici Deus multa miracula operatus est, et multa audivit et credit esse vera. Et ipse audivit a diversis personis et de diversis regionibus, quod ipsi invocaverant in diversis necessitatibus et infirmitatibus auxilium beati Ludovici; et quod ipsi, sicut dixerant testi qui loquitur, invenerant et senserant, propter invocacionem ipsius, remedia manifesta. Et dixit testis qui loquitur quod in Massilia et in Provincia et in multis aliis regionibus de bona et sancta vita ipsius et de laudabilibus moribus et eius magnis meritis et de predictis omnibus [est] publica vox et fama. Et dixit quod non instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis; set solum pro eo quia de eis veritas sic se habet.

[1] Sic. [2] Sic. [3] Sic.

Cap. xxiiij.

Frater Barandus [1] de Anicio, de Ordine Predicatorum, lector Massilie, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod ipse vidit dominum Ludovicum quando veniebat de Cathalonia, in scolis fratrum Minorum in Monte Pessulano, respondentem de una questione fr. *Vitali,* tunc ibi lectori et nunc magistro in theologia et * Ministro * f. in Aquitania; et valde bene se habebat dictus dominus Ludovicus in responsionibus secundum etatem suam. Dixit eciam quod vidit eum una die predicantem in domo Predicatorum in Monte Pessulano, ubi multi convenerunt et religiosi et seculares; et ipse testis qui loquitur tunc temporis erat studens in Monte Pessulano; et dixit quod apparuit sibi innocens et bone vite et multe mansuetudinis, honestatis et humilitatis, et quod erat multum compositus in moribus suis, et credit quod esset amicus paupertatis et pauperum et quod multas elemosinas faciebat. Dixit eciam quod postea audivit dici quod ipse fuit homo innocens et sancte vite, et qui spernebat temporalia et mundana. Audivit eciam quod multum diligebat et timebat Deum, et credit eum fuisse magni meriti apud Deum. Credit eciam, per illa que a religiosis et secularibus et fide dignis audivit, quod Deus multa miracula operatus est pro eo. Dixit eciam quod publica vox est et fama in Massilia et in Provincia et in aliis regionibus, quod Deus multa miracula, propter vite sanctitatem et humilitatem et mundiciam et merita que erant in beato Ludovico, operatus est. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam ita deposuit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Cap. xxv.

Frater Guillelmus Arnaldi, Prior Sancti Victoris de Massilia, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod ipse credit et reputat dictum dominum Ludovicum fuisse hominem pure et munde vite et integritatis in carne et magne humilitatis et honestatis, et audivit dici a multis et religiosis et personis aliis fide dignis quod ipse fuit amicus paupertatis et contemptor mundi et tocius vanitatis, et multas elemosinas dabat, et * audivit dici quod ipse habuit mores multum laudabiles et multum vacabat * f. studio, oracioni et devocioni et divino cultui, et credit et audivit a fide dignis quod ipse fuit tanti meriti quod propter hoc Deus in hoc mundo multa miracula operatus est per eum. Dixit eciam quod vidit et audivit a multis quod sepulcrum ipsius a multis de diversis regionibus frequentissime visitatur. Dixit eciam quod fama est publica in Massilia et in Provincia de vita et sanctitate, bonitate, humilitate et honestate ipsius. Et dixit quod nec prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis; set quia de eis veritas sic se habet.

Cap. xxvj.

Frater Franciscus de Cistarico, sacrista monasterii Sancti Victoris de Massilia, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod dominum Ludovicum non vidit, set a fide dignis audivit et religiosis et secularibus quod ipse fuit munde, sancte et pure vite, et magnam humilitatem semper habuit et in omni honestate semper vixit, et quod

[1] Vel *Beraudus.*

dilexit multum pauperes et paupertatem, et quod libenter providebat eis, et quod fuit contemptor bonorum temporalium et cuiuslibet vanitatis mundane, et quod per illa que audivit de vita, bonis moribus et eius meritis credit quod Deus multa miracula sit operatus pro eo, et quod de hoc est fama Massilie et in tota Provincia. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Cap. xxvij.

Frater P(etrus) de Ripa Alta, qui dixit stetisse et vixisse in Monte Sancti Victoris de Massilia XLVIIJ annis in habitu monachali, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod ipse vidit dictum * dominum Ludovicum in dicto Monte, quando erat etatis XIJ^cim annorum vel circa, et apparebat puer multum maturus, humilis, mansuetus et benignus, ita quod, fratribus suis aliis, scilicet domino K(arolo) Martelli[1] et domino Robberto ludentibus et solaciantibus, ipse stabat in omni quiete, vacans solitudini et doctrine; et tunc fuit in dicto Monte duobus mensibus vel circa. Dixit eciam quod audivit a religiosis et secularibus et multis aliis fide dignis, quod ipse fuit pure, munde et sancte vite et quod humilitatem et morum honestatem multum dilexit et omne genus virtutum. Fuit eciam, sicut audivit, magnus amicus paupertatis et pauperum, et libentissime elemosinas pauperibus erogabat. Dixit eciam quod honoris temporalis et mundialium vanitatum fuit contemptor precipuus et divini nominis cultor verus, et quod fuit tanti meriti quod ipse credit quod Deus multa miracula operatus est pro eo; et de hoc est publica vox et fama Massilie et in Provincia et in locis circumvicinis. Dixit eciam quod non instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis; set quia de eis veritas sic se habet.

Cap. xxviij.

Frater Raymbaudus Langerii, pictanciarius Sancti Victoris de Massilia, qui dixit se vixisse XXIJ annis in Monte Sancti Victoris predicti in habitu monachali, iuratus et diligenter interrogatus super vita, meritis, moribus et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod ipse audivit dici a fide dignis, tam religiosis quam secularibus personis, quod dictus dominus Ludovicus fuit homo mundissime, perfecte et sancte vite et homo magne humilitatis et honestatis, et qui * multam compassionem habuit ad pauperes, et qui multas elemosinas faciebat, et qui contempsit honores huius seculi et pompam; unde ipse credit quod, propter laudabiles mores qui fuerunt in eo, ipse fuerit tanti meriti quod Deus faciat miracula pro eo, et quod sit sanctus; et de hoc et de vita et sanctitate et bonitate ipsius est Massilie et in tota Provincia et in multis aliis regionibus publica vox et fama. Interrogatus si instructus aut informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, dixit quod non; sed quia de eis veritas sic se habet.

Cap. xxix.

Magister Raymundus de Montiliis[2], precentor ecclesie Massiliensis, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quon-

[1] Cod. *Marcelli*. [2] Sic.

dam episcopi Tholosani, dixit quod ipse non habuit magnam noticiam cum dicto domino Ludovico, set bene vidit eum et audivit frequentissime a fide dignis, tam religiosis quam secularibus, nobilibus et ignobilibus, quod dictus dominus Ludovicus, quando incepit habere discrecionem a principio sue etatis, mature, honeste, pure et munde gessit et voluit cum honestis conversari personis, et quod fuit innocens et multum humilis et multum dilexit pauperes et libenter eis providit. Dixit eciam quod fuit homo qui multum contempsit mundum et honores mundanos et huius seculi vanitates et pompas; et hoc est bene notorium in tanto homine et filio tanti principis, spretis tantis honoribus et fluxum[1] temporalium, quod pauperem et humilem religionem intravit; et quia eciam fuit multe abstinencie et austeritatis [et] penitencie in vita sua. Dixit eciam quod ipse credit firmiter quod, propter suam humilitatem et innocenciam et mundiciam et propter laudabiles mores quos habuit et propter bona * et laudabilia opera que fecit et exempla que post se in hoc mundo dimisit, in colendo, diligendo et honorando Deum, Deus multa miracula fecit pro eo et facit; et ipse credit ea esse vera, et gentes reputant eum esse sanctum. Et de hiis omnibus et singulis est Massilie et in Provincia et in pluribus aliis regionibus publica vox et fama. Dixit eciam quod non instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis; set quia de eis veritas sic se habet.

Cap. xxx.

Magister Iohannes Blanqui, archidiaconus Massilie, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit idem quod dictus precentor, testis immediate precedens; hoc tamen adiecto quod, cum ipse pateretur gravissimam infirmitatem, ita quod amici sui et medici desperabant de cura et sanitate ipsius, dixit quod ipsi devoverunt eum beato Ludovico in Massilia sepulto; et, facto voto, dicta infirmitas incepit declinare, ita quod post paucos dies fuit a dicta infirmitate perfecte curatus et liberatus. Et credit et supponit pro firmo, sicut dixit, quod hoc fuit per invocacionem et merita beati Ludovici.

Cap. xxxj.

Iacobus Martini, civis[2] Massiliensis, magnus homo et qui habet testimónium laudabilis consciencie, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod ipse vidit dictum dominum Ludovicum, et apparuit sibi homo multe et magne humilitatis et mansuetudinis et magne puritatis, et dixit quod talis erat et talis eciam reputabatur esse ab omnibus qui videbant eum, et credit firmiter quod ipse fuit tante sanctitatis in vita * et tanti meriti apud Deum, quod propter illa Deus multa miracula operatus est et operatur pro eo; et ista est fama publica tam in Massilia quam in Provincia et in multis aliis regionibus et provinciis. Dixit eciam quod secunda die qua dictus dominus Ludovicus fuit sepultus in Massilia, cum dictus testis qui loquitur decem diebus fuisset graviter afflictus de tinnitu[3] seu bundimento auris sue dextre primo, et singulis vesperis eciam in sinistra aure tinnitum seu bundimentum senciebat, ita quod videbatur sibi quod apes ex utraque parte essent ibi clause et tumultuarent[4] ibidem; et eadem die ipse qui loquitur invocavit auxilium beati Ludovici, et inmediate sensit se a dicto

[1] Sic. [2] Cod. *cives*. [3] Cod. hic et infra *tinuitu, tinuitum*. [4] Cod. *tumultuareent*.

bundimento perfecte curatum, nec postea in suis auribus sensit aliquod bundimentum nec aliquod impedimentum, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Cap. xxxij.

Alfonsus Atulphi, civis Massilie et homo magne etatis et magni status inter alios cives Massilie, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus, meritis et miraculis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod ipse audivit a fide dignis religiosis et secularibus personis multis et magnis, quod dominus Ludovicus fuit vite pure, munde et sancte, et homo magne humilitatis et innocencie et multe austeritatis in vita, et quod multas elemosinas faciebat et multis egenis et pauperibus providebat, et quod mundanos honores horrebat et contempnebat, ut in humilitate posset servire Deo; ita quod credit testis qui loquitur quod, propter suam humilitatem et vite [51d] sanctitatem et mores laudabiles et merita que dum vive-*bat fulserunt[1] in eo, Dominus pro eo multa miracula operatus est et continuo operatur; et de predictis et multis aliis bonis que fuerunt in eo est publica vox et fama in Massilia et in Provincia et in aliis locis circumvicinis, et reputant ipsum esse sanctum et ad ipsum tanquam ad sanctum in suis necessitatibus et infirmitatibus veniunt et recurrunt, et se asserunt postea salubria remedia invenisse. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Cap. xxxiij.

Iacobus Abbini, civis Massiliensis, homo magni status, iuratus et diligenter interrogatus super vita, moribus et meritis domini Ludovici quondam episcopi Tholosani, dixit quod ipse audivit dici a fide dignis, tam religiosis quam secularibus personis, nobilibus et innobilibus, quod dictus dominus Ludovicus fuit homo innocens et purus, et sine nota alicuius peccati mortalis vixit, quamdiu superfuit in hoc mundo. Dixit eciam quod ipse audivit dici quod ipse dominus Ludovicus fuit homo magne humilitatis et paciencie, et quod multas elemosinas faciebat et multum compaciebatur pauperibus et egenis; et credit et supponit pro firmo quod, propter sanctam et perfectam vitam quam ipse tenuit et habuit et propter laudabiles mores qui fuerunt in eo et merita, Deus multa miracula operatus est ac eciam operatur. Dixit eciam quod de predictis est Massilie et in Provincia publica vox et fama, et quod gentes reputant ipsum esse sanctum et tanquam ad sanctum recursum habent ad eum in [52a] suis infir-*mitatibus et necessitatibus, et remedia salubria consequuntur, sicut ipse dixit se audivisse a multis. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Finis attestacionum et dictorum testium quos produxerunt super vita, moribus et meritis prefati domini Ludovici.

---

[1] Cod. *fulcerunt*.

*** In nomine Domini, amen. Incipiunt attestaciones super miraculis factis meritis beati Ludovici quondam episcopi Tholosani.** * f.

Et primo super capitulo de mortuis suscitatis, super quo deposuerunt testes infrascripti ut sequitur.

Cap. xxxiiij.

Super miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici quondam episcopi Tholosani de quodam puero vocato Iohanne Massolho, quem Bertranda Massolha mater ipsius pueri et uxor Bertrandi Massolha de Massilia dicitur mortuum peperisse, qui suscitatus et vivificatus dicitur fuisse meritis eiusdem beati Ludovici.

Ad veritatem sciendum de predicto miraculo dicti domini inquisitores Bertrandum Massolhi patrem dicti pueri, qui iuravit in eorum presencia super eodem miraculo dicere veritatem, in testem receperunt et ad examinacionem processerunt, ut sequitur. Qui testis iuratus et diligenter [1] interrogatus, dixit quod semel cum ipse redisset de ultra mare, invenit predictam uxorem suam pregnantem de puero supradicto, et postea quinta vel sexta die (quia non recordatur que dies fuit illa) vidit uxorem suam predictam laborantem in partu, ita quod pre dolore ipsa non poterat stare in lecto, et appodiata ad unam archam clamando et plangen[d]o dixit ipsa astantibus: « Puer egreditur: recipiatis! » Et tunc ipse qui presens erat clamavit: « Venite! »; quia erant ibi multe mulieres extra cameram. Prius tamen quam eas vocaret, viderat testis qui loquitur puerum qui ceciderat in terram non vagientem, non mugientem, ut dixit. Et tunc venit obstetrix cum aliis mulieribus et levavit puerum de terra, qui habebat caput inclinatum ad modum pueri mortui. Et obstetrix dixit: « Amisi-*mus totum corpus et animam »; quia signa vitalia non apparebant in puero. Et tunc ipse testis vidit puerum in manibus dicte obstetricis, et visum fuit sibi et aliis assistentibus quod esset mortuus, et credeba[n]t eum esse mortuum eo quod non videbant ipsum aspirantem nec moventem se nec aliqua membra sua et habentem oculos clausos. Et tunc ipse dixit assistentibus: « Curetis de matre ». Quo audito, sororia ipsius qui loquitur accepit puerum de manibus obstetricis et incepit plangendo et clamando dicere: « O beate Ludovice, quomodo est hoc, quia recommendaveramus tibi partum? » Et tunc, nominato beato Ludovico, puer apperuit oculos; quo viso, posuerunt eum in aqua calida; et tunc incepit palpitare et movere membra sua, pedes et manus, et vagire. Quo viso, ipse pater qui loquitur fuit valde letus, ut dixit, et eodem die recepta candela visitavit sepulcrum beati Ludovici, regraciando ei de vita pueri. Et adhuc puer ille vivit et est quasi decem annorum. Et annis singulis ivit ipse puer usque nunc ad sepulcrum [beati] Ludovici cum uno luminari. Interrogatus idem testis si credit firmiter quod ad invocacionem beati Ludovici partus vivificatus fuerit, dixit

* f. (margin, beside "Amisi-*mus")

[1] Cod. bis *et diligenter*.

quod sic. Interrogatus si credit quod beatus Ludovicus fecerit miracula alia et faciat, dixit quod credit; et eciam scit de persona sua, quia duo miracula fecit in eo.

Hic habes miraculum de periculo maris.

Primum fuit quia cum esset ipse qui loquitur in mari Sardinie cum multis aliis, quadam nocte, scilicet in nocte beati Michahelis, cum esset tempestas validissima, nox obscura et ipse ascendisset arborem navis circa summitatem, tunc arbor illa in qua ipse erat cecidit in mare cum eo; et tunc ipse in corde suo invocavit auxilium beati Ludovici et recommendavit se sibi, et tunc surrexit de aqua et invenit velum et cum manibus posuit se ad antenam et appropinquavit navi, et tunc inventa una 52d corda tenuit eam et ascendit navim et ita evasit. Dixit eciam idem testis * quod in crastinum, scilicet in die beati Michahelis, ipse testis et quidam socii sui posuerunt se propter tempestatem in quadam barca, volentes evadere periculum tempestatis, et magnam navim appodiaverunt cum anchoris; et cum fuerunt in illa barca, viderunt unum saxum ad quod tempestas maris impellebat eos ad periculum, et invocaverunt omnes auxilium beati Ludovici; et tunc supervenit quedam vaga vel unda [1] maris maxima et levabat barcham in qua erant, et transiverunt illud saxum sine periculo, et fuerunt in loco salvo.

Miraculum de impotencia ambulandi.

Dixit eciam idem qui loquitur quod, cum redisset de partibus illis, invasit eum febris que per unum annum tenuit eum et attenuavit et exinanivit ita in manibus, brachiis, tibiis, pedibus et toto corpore suo, quod nec ipse nec alius sperabat de convalescencia sua. Post annum vero incepit aliquo modo convalescere, set non ita quod posset ire per se; sed cum baculis ivit per tres menses, set cum magna difficultate et gravamine suo. Post hec vero, cogitans [2] intra se de graciis et beneficiis sibi factis meritis beati Ludovici, tam in persona filii quam in persona sua, reputavit se male egisse quia non invocaverat beatum Ludovicum in isto tali morbo. Et tunc una die surrexit valde mane et, receptis baculis suis cum illa devocione quod visitaret sepulcrum beati Ludovici et se ipsum sibi recommendaret [3], cum summa difficultate et gravamine arripuit iter de domo sua, que est satis prope ecclesiam fratrum Minorum ubi est dictum sepulcrum; et tot vicibus oportuit eum pausare in via, quod quando intravit ecclesiam predictam Fratres dicebant Terciam. Et tunc fessus et gravatus appropiavit sepulcro. Et post aliquale tempus incepit dormire, et expergefactus in- 53a venit se intus plenum sudore tanto et tali quod panni eius * erant exterius madefacti; et tunc sensit se quasi alleviatum in brachiis et tybiis et in corpore suo, ita quod incepit tunc erigere brachia et surgere sine baculis, quod antea non consueverat nec potuerat. Et tunc dixit fratribus Minoribus qui erant in ecclesia: « Domini Fratres, et nonne videtis quantam graciam fecit michi beatus Ludovicus, quia modo sto sine baculis erectus, et hodie non poteram stare? » Et tunc temptavit si posset ire sine baculis de sepulcro beati Ludovici usque ad altare sancti Francisci, et ivit; tamen non ivit sine aliquali difficultate; et reversus est sine baculis ad sepulcrum et ibi sedit propter laborem, quia fessus erat. Et postea se [4] cum pau-

[1] Cod. *nuda*. [2] Cod. *cogitavit*. [3] Cod. add. *et*. [4] Sic.

sasset ibi, incepit famescere [1], et iterum ivit de sepulcro ad altare et reversus est. Et post aliqualem quietem iterum ivit ad altare, et postea reversus est ad sepulcrum, gaudens. Dixit eciam quod cum minori difficultate et labore fecit ultimas iteraciones quam primam. Demum hiis actis, cum baculis continuatis gressibus et in via quiete aliqua non recepta, reversus est ad domum suam propriam, et in crastinum dimissis baculis itinerare cepit, et curatus fuit miraculose, ut dicebat; et ex tunc usque nunc per beneficium Dei et beati Ludovici non sensit malum, ut dixit. Et hec omnia credit beatum Ludovicum sibi impetrasse cum Deo. Dixit eciam idem testis quod fama est communiter in Provincia et inter Ianuenses et alibi in multis locis, quod multa miracula Deus operatur per beatum Ludovicum. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus communiter dicitur. Interrogatus si prece vel precio, amore, timore vel alicuius instructione sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Supra eodem miraculo.

Cap. XXXV.

Beatrix Bruna de Massilia, etatis L^{ta} annorum vel circa, testis iurata * et diligenter interrogata super proximo miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici quondam episcopi Tholosani de quodam puero vocato Iohanne filio predicti Bertrandi Massolhi, qui dicitur natus fuisse mortuus ex Bertranda sorore testis que-[2] loquitur, dixit quod dicta Bertranda peperit dictum Iohannem puerum mortuum. Interrogata quomodo scit, dixit quia vidit ipsum puerum et recepit eum de manu obstetricis inmediate post partum, mortuum, ut dixit; que obstetrix dixit: « Tenete puerum, quia totum est perditum ». Qui tenebat capud et brachia demissa, nec anhelitum habebat, nec vagitum emisit, nec oculos apertos tenebat, nec ullus spiritus vitalis in aliqua parte dicti pueri apparebat, ut dixit. Et tunc ipsa testis que [2] loquitur plangendo et gemendo clamabat [3] dicens: « O sancte Ludovice, placeat vobis impetrare cum Deo quod nobis reddat puerum, quem ego et mater tociens recommendavimus vobis ». Quibus verbis et gemitibus et clamoribus frequenter repetitis per testem quę loquitur, tunc dictus puer aperuit os et postmodum occulos et incepit vagire; et tunc posuerunt eum in aqua calida, et incepit pedes et manus movere, et postea fecerunt ipsum babtisari [4]. Et predicta vidit testis que loquitur et presens fuit, ut dixit. Dixit eciam quod meritis beati Ludovici Dominus dicto puero, quem mortuum viderat et tenuerat, vitam dedit. Interrogata de astantibus, dixit quod pater et mater dicti pueri et testis que loquitur et obstetrix. In genere interrogata eadem testis que loquitur si est fama publica in civitate Massilie et in Provincia et in aliis vicinis regionibus quod beatus Ludovicus faciat miracula, dixit quod sic, et ita audivit a pluribus.

Dixit eciam quod ipsa que loquitur vidit dictum Bertrandum Massolhi qui fuit infirmus per annum et plus, ut dixit, de gravibus plagis in corpore et de impotencia eundi, quod non poterat ire nisi cum potenciis seu baculis sub humeris suis vel brachiis; et ipsa * compaciens devovit eum beato Ludovico et portavit sibi cyscandale de cera, supplicando beato Ludovico quod daret sibi sanitatem. Et post modicum tempus

*f. 5 · *f.

[1] Sic. [2] Cod. *qui.* [3] Cod. *clamabant.* [4] Cod. hic et quandoque inferius *babāri.*

dictus Bertrandus ivit ad sepulcrum beati Ludovici et fuit restitutus sanitati et est, sicut manifeste apparet, miraculose et meritis beati Ludovici, ut dixit. Interrogata si prece vel precio, timore vel amore, aut instructa vel informata ab aliquo ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xxxvj.

Bertranda Massolha uxor Bertrandi Massolhi de Massilia, etatis XL^{ta} annorum, testis producta, iurata et diligenter interrogata super predicto miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici predicti de quodam filio suo vocato Iohanne, qui dicitur natus fuisse mortuus ex ea et postea suscitatus, dixit quod ipsa diutissime langueral in dolore racione partus, et erat ita grossa quod illi qui videbant eam dicebant quod geminos pareret. Et demum, appropinquans puerperio, maiori anxietate languebat. Frequenter tamen ipsa invocabat auxilium beati Ludovici et pro se et pro ventre et pro creatura que erat in ventre suo. Et demum cum summa difficultate et dolore emisit et peperit puerum; et soror sua propria Beatrix Bruna assistens ibi accepit puerum in mantello suo, et tunc illa Beatrix dixit Bertrando Massolhi marito testis que loquitur: « Ha, Bertrande, videte quomodo puer habet collum inclinatum et mortuus est! » Quo audito, dictus maritus respondit sorori [1] sue: « Habete custodiam de sorore vestra et dimittatis puerum, postquam Deus ita vult ». Tunc dicta Beatrix incepit dicere: « O sante Ludovice, quam frequenter ista soror mea recommendabat se tibi et creaturam hanc! » Et tunc, hoc dicto, puer incepit vagire. Et hec omnia dicta mater gravata decumbens in lecto audiebat, set tamen non vidit puerum
53a mortuum; * dixit tamen quod audivit verba que dicebantur per sororem et maritum suum de morte pueri, et credit quod esset mortuus quia longo tempore fuit laborans in parturiendo, et bene audivit puerum postea vagientem. Et tunc ipsa devovit ipsum beato Ludovico et promisit se daturam ei annis singulis unam candelam de cera de longitudine dicti pueri; quam ex tunc reddidit annis singulis beato Ludovico, ut dixit. Dixit etiam quod ipsa firmiter credit quod propter invocacionem beati Ludovici et propter confidenciam quam habebat et habuerat in eo, propter bonam et sanctam vitam quam ipse habuit et tenuit dum vivebat, Deus dictum puerum miraculose restituerit vite. Dixit eciam quod fama est in civitate Massilie et in Provincia et alibi quod Deus meritis beati Ludovici multa et magna miracula operatus est et frequenter eciam operatur. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus communiter dicitur. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, seu prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xxxvij.

Alais Reynalda uxor quondam Iohannis Reynaldi de Massilia, etatis L^{ta} annorum et ultra, testis producta, iurata et diligenter interrogata super predicto proximo miraculo, dixit quod ipsa non fuit presens quando dictus puer natus fuit; set postea

[1] Cod. *sorore*.

die immediate sequenti Bertrandus Massolhi, pater dicti pueri et filius ipsius testis que loquitur, venit ad domum ipsius testis et narravit[1] sibi quomodo Bertranda Massolha uxor sua pepererat dictum Iohannem mortuum, et quod Beatrix Bruna soror matris dicti pueri tenuerat eum mortuum et frigidum et totum lividum sive nigrum, et quod ipsa Beatrix videns dictum puerum esse mortuum stupefacta clamavit : « O sancte Ludovice, recommendamus tibi puerum istum, et placeat tibi obtinere pro nobis graciam apud Deum ut meritis tuis istum puerum restituat vite ». * Et cum hoc *f. dixisset, dictum puerum posuerunt in aqua calida ; et tunc dictus puer incepit vagire et movere manus suas et pedes. Et post immediate fecerunt eundem puerum babtisari. Et hec omnia dicta testis audivit dici a dicto filio suo, patre dicti pueri, ut dixit. Dixit eciam quod ipsa credit pro certo quod propter invocacionem et merita beati Ludovici et per bonam et sanctam vitam ipsius Deus miraculose restituit vite puerum supradictum, et quod etiam fecit et facit frequenter multa miracula pro eo, et quod de hoc est publica vox et fama Massilie et comuniter in Provincia et in aliis locis extra Provinciam. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod comuniter dicitur a pluribus. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, seu prece vel precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, dixit quod non ; set quia de eis veritas sic se habet.

De viso recuperato.

Adiecit eciam eadem testis que loquitur, iterato iurata et[2] diligenter interrogata, quod eo tempore quo corpus beati Ludovici fuit apportatum in ecclesia fratrum Minorum de Massilia[3], ipsa steterat, ut dixit, per duos menses quod non viderat nec videbat de occulo dextro suo nec poterat aliquid[4] discernere cum eo ; et reversa ad beatum Ludovicum devota[5] deprecata est eum ut sibi cum Deo obtineret graciam quod recuperaret visum. Et cum hoc dixisset, statim vidit et videt adhuc. Et postea ivit ad sepulcrum beati Ludovici et regraciata fuit ei de gracia quam sibi obtinuerat cum Deo. Et dixit quod ipsa credit et habet certam et firmam confidenciam quod ipsa miraculose per invocacionem et merita beati Ludovici recuperavit visum suum.

Item aliud miraculum de mortua suscitata meritis huius sancti. Cap. xxxviij.

Iacoba uxor Iohannis de Anssurla[6], castri Sancti Remigii, Avinionensis diocesis, etatis xxtiijorum annorum vel circa, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici predicti in persona Gaufridete filie sue, dixit quod dicta Gaufride-*ta filia sua, que infirmata fuerat */ duobus mensibus morbo febrili et continuo, ut dixit, emisit spiritum, et nichil vitale apparebat in ea. Erat enim frigida in omnibus membris suis, et clausi fuerunt sibi occuli et os, et pannus fuit positus super faciem eius, et aqua benedicta portata et posita iuxta corpus sicut supra et iuxta mortuam[7]. Quo viso, pater dicte filie invocavit Deum et beatum Ludovicum et promisit beato Ludovico quod, si ipse procuraret cum Domino

---

[1] Cod. *nararavit.* [2] Cod. *iurato etc.* [3] Cod. *Massolhi.* [4] Cod. *aliquod.*
[5] Sic. [6] Sic. [7] Sic.

quod filia sua predicta vitam recuperaret, [1] ipse offerret sibi unam imaginem de quatuor libris cere; et tunc, facta promissione, ipsemet abstulit pannum de super facie eius et vidit eam vivere et dixit matri que loquitur quod daret sibi pectus; et ipsa effecta leta dedit pectus filie, et filia suxit, et postea vixit et vivit adhuc. Interrogata de sciencia, dixit quod ipsa que loquitur vidit et audivit predicta et presens fuit. Interrogata quanto tempore stetit ita mortua, sicut dixit, respondit quod per unam horam. Interrogata qui fuerint presentes, respondit quod maritus suus, pater filie supradicte, et socrus sua mater mariti sui, et una mulier que fuit obstetrix sua, sicut dixit. Interrogata quo tempore istud fuit, dixit quod tres anni erunt in propinquis futuris mensibus. Interrogata quot annorum fuit filia predicta quando istud fuit, dixit quod erat duorum annorum. Interrogata quomodo istud contigit per invocacionem beati Ludovici, respondit quod mortua erat prius, ut dixit, et, invocato eius auxilio et facta promissione per patrem, inventa est reddita vite. Interrogata si est fama in castro Sancti Remigii et in aliis locis circumviciniis quod Deus meritis beati Ludovici faciat miracula, dixit quod sic, et multa et frequenter, et quod gentes dictorum locorum tenent eum pro sancto et dicunt eum esse sanctum et implorant eius auxilium se recommendando et devovendo eidem [2]; et ipsa hoc idem credit et tenet pro firmo, ut dixit. Interrogata si prece, precio, timore, informacione seu instruccione ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xxxix.

Iohannes Dansurle [3] castri Sancti Remigii, Avinionensis diocesis, etatis xxx^{ta} anno- 54c rum * vel ultra, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super predicto miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona dicte Gaufridete filie sue, dixit quod dicta Gaufrideta filia sua fuerat infirma morbo febrili et continuo duobus mensibus, ut dixit, et postmodum quadam die, de qua non recordatur, mortua fuit dicta filia sua; que erat frigida in omnibus membris suis, et nullus actus vitalis apparebat in ea. Tandem, clausis sibi oculis et ore et quodam panno super facie posito, aqua eciam benedicta portata ibidem, pater idem qui loquitur videns filiam suam mortuam invocavit beatum Ludovicum quod impetraret sibi apud Deum quod dicta filia sua mortua vite restitueretur; et si faceret, testis qui loquitur obtulit se daturum unam ymaginem iiij^{or} librarum cere beato Ludovico. Quibus verbis dictis et emissis per dictum patrem, panno de super facie dicte filie amoto, dictus qui loquitur respexit eandem et vidit eam vivam, dicens incontinenti matri dicte filie, que presens erat, quod daret sibi pectus ad lactandum, et ita fecit, et filia suxit, et ita miraculose meritis beati Ludovici extitit suscitata, ut credit firmiter idem testis; et nunc vivit. Interrogatus quomodo scit quod dicta filia sua esset mortua, dixit quia ita vidit eam mortuam et nullum signum vitale apparebat in ea, ut dixit. Interrogatus de astantibus, dixit ut uxor sua testis inmediate precedens. Dixit etiam esse fama[m] in dicto castro et communiter in Provincia quod meritis beati Ludovici multa fiunt miracula; addiciens predictis quod in castro predicto Sancti Remigii et locis circumvecinis est fama publica quod predictum miraculum sine figmento fuit factum meritis beati Lu-

[1] Cod. add. *quod.* [2] Cod. *eiusdem.* [3] Sic.

dovici. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogatus si prece, precio, informacione seu instructione alicuius sic testificatur in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xl.

Marguarita Michaelis de Sancto Remigio, etatis L^ta^ annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona Gaufridete filie Iacobe supradicte, dixit quod ipsa fuit vocata ad domum dicte Iacobe de Orssulla [1], * que habebat unam filiam duorum annorum * f. vocatam Gaufridetam, que filia tunc laborabat in extremis; et ipsa testis que loquitur venit et stetit ibi per aliquod spacium, et demum dicta filia emisit spiritum et mortua fuit, sicut dixit. Et fuerunt clausi sibi oculi et os et facies cooperta, et ipsa erat tota frigida et rigida, et nullum signum vitale apparebat in ea. Et fuit sic mortua per magnam horam. Quo viso, avia dicte Gaufridete dicebat: « Non ploretis, quia adhuc beatus Ludovicus reddet eam nobis ». Et parentes eciam sui qui erant ibi invocabant continue auxilium beati Ludovici. Tandem spiritus vitalis redditus fuit dicte Gaufridete, et suscitata fuit miraculose a mortuis, sicut ipsa testis supponit et credit, per invocacionem et merita beati Ludovici. Dixit eciam ipsa que loquitur quod fama est Massilie et communiter in Provincia quod Deus, propter bonam et sanctam vitam quam beatus Ludovicus habuit et tenuit in hoc mundo dum vivebat, facit et fecit multa miracula, et credit pro firmo quod ipse sit sanctus, et in predictis locis habetur et tenetur pro sancto, et ipsa hoc idem credit, sicut dixit. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod a multis communiter dicitur. Interrogata si prece, precio, timore vel amore, aut instructa vel informata ab aliquo ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quodam puero suscitato meritis dicti sancti.

Cap. xlj.

Massilia de Bonilis uxor Petri de Bonilis de Massilia, etatis XL^ta^ annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur Deus fecisse meritis et invocacione beati Ludovici de quodam filio suo vocato Iohanne, qui dicitur de ventre suo sine vita exisse, dixit quod ipsa nescit si mortuus vel cum vita exivit; set audivit a Poncio Noguerii et ab Alaydi de Pertusis et a quadam [2] bayla que vocatur Aymergarda, qui erant presentes, quod dictus puer vitam non habebat quando fuit levatus de terra, et ipsa vidit eum * omnino nigrum et capite * f. inclinato ad modum pueri mortui. Ipsa tamen que loquitur dixit quod ita erat gravata doloribus et langore racione partus, quod nescivit discernere; set audito ab illis proximo nominatis quod non erat vita in puero, ipsa devovit eum beato Ludovico, supplicando quod placeret sibi quod daret puero suo vitam, ita quod posset babtisari. Et tunc puer fuit portatus ad ecclesiam, et sicut mortuus, ut predicti di-

[1] Sic. [2] Cod. *quodam*.

cebant et ipsa credit, ut dixit. Et tunc fuit, sicut Deo placuit, babtisatus; et in baptismo vitam habuit, et vivus reportatus fuit ad matrem. Et ita dixerunt sibi qui portaverunt puerum ad fontes et qui viderunt et presentes fuerunt in baptismo. Et postea dictus puer vixit tribus mensibus et dimidio, ut dixit. Interrogata quantum tempus est quod istud fuit, dixit quod sunt IX anni vel circa. Interrogata si credit quod meritis beati Ludovici, cuius auxilium intime imploravit, istud contigerit, sicut dixit, respondit quod sic pro firmo. Interrogata si credit beatum Ludovicum fuisse bone et honeste et laudabilis vite, et si est fama hic et communiter in Provincia quod Deus faciat miracula meritis beati Ludovici, dixit quod sic. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; sed quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xlij.

Poncius Noguerii de Massilia, etatis XL^{ta} annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super inmediate supradicto miraculo quod dicitur Deus fecisse meritis et invocacione beati Ludovici de quodam puero vocato Iohanne, quem Massilia de Bonilis sine vita dicitur peperisse, dixit quod ipse erat vicinus domui [1] in qua habitabat tempore partus dicta Masselia mater dicti pueri, et ipse quando peperit dicta Masselia fuit vocatus et vidit puerum totum lividum, clausis oculis, nec moventem aliquod membrum, et collum pendens ad modum pueri mortui;
55b et ipse super puerum proiecit aquam, nec * ideo respiravit. Post hec mater dixit: « Portetis puerum ad ecclesiam ut baptisetur [2] »; et assistentes portaverunt eum ad ecclesiam, et ipse testis sequutus fuit puerum et tenuit eum quando presbiter dicebat verba sua ad baptisandum eum. Et semper puer ad modum mortui se habebat donec fuit baptisatus; et in baptismo incepit parum vagire, et apportatus ad domum incepit magis vagire et reviviscere [3]. Et tunc mater gavisa dixit eis quod ipsa devoverat eum beato Ludovico et quod firmam spem habebat et habuerat quod Deus daret sibi vitam meritis beati Ludovici. Et post vixit idem puer tribus mensibus et dimidio, educatus lacte materno, ut dixit. Dixit eciam quod firmiter tenet et credit quod dictus puer de morte ad vitam reductus fuerit miraculose meritis beati Ludovici. Interrogatus si est fama publica Massilie et in Provincia quod Deus plura miracula faciat meritis beati Ludovici, dixit quod sic, et in Provincia et extra Provinciam. Interrogatus si credit quod beatus Ludovicus fuerit humilis et bone et laudabilis vite et honeste conversacionis, et si de hoc est fama in Provincia et in aliis locis in quibus conversatus est, dixit quod sic, et ipse credit pro firmo, et quod communiter per Provinciam et in aliis locis pluribus predicatur quod dominus Ludovicus fuit sancte vite et alte conversacionis. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, vel prece seu precio, timore vel amore ita deposuit sicut dictum est, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

---

[1] Cod. *domni.* [2] Cod. *baptisaretur.* [3] Cod. *reminiscere.*

Item aliud miraculum de quodam puero suscitato meritis beati Ludovici predicti.

Cap. xliij.

Raymundus Vassalli presbiter, civis Massiliensis, etatis xl annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona P(etri) Durandi filii Ponc[i] Durandi civis Massiliensis, qui dicebatur fuisse mortuus et postea resuscitatus meritis beati Ludovici, dixit quod Poncius Durandi habebat filium etatis quinque annorum vel circa, qui vocatur P(etrus) Durandi, et febricitabat febre continua, secundum quod medicus qui ipsum habebat in cura dicebat, et duraverat sibi febris per quinque vel sex dies; et eo presente * vita functus est, et testis qui loquitur clausit sibi oculos et os, et cooperuit sibi faciem cum lintheamine. Quo facto, pater cum dolore incipit[1] dicere: « Ha, sancte Ludovice, ego devoveram eum tibi et supplicaveram pro sanitate ipsius, et tu male exaudisti preces meas! » Et dixit quod per magnum spacium stetit mortuus; et ipse testis cum multis aliis steterunt ibi iuxta funus, et postea circa mediam noctem testis qui loquitur ivit ad domum suam. Postea idem testis fuit vocatus et venit ad domum ubi funus erat, et invenit dictum puerum loquentem et a febre liberatum et suscitatum, et non credit quod aliquo medicinali opere resuscitatus fuerit, set solummodo miraculose meritis beati Ludovici, quem pater dicti filii frequencius invocaverat ac eciam invocabat. Interrogatus de tempore quando fuit hoc, dixit quod septem anni sunt vel circa. Interrogatus de circunstantibus, dixit quod pater et mater dicti pueri et magister Manentus medicus et bayla que nutriverat puerum et multi alii, de quorum nominibus non recordatur, ut dixit. Dixit eciam quod communiter Massilie et in Provincia et alibi est publica vox et fama quod, propter bonam et sanctam vitam quam ipse habuit, Deus fecit et facit frequenter multa miracula meritis beati Ludovici. Dixit eciam quod nec prece nec precio, instructus vel informatus ab aliquo ita deposuit in predictis; set quia de eis veritas sic se habet.

* f. 55

Super eodem miraculo.

Cap. xliiij.

Poncius Durandi civis Massiliensis, etatis lx^ta annorum vel circa, testis productus et iuratus et diligenter interrogatus super predicto proximo miraculo facto in persona P(etri) Durandi filii sui, qui dicitur a mortuis suscitatus fuisse meritis beati Ludovici, dixit quod dictus filius suus erat etatis quinque annorum vel circa quando arripuit eum febris continua, secundum quod dicebat magister Manentus qui multum reputabatur peritus in arte medicine, qui cotidie visitabat eum bis vel ter. Et dixit quod una die, [de] qua non recordatur, * post ignitegium dictus filius suus decessit, et fuerunt sibi clausi os et oculi per Raymundum Vassalli presbiterum, et fuit linteamen positum super faciem eius, et tenebatur cereus benedictus ibi accensus sicut coram mortuo. Quo viso, pater sicut tristis et dolens de morte filii incepit clamare: « Ha, sancte Ludovice, male exaudisti preces meas, quia ego tibi sepe devoveram filium

* f. 5

[1] Sic.

meum! » Idem eciam clamabat mater dicti pueri, uxor testis qui loquitur: « Sancte Ludovice, sancte Ludovice, quociens recommendavimus tibi filium nostrum et supplicavimus quod redderes ei sanitatem, et modo perdimus eum! » Et multum frequenter ambo parentes recitabant dictos clamores cum lacrimis et dolore. Et pater frequenter discooperiebat faciem pueri ad videndum si aliquod signum vite appareret, semper clamando: « Sancte Ludovice! », et semper inveniebat filium frigidum et rigidum et mortuum, sicut dixit. Et hoc viso, ipse, fessus et dolens, causa recreacionis ivit ad lectum; et recesserunt magister Manentus et Raymundus Vassalli presbiter, matre et mulieribus remanentibus iuxta mortuum. Interrogatus quanto tempore stetit ita mortuus, dixit quod per mediam noctem et plus. Et tunc bayla que ipsum puerum nutriverat, que erat multum dolorosa de morte pueri, semper clamando et invocando: « Sancte Ludovice, sancte Ludovice! », ivit et discooperuit faciem iterum dicti pueri, et visum est ei quod aliquantulum moveret labium inferius, et ipsa palpabat eum et tangebat et ponebat faciem suam super faciem pueri. Et postea eadem bayla ivit ad patrem quod veniret, et venit pater et adhuc invenit puerum ita rigidum et frigidum sicut prius. Et in aurora aperuit aliquantulum labia, et incepit parum loqui, et circa horam
56a primam incepit movere manus parum et vocavit matrem suam; * et mater dedit sibi aliquid [1] ad bibendum, et videtur sibi quod lac calidum; et circa horam terciam puer incepit dicere: « Sancte Ludovice! sancte Ludovice! », et peciit quod portaretur ad sanctum Ludovicum. Et fuit portatus ad sepulcrum beati Ludovici. Et postea reversus ad domum incepit melius habere, et infra triduum recuperavit verbum suum plene, et ab illo tempore restitutus est, ita quod postea infirmitatem aliquam non est passus. Interrogatus qui fuerunt presentes quando puer decessit, dixit quod uxor sua et magister Manentus medicus, Raymundus Vassalli presbiter et Marquetus filius ipsius testis qui loquitur et bayla qui nutriverat dictum puerum et multi alii de domo. Et dixit quod pro certo dictus puer erat mortuus, et credit quod meritis beati Ludovici, cum ipse et mater sua devoverant eum, fuit miraculose resuscitatus et de morte ad vitam reductus. Interrogatus si est fama et vox publica Massilie et communiter in Provincia quod Deus meritis beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic, et quod beatus Ludovicus reputatur sanctus in locis supradictis; et ipse reputat eum sanctum et credit pro certo quod ipse sit magnus apud Deum et de numero sanctorum. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod communiter dicitur a multis. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Supra eodem miraculo.

Cap. xlv.

Marquetus Durandi filius dicti Poncii Durandi, civis Massiliensis, etatis xix annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super predicto proximo miraculo facto in persona P(etri) Durandi fratris sui, qui dicitur a mortuis suscitatus
* *56b* meritis beati Ludovici, narravit et dixit quod dictus frater suus infirmabatur in do-*mo patris sui communis, et ipse qui loquitur nutriebatur et iacebat in domo avi sui, ut dixit. Et quadam nocte, postquam pulsata fuit campana ad ignitegium, ipse qui lo-

[1] Cod. *aliquod*.

quitur erat in domo patris sui, ubi iacebat infirmus dictus frater suus; et tunc fuit ibi dictum et clamatum quod frater suus predictus erat mortuus; et pater et mater et alii assistentes ibi inceperunt plorare et plangere, et ipse qui loquitur similiter, ut dixit. Quo viso, pater istius testis qui loquitur dixit et mandavit isti filio suo quod rediret ad domum avi ad cubandum et dormiendum sicut consueverat prius; et ipse recessit et venit in domum avi et ibi ploravit in una camera cum una sorore sua diu, et postea intraverunt lectum et dormierunt usque mane. Et mane surgentes audiverunt dici quod puer erat resuscitatus, quia pater devoverat eum beato Ludovico. Et ipse supponit firmiter et credit quod per graciam et beneficium beati Ludovici et per devocionem quam parentes habebant ad beatum Ludovicum istud miraculum contigerit, ut dixit. Interrogatus cuius etatis erat frater suus predictus quando fuit suscitatus, dixit quod habebat septem annos vel circa. Interrogatus de tempore quando fuit suscitatus, dixit quod sunt septem anni vel circa, ut sibi videtur. Dixit eciam quod ipse credit pro firmo quod propter merita beati Ludovici et propter bonam et sanctam vitam, quam ipse habuit dum vivebat, Deus faciat et fecerit multa miracula, et quod de hoc est publica vox et fama Massilie et communiter in Provincia et alibi. Dixit eciam quod ipse credit et tenet pro firmo quod beatus Ludovicus est sanctus, et quod de hoc est fama, ut credit, in locis supradictis. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod gentes communiter dicunt. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas talis est.

Item aliud miraculum de quadam filia suscitata meritis dicti sancti.

Cap. xlvj.

* Hysnarda uxor quondam Guarini de Mota, civis Massiliensis, etatis LXta annorum * f. et ultra, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur contigisse in persona Gantelmete [1] filie quondam Raymundi Vitalis, que dicitur fuisse reducta de morte ad vitam meritis beati Ludovici, dixit quod dicta Gantalmeta [2], quando erat etatis sex annorum vel circa, passa fuit febrem continuam gravem per tres septimanas, de qua febre tunc transivit de hoc mundo, ut dixit. Et cum ipsa testis que loquitur tunc audivisset dici a vicinis quod dicta Gantalmeta esset mortua, statim ivit ad domum matris dicte Gantalmete et invenit ibi multos qui dixerunt sibi quod mortua erat dicta Gantalmeta. Ipsa tamen non contenta ivit ad puellam ut videret si esset mortua, et invenit faciem eius coopertam lintheamine, et respiciens eam vidit eam mortuam, et tangens ipsam invenit eam frigidam, et pro certo tenebat et credebat quod esset mortua; et tunc traxit se ad partem et dolens dicebat astantibus ibi quod mortua erat. Et tunc Katherina, soror patris dicte puelle, cum magna devocione invocavit auxilium beati Ludovici et devovit eam sibi. Et stetit sic mortua dicta Gantalmeta per terciam partem illius d[i]ei, et post pluries invocato auxilio beati Ludovici per dictam Katherinam ut restitueret eam vite, audivit dici ipsa que loquitur quod alique de astantibus ibi, quarum nomina ignorat, iverunt ad respiciendum dictam mortuam et discooperientes eius faciem viderunt eam parum suspirantem, et tunc clama-

[1] Sic. [2] Sic.

verunt: « O sancte Ludovice, placeat tibi impetrare cum Deo quod huic puelle vita reddatur! » Et tunc ipsa que loquitur erat presens, et dixit quod clamabant omnes: « Viva est! viva est! »; et confortaverunt eam. Et ita fuit vita reddita miraculose meritis beati Ludovice, et vixit postea et adhuc vivit, ut dixit. Et ipsa credit quod dicta f. 56[d] pupilla fuerit resuscitata meritis beati Ludovici, et quod de hoc est fama in * vicinia sua. Interrogata de astantibus qui viderunt eam mortuam et postea suscitatam, dixit quod Guillelmus de Penis et Acarda [1] eius uxor, qui nunc morantur Aquis, et predicta Katherina et plures alie persone, de quorum nominibus non recordatur. Interrogata de tempore, dixit quod eo anno quo fuit aportatum Massilie corpus beati Ludovici. Interrogata si est fama et vox publica Massilie et in Provincia et alibi quod Deus fecerit et faciat miracula meritis beati Ludovici et quod ipse sit sanctus, dixit quod sic. Interrogata si prece, precio, timore vel amore, instructa vel informata ab aliquo ita deposuit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xlvij.

Katherina Albarestyevia, relicta Iohannis de Guardana et filia dicte Ysnarde, testis supra proximo nominate, etatis XL annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super predicto miraculo facto in persona dicte Gantalmete ut dicitur, dixit quod dicta Gantalmeta erat unica filia quondam Raymundi Vitalis, fratris testis que loquitur, et amore fratris mortui habebat eam multum caram et nutriebat eam in domo matris testis que loquitur; et superveniente dicte Gantelmete febre continua, sicut dicebant medici, febricitavit tribus septimanis, et in fine vita functa est, ut dixit. Et ipsa que loquitur vidit eam cum oculis clausis et ore, et tetigit eam et invenit eam totam frigidam et rigidam; et linteum erat positum super faciem eius. Et ita stetit [2] mortua per terciam partem unius diei. Et cum deberet in sudario poni, testis que loquitur clamabat genibus flexis invocando et dicendo: « O beate Ludovice, redde istam puellam nobis, et ego promitto tibi quod ego portabo eam ad sepulturam f. 57 tuam cum una candela sue longitudinis ». Quo facto, dicta pupilla statim * suspiravit; et tunc ipsa que loquitur una [cum] ceteris qui erant ibi inceperunt acclamare: « O sancte Ludovice, sancte Ludovice, benedictus sis! » Et magna multitudo vicine [3] convenit ibi audito miraculo, sicut ipsa dixit. Et testis que loquitur inmediate fecit eam portari usque ad ingressum domus fratrum Minorum Massilie; et tunc eadem testis recepit eam de manibus portantis, et ipsamet portavit eam de loco illo usque ad tumulum beati Lodovici; et multitudo gentium sequebatur eam. Et ex tunc sana fuit et adhuc vivit, ut dixit. Interrogata de tempore quo fuit dicta puella mortua, dixit quod primo [4] anno quo corpus beati Ludovici fuit Massilie aportatum [5]. Interrogata de astantibus, dixit quod mater ipsius testis que loquitur et Guillelmus de Penis et Aycarda uxor sua et plures alii, de quorum nominibus dixit se non recordari. Dixit eciam quod ipsa credit et tenet firmiter quod dicta pupilla per invocacionem et merita beati Ludovici fuerit miraculose suscitata, et quod de hoc est fama in vicinia sua. Interrogata si est fama et vox publica Massilie et communiter in Provincia quod beatus Ludovicus sit sanctus et habeatur pro sancto et quod propter

[1] Sic. [2] Cod. *stet;t*. [3] Sic. [4] Cod. *p°*. [5] Cod. *oportatum*.

bonam et sanctam vitam quam ipse habuit et merita Deus multa miracula fecerit et faciat pro eo, dixit quod sic, et ipsa credit et tenet pro firmo. Interrogata quid sit fama, dixit quod id quod comuniter dicitur a multis. Interrogata si instructa vel informata, seu prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de muliere que peperit duos fetos sine vita quorum unus fuit vite redditus meritis dicti sancti.

Cap. xlviij.

Alaracia [1] protoneria [2] de Aquis, etatis xxvj annorum vel circa, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo in quo continetur quod ipsa fuit pregnans de duabus filiabus et eas * peperit abortivas, quarum prima erat, ex *f. 5 casu cuiusdam asini de quo eadem testis que loquitur ceciderat, in ventre mortua et putrefacta, et portaverat eam sic in ventre mortuam per sex septimanas; alia autem adhuc in ventre vivente, ut dixit. Et illa putrefacta prius extracta fuit per frusta de corpore ipsius testis que loquitur. Et tunc mater testis que loquitur, videns afflictionem et dolorem filie sue que erat quasi mortua et periculum partus qui adhuc erat in ventre suo, devovit filiam sic afflictam beato Ludovico, promittens ei quod, si dicta filia sua mortem evaderet, [3] ipsa adduceret eam ad sepulcrum suum cum una ymagine cere; et incontenenti obstetrices que aderant, cum fetus secundus, qui in ventre remanserat, exire non posset, extraxerunt eum de ventre ipsius mortuum et integrum et posuerunt in stabulo in fymo una cum primo fetu extracto et putrefacto. Et tunc mater testis que loquitur invocavit auxilium beati Ludovici pro illo secundo fetu qui habebat carnes integras, et non pro primo, quia per frusta et partes exiverat, et promisit sibi ymaginem cere si daret ei vitam quod posset baptisari. Et voto facto, viderunt illum fetum seu filiam, que erat mortua, posita in stabulo in fimo, palpitare. Et ipsa que loquitur vidit eam mortuam, et dixit quod dictus fetus seu filia steterat in fimo antequam reviversceret per spacium unius leuce, et dixit quod fuit baptisata et quod postea vixit septem mensibus, ut dixit. Interrogata de tempore quo ista fuerunt, dixit quod sunt ix anni vel circa, et credit quod propter devotam invocacionem matris et votum quod fecit et sanctitatem et merita beati Ludovici, et ipsa que loquitur evasit periculum, et filia fuit resuscitata et accepit baptismum. Interrogata si est fama Aquis et comuniter in Provincia quod propter bonam et sanctam vitam, quam habuit beatus Ludovicus, Deus faciat et fecerit multa miracula, dixit * quod sic, et dixit eciam quod fama est in locis predictis quod ipse *f. … sit sanctus, et credit ipsa et tenet pro firmo, ut dixit. Interrogata de personis que viderunt partum predictum mortuum et filiam integram postea suscitatam, dixit quod Xanctia Romana et Dulcia Gantelma et plures alie persone, de quorum nominibus non recordatur. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; set pro eo quod de predictis veritas sic se habet.

---

[1] Cod. *(G)laracia,* cum littera initiali *G* pennicillo exarata; sed amanuensis litteram *a* depingendam minuto caractere notaverat in spatio quod vacuum reliquerat. [2] Sic. [3] Cod. add. *quod.*

Super eodem miraculo.

Cap. xlix.

Dulcia Gantelma, uxor Guillelmi Gantelmi de Aquis, etatis xxv annorum, ut dixit, textis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo predicto miraculo, dixit idem quod Alaracia testis proxima supradicta, et dixit quod ipsa erat presens quando mater dicte Alaracie fecit dictum votum et quando dicti fetus fuerunt extracti de ventre Alaracie predicte, et erant femelle. Et dixit quod pro certo ipsa vidit dictam filiam mortuam et postea suscitatam, et credit et tenet pro firmo quod propter sanctam vitam et merita beati Ludovici dictus fetus seu filia fuit resuscitata. Interrogata si est fama in locis predictis superius proximo quod beatus Ludovicus faciat et fecerit multa miracula et de tempore predicte puelle et quantum vixit et si instructa vel informata ita deposuerit in predictis, respondit sicut dicta Alaracia testis proximo supradicta.

Super eodem miraculo.

Cap. l.

Xanctia Romana, uxor Hugonis de Peroliis, civis Aquensis, etatis xxv annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super predicto proximo miraculo, dixit quod una die, de qua non recolit, audivit dici quod dicta Alaracia laborabat in partu, et ivit ad eam et stetit ibi per aliquod spacium diei, et vidit eam multum gravatam et penantem, et mater sua erat iuxta eam; et postea ipsa testis que loquitur recessit et rediit ad domum suam. Et postea post vesperas reversa fuit ad domum dicte Alaracie, et invenit et vidit quemdam fetum mortuum qui exi-
f. 57[d] verat de * ventre ipsius Alaracie et erat positus in stabulo in fimo. Et audivit dici quod de ventre dicte Alaracie fuerat extractus ille fetus, et quidam alius fetus putridus et per frusta [1], quem tamen ipsa non vidit, set secundum vidit mortuum in stabulo, et stare mortuum ibi per spacium unius leuce. Audivit eciam dici quod mater dicte Alaracie devoverat eam, dum laborabat in partu, beato Ludovico, et promiserat sibi quod, si Deus daret sibi sanitatem et daret vitam partui mortuo integro, [2] ipsa daret sibi unam ymaginem cere; tamen ipsa que loquitur non fuit in voto nec audivit, ut dixit. Set postea in crastinum vidit dictum fetum vivum et admirata fuit multum, et erat filia; set non vidit ipsam baptisari. Et vixit septem mensibus, ut dixit. Et credit et tenet pro firmo quod, propter sanctitatem vite et merita beati Ludovici, et dicta Alaracia liberata fuit a periculo, et filia sive fetus mortuus vivificatus, ut dixit. Interrogata de tempore quo ista fuerunt, dixit quod novem anni sunt vel circa. Interrogata si est fama et vox publica Aquis et in tota Provincia quod propter bonam et sanctam vitam, quam habuit beatus Ludovicus dum vixit, [Deus] faciat et fecerit plura miracula, et si gentes dictorum locorum teneant eum pro sancto, dixit quod sic, et ipsa credit et tenet pro firmo quod ipse sit sanctus, et multi alii hoc idem tenent et credunt, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; set quia veritas talis est de predictis.

---

[1] Cod. *frustra*. [2] Cod. add. *quod*.

Super eodem miraculo.

Cap. lj.

Iohannes Baiuli, maritus dicte Alaracie portanarie, de Aquis, etatis xxx^{ta} annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto, dixit quod una die ipse veniebat ad domum suam de vineis, in quibus laboraverat, et invenit in domo sua plures mulieres, et vidit in stabulo, in fimo vel palea, quemdam fetum quem pro certo vidit mortuum, ut dixit, et audivit dici quod * mater dicte uxoris sue devoverat filiam suam, uxorem ipsius testis qui loquitur, beato Ludovico, dum erat in langoribus et laboribus pariendi, et fetum predictum, et promisit sibi quod si liberaret a periculo filiam suam Alaraciam et daret dicto fetui mortuo vitam, [1] ipsa daret sibi unam ymaginem de cera. Et dixit quod eodem die quo vidit dictum puerum sive fetum mortuum in stabulo, vidit eum vivum et resuscitatum, et credit et tenet pro firmo quod et uxor sua predicta fuerit liberata a dicto periculo et dictus fetus fuit miraculose vivificatus et eciam suscitatus propter sanctam vitam et merita et invocacionem beati Ludovici. Et dixit quod dictus fetus erat femina, et fuit baptizatus, et postea vixit septem mensibus vel circa, ut dixit. Interrogatus de tempore quo istud fuit, dixit quod sunt ix anni vel circa. Interrogatus de astantibus que erant presentes quando ipse testis invenit dictum fetum in stabulo, dixit quod mater dicte uxoris sue et Xanctia Romana et Dulcia Gantelma et plures alie, ut dixit. Interrogatus si est fama et vox publica Aquis et comuniter in Provincia quod [2] propter sanctam vitam et merita beati Ludovici Deus faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic, et ipse credit pro firmo, et multi alii eciam credunt, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet. *f. 5

Item aliud miraculum de quadam filia suscitata per invocacionem et merita dicti sancti.

Cap. lij.

Adam de Parisius, habitator Avinionis, etatis xl annorum et ultra, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona Guillelmete filie sue que transivit de hoc mundo et postea fuit meritis beati Ludovici suscitata, dixit quod dicta filia sua cum esset etatis duorum annorum vel circa fuit infirma per unum [3] mensem vel circa de febribus, ita * quod finaliter mortua fuit et stetit mortua per spacium unius miliarii; et ipse vidit eam mortuam, frigidam et rigidam, ita quod nullum signum vitale apparebat in ea, et tela pro sudario fuit ibidem asportata ac si deberet ibi insui et reponi, ut dixit. Hoc videns ipse pater qui loquitur, devocione et compassione motus, devovit eam beato Ludovico, promittens ei quod, si impetraret cum Deo graciam quod dicte filie sue redderet vitam et eam suscitaret, [4] ipse adduceret eam ad sepulcrum suum Massilie et offerret ibidem unam ymaginem de cera ad pondus $iiij^{or}$ librarum cere. Et facto predicto voto, dicta Guil- *f. 5

[1] Cod. repetit *quod.* [2] Cod. *et.* [3] Cod. *unam.* [4] Cod. repetit *quod.*

lelmeta fuit a morte suscitata, ut ipse testis dixit. Et credit idem testis pro firmo quod dicta filia sua fuerit miraculose de morte ad vitam resuscitata propter merita beati Ludovici. Interrogatus de tempore quo predictum miraculum in predicta filia sua fuit factum, dixit quod sex anni sunt vel circa. Interrogatus de personis que erant presentes quando dictus testis qui loquitur devovit dictam filiam beato Ludovico et que viderunt eam mortuam et postea resuscitatam, dixit quod uxor sua Iohanna et Poncius Alvernigena, qui moratur apud Avinionem, et plures alie persone, ut dixit. Interrogatus si est publica vox et fama apud Avinionem et communiter in Provincia quod Deus, propter bonam et sanctam ac honestam vitam quam habuit et tenuit beatus Ludovicus dum vixit et propter merita eiusdem, fecerit et faciat multa miracula, dixit quod sic, et quod ipse tenet et habet pro firmo ipsum pro sancto, et eciam publice dicitur quod est sanctus. Interrogatus quid sit fama, dixit quod id quod dicitur communiter a gentibus. Dixit eciam idem testis quod ipse fuit per plures annos Rome, dum erat ibi Curia. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. liij.

58c * Poncius Alvernigena habitator Avinionis, etatis xxij.orum annorum et ultra, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto facto meritis beati Ludovici in persona Guillelmete filie dicti Adam de Parisius, dixit quod dicta Guillelmeta [1] cum esset duorum annorum vel circa fuerat infirma graviter, et ipse qui loquitur vidit eam in dicta infirmitate quando ita graviter paciebatur. Et postea ad paucos dies pater dicte filie vocavit testem qui loquitur, quia vicinus suus erat, et plures alios propter mortem filie sue predicte, et plorabant pater et mater et plangebant super eam; et vidit ipse qui loquitur quod dicta filia habebat faciem coopertam sicut est pro mortuo fieri consuetum, et postea fuit amotus pannus de super faciem, et ipse vidit eam cum oculis clausis, nec sugiebat nec mugiebat nec aliquod signum vite apparebat in ea; et parabant se parentes ad querendum illa que erant necessaria pro sepultura. Et stetit ita mortua ab aurora usque ad horam terciam eiusdem diei, ut dixit. Et audivit dici quod pater dicte filie devoverat eam beato Ludovico; tamen ipse qui loquitur non audivit votum. Audivit eciam plus quod statim, facto voto per patrem, ipsa incepit aperire oculos et apparuerunt signa vitalia in ea; et testis qui loquitur hoc audito, tanquam pro re mirabili, reversus fuit ad domum dicti Adam, et vidit et invenit dictam filiam vivam et tenentem oculos apertos, quam prius dimiserat mortuam, ut dixit. Et adhuc vivit. Interrogatus de tempore quo ista fuerunt, dixit quod sunt sex anni vel circa. Interrogatus de personis que viderunt eam mortuam et postea resuscitatam, dixit quod ipse qui loquitur et pater et mater dicte filie et plures alii de vicinis, ut dixit. Dixit eciam quod ipse
158d credit et tenet pro firmo quod dicta filia fuit miraculose resuscitata * propter votum quod fecit pater ipsius et propter invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus si est publica vox et fama apud Avinionem et communiter in Provincia quod propter

[1] Cod. *Guillelmete.*

sanctam et perfectam vitam, quam habuit et servavit quamdiu vixit beatus Ludovicus, Deus fecerit et faciat multa miracula, et si gentes in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic et quod recursum habent ad ipsum tanquam ad sanctum et recommendant et devovent se sibi, ut dixit. Interrogatus si instructùs vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quodam puero suscitato meritis dicti sancti.

Cap. liiij.

Hugo Lamberti, civis Aquensis, etatis L^{ta} annorum et ultra, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super eo quod dicitur quod filius suus vocatus Raymundus mortuus fuit et postea meritis beati Ludovici suscitatus, dixit quod una nocte dum dictus filius suus, [qui] erat septem annorum et sanus, intrasset lectum et iaceret in lecto cum eo et uxore sua, ipsi ex[c]itati quesiverunt dictum filium suum in eodem lecto et non invenerunt ibi, et stupentes surrexerunt de lecto repente et accenso lumine invenerunt puerum sub lecto in solo rigidum et frigidum et mortuum, et nullum signum vitale apparebat in eo, sicut dixit; et erat lectus altus usque ad tres palmos et plus, ut dixit. Et tunc dolore percussi pater et mater dicti pueri ceperunt clamare et invocare beatum Ludovicum et devoverunt eum beato Ludovico, et mater sua recepit eum in brachiis suis, et puer stabat capite inclinato, occulis et ore clausis, ac si tribus diebus stetisset mortuus, * sicut ipse dixit. Post multiplicem *f. autem, devotam et lacrimabilem invocacionem, cum non haberent alium filium nisi illum solum (et steterant xxvij annis in matrimonio), beatus Ludovicus propter sanctitatem et bonitatem suam, eorum compaciens lamentacionibus et dolori, impetravit apud Dominum, quod dictus puer fuit vite redditus; et per graciam Dei et beati Ludovici vivit adhuc et est etatis xvij^{tem} annorum, sicut dixit. Dixit eciam et credit et supponit pro firmo quod dictus filius suus erat mortuus et quod [ad] invocacionem beati Ludovici fuit suscitatus, qui steterat mortuus per tantum noctis spacium, sicut dixit, quod posset dixisse vicesies *Pater noster*, scilicet oracionem dominicam integram. Interrogatus de tempore quo istud contigit, dixit quod sunt decem anni vel circa, ut credit. Interrogatus de astantibus qui viderunt dictum puerum mortuum et postea resuscitatum, dixit quod uxor sua propria et frater eciam ipsius qui loquitur. Interrogatus si credit et tenet quod Aquis et communiter in Provincia est publica vox et fama quod propter bonam, sanctam et perfectam vitam, quam habuit beatus Ludovicus dum vivebat, Deus faciat et fecerit plura miracula et quod ipse sit sanctus, dixit quod sic. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur communiter a multis. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lv.

Petrus Lamberti, civis Aquensis, frater carnalis dicti Hugonis Lamberti, etatis L^{ta} annorum, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo mi-

raculo supradicto quod dicitur esse factum de dicto Raymundo nepote ipsius testis
59b qui loquitur meritis beati Ludovici, dixit idem quod dictus Hugo pater * dicti Raymundi, hoc addito quod dictus puer stetit mortuus per tantum spacium noctis quod potuisset dixisse vicesies oracionem dominicam scilicet *Pater noster* integre, et ultra eciam vicesies integre *Ave Maria*, ut credit. Dixit eciam et supponit quod dictus puer fuerit miraculose de morte ad vitam meritis beati Ludovici suscitatus. Interrogatus de fama et de astantibus et de tempore, et si prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, respondit sicut dominus [1] Hugo testis inmediate precedens.

Super eodem miraculo.

Cap. lvj.

Beliotla [2], uxor dicti Hugonis Lamberti, civis Aquensis, etatis xxxv annorum vel circa, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto facto in persona dicti filii sui Raymundi, qui dicitur fuisse mortuus et postea suscitatus, dixit quod una nocte ipsa et dictus maritus suus iacebant in lecto, et dictus filius eorum Raymundus, qui tunc temporis erat etatis vij^tem annorum vel circa, sanus intravit lectum et erat in lecto cum eis, et ita insimul dormierunt. Et excitati circa mediam noctem, dictus maritus suus quesivit ab ea: « Habes tu puerum? » Et ipsa respondit: « Certe, domine, non. Et nonne vos habetis eum? » « Certe non ». Tunc turbati et dolorosi surrexerunt de lecto et accenso lumine quesiverunt puerum diligenter, et tandem respicientes sub lectum invenerunt eum mortuum; et habuit omnia signa mortui; et mater sua recepit eum cum multa tristicia et merore de terra et posuit in brachiis viri sui sicut mortuum; et tenebat caput inclinatum et os et oculos clausos, et nulla signa vite habentem [3], ut dixit. Et sic stetit a media nocte usque ad auroram. Et tunc videntes eum sic mortuum, pater et mater inceperunt invocare beatum Ludovicum et cum dolore et lacrimis devoverunt eum beato Ludovico et promiserunt sibi quod, si procuraret cum Deo quod daret ei vitam, [4] ipsi
59c adducerent eum ad sepulcrum suum et offerrent * sibi unam candelam de cera que circuiret sepulcrum eius et unum scandale de longitudine dicti pueri. Et post votum puer in aurora incepit clamare; et tunc mater sua, que presens erat, dixit sibi: « Fili, et quid habuisti et ubi fuisti? » Et tunc puer dixit quod fuerat cum domino Ludovico. Tunc mater quesivit ab eo qualis erat dominus Ludovicus, et ipse puer respondit quod erat pulcher et albus, et dixit quod dicebat ei quod iret secum. Et tunc ipsa mater, magis commota et timens de puero, devovit eum iterum beato Ludovico. Et post hoc, hiis votis emissis, perfecte fuit redditus vite et sanus. Et post paucos dies adduxerunt eum ad sepulcrum beati Ludovici et compleverunt vota sua. Et adhuc vivit dictus puer in etate xvij annorum, ut dixit. Et dixit quod ipsa credit et tenet pro firmo quod, propter invocacionem et devocionem quam ipsa et vir suus habuerunt ad beatum Ludovicum et propter merita sua, Deus reddidit sibi vitam. Interrogata de personis que viderunt dictum puerum sic mortuum et postea vivum, dixit quod dictus maritus suus et P(etrus) Lamberti et uxor sua. Interrogata de tempore quo ista fuerunt, dixit quod in hy[e]me, et sunt bene ix anni, ut dixit. Interrogata

[1] Sic. [2] Cod. hic primo et infra secundo *Beliouȝ;* tertio autem loco *Belioð:* unde intelligi potest erronea amanuensis interpretatio: ð legit ꝺ. [3] Sic. [4] Cod. repetit *quod.*

si est fama Aquis et communiter in Provincia quod Deus propter bonam et sanctam vitam et merita beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula, et si in locis predictis gentes tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipsa credit pro certo et tenet quod sit sanctus. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lvij.

Berenguaria uxor P(etri) Lamberti de Aquis, etatis xxiiij^or^ annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto in * quo continetur quod Raymundus filius dicti Hugonis Lamberti fuit mortuus et postea meritis beati Ludovici suscitatus, dixit quod una nocte inter festum omnium Sanctorum et nativitatem Domini dictus Hugo Lamberti et dicta Belioda uxor sua intraverunt lectum suum in camera superiori, et dictus Raymundus filius eorum cum ipsis, et ipsa fuit presens, sicut dixit; et ipsa que loquitur ad quandam aliam cameram inferiore, ubi iacebat cum viro suo. Et circa mediam noctem ipsa testis et maritus suus audiverunt dictam Beliodam lugentem et clamantem; quo audito, stupefacti surrexerunt de lecto et iverunt ad cameram superiorem et invenerunt dictum Hugonem patrem dicti pueri tenentem eum in brachiis mortuum, ore et occulis clausis et inclinato capite, et nullum signum vite apparebat in eo. Et sic stetit puer in illo statu usque ad auroram. Et pater et mater devoverunt puerum beato Ludovico; et post votum, in aurora, puer planxit parum, sicut ipsa audivit, et tunc mater sua quesivit ab eo: « Ha, fili, et ubi fuisti et quid fecisti? » Et ipse respondit quod fuerat cum domino sancto Ludovico. Et tunc mater interrogavit qualis esset, et respondit quod totus albus. Ista tamen verba matris ad filium et filii ad matrem ipsa que loquitur non recordatur se audivisse a puero, set a matre postea audivit recitari. Adiecit eciam quod ipsa que loquitur et dicta mater pueri venerunt, in Paschate postea subsequenti, discalciate ad sepulcrum beati Ludovici et adduxerunt puerum ibi, et dictus pater pueri venit eciam cum eis, et obtulerunt scandale et compleverunt votum suum. Interrogata quantum temporis est quod istud contigit, dixit quod sunt viij anni. Et dixit quod pro certo ipsa vidit dictum puerum mortuum, et credit pro firmo quod ipse fuerit miraculose, propter devotam et lacrimabilem invocacionem dictorum parentum factam ad beatum Ludovicum, a morte suscitatus. Interrogatus si est fama Aquis et communiter in Provincia quod Deus propter bonam et sanctam vitam beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula, et si tenent eum pro sancto gentes in dictis * locis, dixit quod sic, et ipsa credit et tenet pro firmo quod sit sanctus, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; sed quia veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quadam filia suscitata meritis dicti sancti.

Cap. lviij.

Marguarita Niella [1], uxor Guillelmi de Sancto Egidio, civis Massiliensis, etatis xl^ta^ annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata dicere veritatem

[1] Sic.

super miraculo quod dicitur esse factum in persona Bertrande filie sue, que Bertranda dicitur de morte ad vitam reducta fuisse meritis beati Ludovici, dixit quod ipsa habuit unam filiam que vocabatur Bertranda circa principium quadragesime, que vixit ad triduum post festum beati Ioannis Baptiste; et tunc in media nocte migravit et vita functa fuit, sicut ipsa dixit. Et stetit mortua a media nocte usque ad auroram, ita quod nullus spiritus vel signum vitale apparebat in ea. Tunc mater ipsa que loquitur, videns hoc, incepit dicere et dixit: « Sancte Ludovice, multa bona fecisti michi: supplico tibi quod reddas michi filiam meam ». Et immediate vidit dictam filiam suam spirantem; quo viso, ipsa mater sua flexis genibus reddidit gratias Deo et beato Ludovico, et vocavit matrem suam, aviam dicte filie. Interrogata de tempore, dixit quod sunt tres anni vel circa. Interrogata de hiis que fuerunt presentes, dixit quod mater ipsius testis que loquitur; de aliis dixit se non recordari. Dixit eciam quod de die non recordatur. Et dixit quod dicta filia ex quo fuit vite reddita non vixit nisi per octo dies, et mortua est de dolore ventris, qui supervenit ei postquam dicta mater asseruit eam resuscitatam fuisse, ut dixit. Dixit tamen ipsa que loquitur quod per invocacionem et merita beati Ludovici credit dictam filiam suam revixisse. Interrogata si est vox et fama in terra ista et comuniter in Provincia quod Deus,
60b propter bonam et sanctam vitam quam habuit beatus Ludovicus, * fecit et facit miracula, dixit quod sic. Interrogata si prece, precio, timore vel amore, instructa vel informata ab aliquo ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quadam muliere que fuit mortua et postea suscitata.

Cap. lix.

Guillelmus Hugonis, civis Massiliensis, etatis L^{ta} annorum et ultra, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super eo quod dicitur quod Dulciana uxor sua passa fuit febrem continuam, que eam ad mortem duxit, ita quod post tres tractus quos fecit transivit et mortua fuit, et postea resuscitata per invocacionem et merita beati Ludovici; dixit quod dicta uxor sua fuit graviter infirma xv diebus vel circa, sicut credit, de febre continua, et parum sumebat de cibo; nec medicus, qui eam habebat in cura, sperabat de convalescencia sua nec quod evadere posset, sicut dicebat medicus, ut ipse testis dixit. Et ad hoc deduxit eam dicta infirmitas, quod tres tractus mortis habebat, ut ipse qui loquitur vidit; et tunc signavit eam ita morientem, et ea signata et, sicut supponit et credit, pro certo mortua, ipse exivit domum pre dolore; et ibi erant tunc temporis, quando fecit tractus mortis, mater dicte Dulciane et Reynaldus Maleti frater eiusdem et uxor Bertrandi Maleti. Et cum exivisset domum predictam testis qui loquitur, audivit quod mater dicte Dulciane et frater eiusdem Dulciane promiserunt eam et devoverunt beato Ludovico. Et stetit dicta Dulciana ita mortua ad spacium unius miliarii, ut credit, et postea audivit quomodo inceperunt superius nominati, qui erant adhuc presentes, invocare beatum Ludovicum. Et tunc testis reversus fuit in domum predictam et vidit, sicut dixit, quod dicta Dulciana, quam ipse prius dimiserat frigidam et rigidam, pallidam ad instar parietis albi et mortuam, sicut dixit, incipiebat habere aliquid de calore in facie, et emisit suspirium, et post paululum aperuit oculos; set nemini loquebatur. Et continuo as-

sistentes * clamaba[n]t: « Sancte Ludovice! » Et tunc ipsa incepit loqui; et dabant zuccaram [1] rosaceam et alias species pro confortacione nature; et febris dimisit eam, ita quod postea non habuit. Verum est, sicut dixit, quod debilis remansit tunc; set infra paucos dies fuit restituta pristine sanitati, ut dixit. Et hoc credit et supponit pro certo quod fuit per invocacionem et merita beati Ludovici, quem ipse credit esse sanctum. Et in civitate Massiliensi et communiter in Provincia et pluribus aliis regionibus est publica vox et fama quod sit sanctus et quod Deus fecit et facit multa miracula meritis huius sancti. Interrogatus de tempore quo ista fuerunt, dixit quod est annus et ultra. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore, aut instructus vel informatus a quoquam ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet. *f. 6

Super eodem miraculo.

Cap. lx.

Reynaldus Maleti, frater dicte Dulciane, etatis XL annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo facto in persona dicte Dulciane que dicitur mortua fuisse et postea suscitata esse meritis beati Ludovici, dixit quod dicta Dulciana soror sua fuit infirma graviter de febre (sed nescit que esset illa febris) per VII^{tem} dies et ultra, ut credit, et dixit quod ipse vidit quomodo dicta soror sua laborabat in extremis et fecit tres tractus mortis et occitavit et demum transivit, sicut dixit, et stetit mortua per modicum spacium; et ipse qui loquitur et omnes alii qui ibi erant supponebant et credebant pro certo quod esset mortua, ut dixit. Quo viso, testis qui loquitur devovit eam beato Ludovico cum una ymagine cere unius libre; et incontinenti ipsa incepit loqui et recipere de brodo galline et de aliis, sicut dixit; et inmediate post votum curata et liberata fuit a febre, et postea infra paucos dies restituta fuit pristine sanitati, ut dixit. Interrogatus de tempore, dixit quod est annus et dimidius vel circa, quo ista fuerunt [2]. Interrogatus de presentibus qui predicta viderunt et audiverunt, dixit quod mater dicte Dulciane et uxor quondam fratris sui et Guillelmus Hugonis * maritus dicte Dulciane et alii multi, ut dixit. Et dixit et credit pro certo quod dicta Dulciana fuit curata a dicta infirmitate et resuscitata per invocacionem beati Ludovici, et credit et tenet pro firmo quod sit sanctus, et quod de hoc est fama et vox publica Massilie et communiter in Provincia, et quod Deus eciam facit et fecit multa miracula pro eo. *f.

Et ipse testis qui loquitur dixit per iuramentum suum quod, cum ipse haberet quondam tumorem ad quantitatem unius avellane supra manum suam sinistram, qui vocatur lippia, qui duraverat sibi per IIII^{or} annos vel circa, ut dixit, una die (sunt bene decem anni) cum surgeret de lecto suo, ipse supplicavit beato Ludovico quod illum tumorem seu lippiam ammoveret de manu sua. Quo dicto, incontinenti ille tumor recessit, et ita manus remansit plana et munda sine vestigio alicuius tumoris, et quod ita habuit planam manum sicut aliquis potest habere. Et credit et tenet pro firmo quod ipse fuit a dicto tumore curatus per invocacionem beati Ludovici. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

---

[1] Cod. *zuccaram.* [2] Sic.

Super eodem miraculo.

Cap. lxj.

Raymunda Maleta, mater dicte Dulciane, etatis LXta annorum, ut dixit, testis iurata, producta et diligenter interrogata super proximo miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona dicte Dulciane filie sue, dixit quod dicta filia sua fuit graviter infirma de febre continua XV diebus et ultra, ut dixit; et ipsa vidit eam mortuam, et fuit sibi cooperta facies; et erat frigida, nec aliquod signum vitale apparebat in ea; et sic stetit per aliquod spacium. Et tunc ipsa que loquitur devovit eam beato Ludovico et promisit sibi unum [1] sudarium pro ea; quo facto, dicta filia sua incepit movere labia sua et recuperare colorem et revenire, ita 51a quod cognoscebat et loquebatur; et curata fuit a dicta infirmitate. Et * post paucos dies fuit plene restituta ad statum pristinum. Et credit et tenet pro firmo quod ipsa fuit curata et resuscitata per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata si est fama Massilie et comuniter in Provincia quod Deus facit et fecerit multa miracula meritis beati Ludovici, et si in dictis locis gentes tenent eum pro sancto et si ipsa credit hoc idem, dixit quod sic. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxij.

Hugueta sororia dicte Dulciane, etatis XL annorum vel circa, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo facto in persona dicte Dulciane que dicitur suscitata fuisse meritis beati Ludovici, dixit quod dicta Dulciana fuit graviter infirma de febre continua per aliquos [2] dies (set non recordatur de numero, ut dixit), et ipsa vidit eam in dicta infirmitate; et vidit una nocte quod propter dictam infirmitatem mortua fuit. Interrogata quomodo scit quod esset mortua, dixit quia ipsa vidit quod dicta Dulciana fecit tres tractus mortis et quod oculi et os ipsius fuerunt sibi clausi, et quod erat frigida et rigida et nullum signum vite erat vel apparebat in ea, ut dixit; et omnes qui erant ibi presentes dicebant quod erat mortua, et signaverunt eam sicut mortuam. Et sic stetit mortua per aliquod spacium, ut dixit. Quo viso, ipsa que loquitur et Raymunda mater dicte Dulciane, confidentes et sperantes de subsidio beati Ludovici, devoverunt eam beato Ludovico; et ipsa testis promisit sibi unum sudarium, si eam restitueret vite. Et cum ipsa testis et alii qui erant ibi essent tristes et valde desolati quod ita esset mortua, inmediate post factam [3] ei promissionem dicta Dulciana incepit respirare et plangere; et fuit vite restituta et a dicta febre curata, ita quod ex tunc non fuit passa febrem, et post paucos dies fuit f. 1b ad sta-*tum pristinum restituta. Interrogata de tempore quo predicta fuerunt, dixit quod est annus et plus. Interrogata de personis que tunc erant presentes, dixit quod ipsa et mater et maritus dicte Dulciane et Reynaldus Maleti et plures alii, ut dixit.

---

[1] Cod. *urm;* cf. inferius cap. LXII, l. 33. [2] Sic. [3] Cod. *fcm̄ et.*

Dixit eciam quod ipsa credit et tenet pro firmo quod dicta Dulciana fuit miraculose curata et resuscitata per invocacionem et merita beati Ludovici. Et dixit quod fama est Massilie et communiter in Provincia quod Deus operatur et operatus est frequenter multa miracula propter bonam et sanctam vitam et merita beati Ludovici, et quod in eisdem locis tenent eum pro sancto, et ipsa hoc idem tenet et credit, sicut dixit. Interrogata si instructa vel informata, aut prece, precio ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set [quia] de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quadam filia que fuit mortua et postea suscitata meritis dicti sancti Ludovici.

Cap. lxiij.

Petrus Iustini de Castro Messelli, Regensis diocesis, etatis xviij annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo facto in persona Alays [1] sororis sue, que dum erat etatis trium annorum vel circa propter gravem infirmitatem dicitur fuisse mortua et postea per invocacionem et merita beati Ludovici suscitata, dixit quod dicta soror sua fuerat infirma infirmitate infantili quando erat in etate predicta, quam infirmitatem nescit alio modo nominare vel describere, sicut dixit. Et una nocte, circa mediam noctem, vitam finivit; et hoc apparuit quia ipse testis vidit quod os et oculi fuerunt sibi clausi et facies operta cum panno ad modum mortui; et sic stetit per magnum spacium. Et appropinquante aurora, pater dicte Alays et ipsius testis qui loquitur recommendavit eam multum devote (quia caram [2] habebat eandem, sicut dixit ipse testis) beato Ludovico et promisit sibi unam candelam de longitudine dicte filie sue. Quo facto, pater dicte Alaydis, videns eam in morte iacentem, ut dixit, ivit ad ecclesiam et fecit pulsare campanas, sicut consuetum est pro * defunctis pulsare, et deinde reversus ad domum ubi dimiserat dictam Alaydim mortuam cum patre et matre dicte Alaydis et cum teste qui loquitur fratre *f.
eius invenit eam vite redditam; et postea vixit multis annis et adhuc vivit. Interrogatus qui fuerunt in predictis presentes, dixit quod pater et mater et patrinus dicte Alays, qui omnes iam defuncti sunt, ut dixit. Dixit eciam quod presens fuit Poncius Orsseti dicti Castri, qui solum superest una cum ipso teste qui loquitur. Interrogatus de tempore quo ista fuerunt, dixit quod sunt ix anni vel circa. Dixit eciam quod ipse credit et tenet pro firmo quod dicta soror sua fuit miraculose resuscitata per invocacionem et merita [3] beati Ludovici. Interrogatus si est fama in dicto castro Messelli et communiter in Provincia quod Deus propter merita beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula, et si in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipse credit et supponit pro certo quod sit sanctus. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set pro eo quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxiiij.

Poncius Maurelli, alias vocatus Orsseti, dicti castri Messelli, etatis xxx annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo

---

[1] Sic, itemque pluries infra. [2] Cod. *cām.* [3] Cod. *meriti.*

miraculo facto in persona dicte Alays, dixit quod ipse non vidit eam mori nec erat presens quando dicta Alays fuit mortua; dixit tamen quod una nocte, cum audiret planctum in domo in qua dicta Alays dicitur fuisse mortua, ipse qui loquitur venit ad domum illam et invenit ibi dictam Alaydim in quadam banca pannis involutam, et habebat faciem opertam panno; et parentes eius et alii qui erant ibi presentes dicebant esse mortuam. Et ipse qui loquitur hoc credebat. Et fuerunt campane pulsate bis, sicut consuetum est pro mortuo pulsari. Et audivit testis qui loquitur quando pater dicte Alaydis devovit eam beato Ludovico et promisit sibi unam candelam de
61d cera ad longitudinem dicte filie sue. Alia ipse nescit, * quia recessit; audivit tamen dici quod in aurora sequenti fuit dicta filia vite reddita; et vixit postea et adhuc vivit, ut dixit. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt IX anni vel circa. Interrogatus cuius etatis erat dicta filia quando ista contigerunt, dixit quod trium annorum vel circa. Interrogatus si est fama in dicto castro Meselli et in locis circumvicinis et communiter in Provincia quod Deus, propter bonam et sanctam vitam quam habuit beatus Ludovicus, faciat et fecerit multa miracula, et si gentes in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipse credit et tenet pro firmo quod sit sanctus. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quadam filia suscitata meritis eiusdem beati Ludovici.

Cap. lxv.

Iacobus Romani, civis Carpentoratensis, etatis XL annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo facto in persona Raymundete filie Rixendis Comparate de eadem civitate, que dicitur fuisse mortua et per invocacionem beati Ludovici resuscitata, necnon et super aliis interrogacionibus per nos faciendis; dixit quod una die festiva in mense maii, in qua cives Carpentoratenses, et mares et mulieres, consueverunt festum facere et ludos exercere, contigit casus quod Bernardus Ruffi, iuvenis homo civis Carpentoratensis, equitabat unum magnum palafredum et improvide et impetuose currendo per quendam vicum dicte civitatis, a casu inventa dicta Raymundeta in via, puella IIIIor annorum, inclusit eam inter pedes dicti palafredi sui, et calcavit et oppressit eam per talem modum quod dicta Raymundeta expiravit, ita quod nulla signa vitalia apparebant in ea, sic erat confracta et collum habebat ruptum. Et testis qui loquitur sic confracta[m] et mortua[m] levavit eam
62a et posuit in brachiis suis et collo * pendente ad modum mortue portavit in domum Suffredi Botini et ibi posuit in quadam culcitra; et ipse qui loquitur erexit sibi collum bis, et qualibet vice collum, quod non poterat stare erectum, cadebat. Superveniente vero multitudine gencium supra mortuam, testis qui loquitur recessit, ea dimissa mortua. Et audivit postea dici quod mater supervenit cum fletibus et clamore, et visa filia mortua cum multo dolore invocavit auxilium beati Ludovici et devovit eam beato Ludovico; quo facto, statim, sicut testis qui loquitur (qui presens non fuit in voto nec in clamore matris) audivit dici, ut dixit, quod voto emisso [1] dicta filia incepit

[1] Sic.

plorare et resurgere et confortari, ita quod postea sana vixit et est adhuc, ita quod fuit reddita sibi vita per merita beati Ludovici, sicut ipse supponit et credit firmiter, ut dixit. Dixit eciam testis qui loquitur quod eadem die, audiens quod dicta Raymundeta erat vite restituta, admirando venit et vidit eam vivam et reputavit illud miraculose factum, ut dixit. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt octo anni vel circa; set non recordatur de die.

Dixit eciam testis qui loquitur quod, cum ipse habuisset quat[u]or filios et omnes in etate tenera mortui essent, [et] de novo habuisset [1] unum qui vocatur Guillelmus, et ille passus fuisset febres dum erat etatis duorum annorum vel circa; visum fuit ei quod febre crescente dictus puer expiravit; et pater qui loquitur signavit eum bis sicut mortuum, ut dixit, et matrem que flebat super puerum mortuum amoverunt de loco illo. Que mater cum fletibus et dolore, considerans miraculum quod contigerat in Raymundeta filia Rixendis Comparate (que per conculcacionem et oppressionem palafredi quem equitabat Bernardus Ruffi improvide et impetuose fuerat * mortua et per invocacionem beati Ludovici vite reddita), devovit dictum filium suum beato Ludovico et promisit venire discalciata ad sepulcrum beati Ludovici et ducere dictum filium suum secum; et statim post votum dictus filius incepit respirare ita quod vite redditus et curatus fuit. Dixit eciam quod tam ipse quam uxor discalciata et dictus puer propter hoc, modo in istis festivitatibus paschalibus, scilicet die martis post Pascha, anno Domini millesimo ccc^{mo}viij^{o}, venerunt Massiliam ad sepulcrum beati Ludovici, ut quod promiserant adimplerent; et credit et tenet pro firmo quod dictus filius suus, qui fuerat mortuus (et ipse et mater dicti pueri et multi alii qui eum viderant mortuum supponunt et credunt quod esset mortuus) fuit miraculose per invocacionem et merita beati Ludovici vite redditus et curatus, ut dixit. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt sex anni et ultra. Interrogatus si est publica vox et fama in dicta civitate Carpentoratensi et communiter in Provincia quod propter sanctam et perfectam vitam, quam habüit et servavit beatus Ludovicus quamdiu vixit, Deus fecerit et faciat multa miracula, et si gentes in dictis locis dicunt quod beatus Ludovicus sit sanctus, et si tenent eum pro sancto, et si recomendant se sibi, et si recurrunt ad ipsum tamquam ad sanctum, dixit quod sic, et ipse tenet et credit pro firmo quod sit sanctus, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxvj.

Iacobus Comparati, civis Carpentoratensis, etatis xxxv annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo facto per invocacionem beati Ludovici in persona Raymundete filie Rixendis Comparate, dixit quod in festis Penthecostes est consuetum in civitate Carpentoratensi fieri * festum, et per mares et mulieres, et per xv dies ante festa predicta iuvenes et mares et mulieres faciunt coreas et vadunt cantando per terras et parant domus suas (illi qui possunt) de pannis, scilicet chalonibus [2] et aliis pannis melioribus quos habent. Cum autem una

---

[1] Sic. [2] Cod. *chalanibus*.

die testis qui loquitur, sicut dixit, cum pluribus aliis incederet corizando, cantando et saltando et tubis precedentibus per quendam vicum dicte civitatis ante hospicium Suffredi Botini expanderant seu extenderant unum chalonem propter festum, et cum Bernardus Ruffi veniret in quodam magno palafredo lascivo, qui auditis tubis incepit ulterius lascivire; et dictus Bernardus qui erat consors festi incepit eum urgere calcaribus, et venit ad locum, ubi chalo pendebat, cum impetu quanto potuit, et elevato calone ipse cum equo improvide transiliens et currendo, inventa ibi Raymundeta filia dicte Rixendis Comparate conculcavit eam cum pedibus palafredi predicti et oppressit, ita quod ex illa conculcacione et oppressione dicta Raymundeta expiravit et habuit collum ruptum, sicut dixit testis qui loquitur, ita quod nullum signum vite apparebat in ea, sicut credit et supponit pro firmo. Et multitudo gencium, casu audito, convenerunt ibidem. Et testis qui loquitur erat consanguineus dicte oppresse et quam [1], sicut dixit, tenerrime diligebat, invectus dolore et tristicia dictum Berardum sessorem palafredi evaginato gladio insequutus est ut interficeret eum, quod et fecisset nisi dictus Bernardus fuge presidio evasisset. Post hec autem testis qui loquitur dixit matri Raymundete quod filia sua expiraverat, et tunc ipsa mater in filie morte turbata ivit ad locum ubi mortua predicta iacebat; set ipse qui loquitur non intravit cum ea. Et sicut testis asserit se audivisse postea, quia ipse presens non fuit, dicta mater devovit eam beato Lodovico, et post votum quasi ad spacium dimidie leuce per quod steterat
62d mor-*tua, ut dixit, dicta Raymundeta vite reddita incepit plangere, et deinde infra paucos dies, recuperata virtute corporis et membrorum, incepit ire; et sic postea sana fuit et vixit et adhuc vivit, ut dixit. Et credit et supponit pro firmo, sicut supponit et credit se esse christianum, quod dicta Raymundeta fuit miraculose resuscitata per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt octo anni vel circa, ut credit. Dixit eciam quod publica vox est et fama in civitate Carpentoratensi et communiter in Provincia quod propter merita beati Ludovici Deus facit et fecit multa miracula, et quod gentes in dictis locis tenent et reputant eum sanctum et tamquam ad sanctum in suis necessitatibus et infirmitatibus recurrunt ad eum recommendando et devovendo se ei. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxvij.

Rixendis uxor Raymundi Comparati, civis Carpentoratensis, etatis xxxv annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona Raymundete filie sue, dixit quod ipsa non fuit in casu filie sue supradicte, de quo et de qua habetur mencio in proximo supradicto; set audito murmure, ipsa testis que loquitur exivit de domo sua et in egressu invenit Bernardum Ruffi et vidit eum valde attonitum et pallidum, et ipsa dixit ei: « Hey, Bernarde, et quid habetis vos? intretis domum meam et quiescatis ». Quia erant vicini et amici. Et ipse respondit: « Domina, dimittatis me ire ». Ita quod ipse citius quo potuit [2] recessit ab ea, sicut ille qui multum timebat, pro eo quod ex eius equitacione et impetu filia eiusdem Rixendis, scilicet

[1] Sic. [2] Cod. *cito potuit.*

Raymundeta, de qua fuit facta * mencio in proximo supradicto, oppressa fuerat et mortua; quod ipsa Rixendis que loquitur totaliter ignorabat. Et cum dicta Rixendis ultra procederet, fuit sibi nunciatum et dictum quod dicta filia sua fuerat mortua per talem casum. Quo audito, ipsa testis que loquitur respersa amaritudine venit ad locum in quo filia sua iacebat mortua, et vidit et invenit eam cum collo rupto et pendente ad partem, et ipsa elevavit bis caput dicte filie volens erigere, et continuo redibat et inclinabat ruptum; et erat tota livida plena spuma in ore et nullum signum vite apparebat in ea. Dicta vero Ryxendis, videns quod remedium non erat, nisi Deus miraculose vellet operari, convertit occulos et se ipsam ad celos et incepit cum multa devocione et lacrimis invocare beatum Ludovicum flebiliter supplicando quod impetraret apud Deum ut filia sua non privaretur et quod eam restitueret sibi vivam, et devovit eam sibi promittendo quod ipsa discalciata una cum filia sua venirent ad sepulturam ipsius et portarent sibi unam ymaginem de cera; quod et fecerunt, ut dixit. Et quasi statim [1] post votum dicta filia sua dixit hec verba: « O mater Dei! »; et non dixit plus tunc. Et post aliqualem quietem dicte filie fuit portata dicta filia in una culcitra ad domum Raymundi Comparati patris sui, ubi stetit tota attonita et tota cassata per octo dies; comedebat tamen et bibebat aliqua restaurativa; et post illos octo dies ipsa incepit ire et plene loqui et intelligere et cognoscere sicut fecerat ante casum, sicut ipsa testis que loquitur dixit, nec aliquod vestigium fracture vel rupture, lesionis vel occisionis ulterius [2] remansit in ea. Et postea per graciam Dei * continuo sana fuit et est adhuc, ut dixit. Interrogata cuius etatis erat filia sua quando accidit sibi dictus casus, dixit quod sex annorum. Interrogata de tempore dicti casus, dixit quod sunt octo anni, et credit et tenet firmiter quod propter invocacionem et devocionem quam ipsa habuit ad beatum Ludovicum dicta filia sua mortua fuit vite restituta, ut dixit. Dixit eciam quod fama est et vox publica in civitate et dyocesi et communiter in Provincia quod propter bonam et sanctam vitam et merita beati Ludovici Deus fecit et facit multa miracula; et adiecit eciam quod gentes tocius patrie habent et tenent eum pro sancto et tamquam ad sanctum recursum habent ad eum in infirmitatibus et necessitatibus suis, et inveniunt salubria remedia, ut dixit. Interrogata si informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Margin: * f. 6
* f. 6

Super eodem miraculo.

Cap. lxviij.

Raymundus Comparati, civis Carpentoratensis, pater dicte Raymundete, etatis XLV annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona dicte filie sue, dixit quod ipse non fuit presens in dicto casu nec vidit eam mortuam; set postea audivit dici publice quod dicta filia sua fuerat oppressa et mortua modo et forma quibus supra dictum est. Audivit eciam dici quod dicta Ryxendis uxor sua flens et dolens de morte dicte filie sue cum magnis lacrimis et intencione devota devoverat eam beato Ludovico et quod promiserat ei quod veniret discalciata aput Massiliam et secum adduceret dictam filiam suam cum una ymagine cere et eius tumulum visitaret. Et audivit

---

[1] Cod. *statū.* [2] Cod. *alterius.*

eciam dici ipse testis quod statim post votum predictum dicta filia sua, que erat mortua, dixit hec verba: « O mater Dei! » Post hec venit ipse qui loquitur ad locum *65c* ubi erat dicta filia sua et vidit * et invenit eam ibi totam attonitam et cassatam, et mater ipsius testis qui loquitur erat presens et multi alii eciam qui dixerunt sibi: « Pro Deo, dimittatis eam stare, quia pro vero beatus Ludovicus resuscitavit eam ». Et eodem die post vesperos dicta filia fuit portata ad domum testis qui loquitur et infra octo dies incepit ire et fuit plene curata, ut dixit. Et credit et tenet pro firmo quod filia sua predicta fuit vite reddita per devotam et lacrimabilem invocacionem diete matris sue et merita beati Ludovici. Interrogatus cuius etatis erat dicta filia sua quando sibi contigit dictus casus, dixit quod sex annorum. Interrogatus de tempore dicti casus, dixit quod sunt octo anni. De fama miraculorum et sanctitate beati Ludovici et si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit ut uxor sua testis immediate precedens. Dixit eciam quod dicta uxor sua complevit votum predictum una cum dicta filia sua, et ipse cum eis, ut dixit.

Incipiunt miracula de cecis illuminatis et de maculis in oculis effugatis per invocacionem et merita beati Ludovici quondam episcopi Tholosani, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. lxix.

Berenguaria Oliveria de Massilia, etatis xxx^{ta} annorum vel circa, ut dixit, iurata et diligenter interrogata super miraculo facto in persona propria, que ceca a casu dicitur fuisse et postea visum recuperasse meritis beati Ludovici, dixit quod ipsa habuit febrem et postquam cessavit febris amisit visum oculi dextri totaliter, et de sinistro valde parum videbat. Et uno sero maritus suus, cui de novo nupserat, dixit sibi quod poneret mensam quia volebat cenare, et ista que loquitur incepit ire ce- *65d* cuciens per domum querendo tobaliam, * et cum ita iret, dixit ei maritus: « Hoy, marida, quid queris? »; et ipsa dixit: « Ego quero tobaliam ». Et tunc ipse dixit: « O misera, et iam habes ante oculos tuos: es ceca? » Et ipsa eru[bu]it sicut de novo nupta, marito dicente: « Quomodo contraxi ego cum muliere ceca? » Tunc ipsa incepit dolere fortiter. Et fuit in illa cecitate per unum mensem, qua durante una mulier et dictus maritus suus dixerunt sibi quod devoveret se beato Ludovico filio regis, qui multa miracula faciebat, et ipsa respondit: « Quomodo iste filius regis curabit me, quia ego invocavi multos sanctos qui sunt in paradiso, et non impetravi remedium nec sensi? » Nichilominus tamen ipsa habens fiduciam in beato Ludovico flexit genua et prostrata in terram ploravit et devovit se beato Ludovico et promisit sibi quod si daret ei sanitatem et redderet sibi visum [1] ipsa portaret sibi oculos de cera et unum scandale; quo dicto, surgens de loco ubi erat prostrata levavit oculos et vidit integre et perfecte. Interrogata de tempore quo istud contigit sibi, dixit quod illo anno quo corpus beati Ludovici fuit apportatum Massilie et sepultum in ecclesia fratrum Minorum eiusdem civitatis. Interrogata de hiis qui erant presentes quando fecit votum, dixit quod dumtaxat quedam vicina sua que vocatur Peyrona forneria, ad cuius suasionem ipsa [2] dictum votum emisit. Dixit eciam quod ipsa credit et tenet pro firmo quod ipsa recuperavit visum propter sanctitatem et merita beati Ludovici,

[1] Cod. add *quod.* [2] Cod. *ipse.*

et de hoc tunc erat fama in vicina sua, ut dixit. Interrogata si est publica vox et fama in civitate Massilie et in Provincia et alibi quod beatus Ludovicus sit sanctus et pro sancto communiter habeatur et quod Deus, propter bonam vitam et sanctitatem suam et merita, multa miracula fecerit et faciat, dixit quod sic, et * ipsa credit et * f. 6 tenet pro firmo ita esse. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur a multis communiter. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxx.

Hugo Martini, civis Massiliensis, etatis XL annorum, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona dicte Berenguarie uxoris sue, dixit quod dicta uxor sua fuit infirma de febre, et postquam febris dimisit eam supervenit ei defectus visus, ita quod nichil videbat secundum [1] quod dicta uxor sua dicebat ei, et ipse credit quod verum diceret pro eo quia quando ibat per domum vel alibi unus filius quem habebant communem ducebat eam per manum, et istud duravit sibi multis diebus, et audivit quando dicta uxor sua plangendo et plorando devovit se beato Ludovico promittendo sibi quod si redderet sibi visum, portaret et offerret beato Ludovico duos oculos cere et unum scandale. Et, facto voto, statim curata fuit et recuperavit visum, et ex tunc bene vidit et videt adhuc, ut dixit. Interrogatus de tempore quo istud contigit, dixit quod illo anno quo corpus beati Ludovici fuit aportatum et sepultum Massilie vel anno sequenti, quia non recordatur quo annorum istorum fuit. Interrogatus de astantibus quando dicta uxor sua se devovit beato Ludovico, dixit quod ipse qui loquitur et quedam vicina sua vocata Peyrona forneria. Dixit eciam quod tota vicina sua sciebat defectum visus dicte uxoris sue et quomodo per invocacionem et meritis beati Ludovici postea fuerat miraculose sanata et recuperaverat visum suum. Interrogatus si est fama Massilie et communiter in Provincia et in aliis regionibus quod, propter sanctam vitam et merita beati Ludovici, * Deus fecerit et * f. 6 faciat multa miracula, et si gentes in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipse credit pro firmo quod sit sanctus. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore, instructus vel informatus ab aliquo ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quodam ceco illuminato meritis dicti sancti.

Cap. lxxj.

Hugo Gregorii de Baguholis, Foroiuliensis diocesis, etatis XL^ta annorum, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona ipsius meritis beati Ludovici, dixit quod post Natale Domini proximo [2] transactum, cum ipse esset in lecto suo, surrexit propter requisita nature, et cum rediisset ad lectum suum et dormivisset, in crastinum quando surrexit nichil breviter vidit, ymmo sensit se

[1] Cod. *ſʒ* = *set.* [2] Sic.

omnino privatum virtute visiva; et sic non videndo stetit tribus mensibus, sicut dixit, ita quod non poterat laborare nec panem lucrari nec opera aliqua facere propter defectum visus; et filie quas habebat alternis [1] vicibus ducebant eum et pascebant, et socrus et uxor sua, ut dixit. Demum ipse qui loquitur, in ista cecitate et anxietate positus, duabus noctibus successive vidit beatum Ludovicum in sompnis in quadam ecclesia valde magna, et erat ita illuminata et plena fulgore quod res mirabilis videbatur. Et postea ipse qui loquitur, memor istarum visionum, devovit se beato Ludovico, promittens ei quod si sibi restitueret visum suum ipse veniret apud Massiliam et eius tumulum visitaret. Et voto emisso, statim visum recuperavit, ut dixit. Et supponit et credit et tenet pro firmo quod hoc fuit factum miraculose per invocacionem et merita beati Ludovici; et dixit quod ipse venit modo apud Massiliam causa complendi dictum votum. Dixit eciam quod fama est et vox publica in dyocesi Foroiuliensi et
64c in Provincia quod Deus fecit et facit multa miracula * per invocacionem et merita beati Ludovici, et quod gentes dictorum locorum tenent eum pro sancto et tamquam ad sanctum recurrunt ad eum et in infirmitatibus et necessitatibus suis, et eius meritis salubria remedia consequuntur. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore, aut instructus vel informatus a quoquam ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quodam homine qui habebat plures maculas in occulis et fuit curatus per invocationem et merita dicti beati Ludovici.

Cap. lxxij.

Stephanus Blancardi de civitate Sancti Pauli in comitatu Venecini, etatis LX annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super eo quod dicitur habuisse plures maculas in oculis, ita quod de destro occulo nichil videbat et de alio valde parum, dixit quod uxor sua et multi alii, qui viderunt quod ipse habebat multas maculas in occulis et quod non videbat, dixerunt sibi; ipse tamen nesciebat nec numerum macularum vel quis [2] morbus erat; set ipse dixit quod de dextro occulo nichil videbat et de alio valde parum, ymmo et ad mensam et ad lectum ducebatur per manum. Postea uxor sua, eo presente, devovit eum beato Ludovico et promisit sibi unam libram cere, et ipse audito voto et promissione gavisus fuit et habuit magnam fiduciam de sanitate sua in beato Ludovico; et statim incepit morbus diminui, ita quod infra paucos dies perfecte curatus fuit. Et dictus morbus duraverat sibi per xv^{cim} dies et plus, ut dixit; et dum duravit sibi dictus morbus affligebatur multum. Et dixit quod bene sunt iiii^{or} anni quod habuit dictam infirmitatem, et credit pro firmo quod ipse fuit a dicto morbo meritis beati Ludovici perfecte curatus. Interrogatus si est fama in dicto comitatu Venecini et in locis circumvicinis et in Provincia quod [3] propter sanctam et perfectam vitam quam tenuit
64d et habuit beatus Ludovicus dum vivebat et propter merita sua ipse sit sanctus * et Deus faciat et fecit multa miracula pro eo, dixit quod sic, et ipse credit pro firmo quod ipse sit sanctus. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

[1] Cod. *alteri9.* [2] Sic. [3] Cod. *et.*

Super eodem miraculo.

Cap. lxxiij.

Peyrona Blancarda, uxor dicti Stephani Blancardi, de civitate Sancti Pauli in comitatu Venecini, testis producta, iurata et diligenter interrogata super predicto proximo miraculo facto in persona dicti [1] Stephani mariti sui, dixit quod dictus maritus suus habebat multas maculas in oculis, ita quod perdiderat visum, et stetit sic uno mense et plus, et ducebatur per manum ad mensam et ad lectum et alia loca ad que debebat ire. Postea testis que loquitur, marito suo predicto compaciens, devovit eum beato Ludovico et promisit sibi libram cere si restitueret sibi visum, et ipsamet portaret dictam libram cere ad sepulturam ipsius. Quo voto facto in presencia dicti mariti sui, dicto marito multum placuit et habuit fiduciam magnam in beato Ludovico; et infra octo dies a die voti ille macule evanuerunt et ipse recuperavit visum, et vidit perfecte et adhuc videt sicut prius. Interrogata de tempore quo ista contigerunt, dixit [quod] sunt iiij^{or} anni vel circa, et ipsa credit [2] et tenet pro firmo quod per invocacionem et meritis beati Ludovici dictus maritus suus recuperavit visum. Interrogata de hiis qui sciebant infirmitatem occulorum dicti mariti sui, dixit quod Odo de Chepcilhana et uxor sua et Poncius Barnandi [3] et uxor ipsius et multi alii vicini, ut dixit. Interrogata si est communis fama et vox publica in dicto comitatu Venecini quod, propter bonam et sanctam vitam quam habuit et tenuit beatus Ludovicus dum vixit, Deus faciat et fecerit multa miracula et quod sit sanctus, dixit quod sic, et ipsa credit quod ipse sit sanctus et tenetur * pro sancto in predictis *f. 6 locis, ut dixit, et quod multum confidunt in eo. Interrogata si instructa vel informata a quoquam, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; set solum pro eo quia de predictis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxiiij.

Guigo [4] Blancardi filius dicti Stephani Blancardi, etatis xviij annorum, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super predicto miraculo facto in persona predicti Stephani patris sui, dixit quod ipse vidit dictum patrem suum multas habere maculas in occulis et multi dicebant quod nichil videbat [5]; et ipse vidit frequenter quod mater sua ipsius qui loquitur ducebat eum per manum ad mensam et ad lectum, et dicta infirmitas duravit sibi longo tempore. Postea dixit quod mater sua dixerat sibi quod ipsa devoverat dictum patrem suum beato Ludovico et promiserat sibi unam libram cere, si eum curaret a dicta oculorum infirmitate; et infra paucos dies post votum dixit quod ipse vidit dictum patrem suum curatum et sine maculis et quod perfecte videbat sicut prius. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt iiij^{or} anni vel circa, ut sibi videtur, et ipse credit pro firmo quod pater suus fuerit miraculose curatus a dicta infirmitate meritis beati Ludovici. Interrogatus si est fama communiter in dicto comitatu Venecini quod, propter sanctam et perfectam vitam et merita beati Ludovici, Deus faciat et fecerit multa miracula et si tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipse credit et tenet pro firmo quod

---

[1] Cod. *sancti*. [2] Cod. *credet*. [3] Sic. [4] Sic. [5] Cod. *audebat*.

sit sanctus. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; sed quia de predictis veritas sic se habet.

Item de maculis habes in deposicione Gauffride Rosse; quere inferius capitulo de incredulis, folio lxxxxvii[i]j [1].

65b * **In nomine Domini, amen. Incipiunt miracula de surdis restitutis per invocacionem et merita beati Ludovici quondam episcopi Tholosani.**

Cap. lxxv.

Rixenda de Fayensa, filia Guillelmi de Fayensa militis, Foroiuliensis diocesis, etatis xx^ti annorum vel circa, ut dixit, iurata et diligenter interrogata super eo quod dicitur stetisse surda per plures annos et postea per invocacionem beati Ludovici fuisse curata, narravit et dixit quod cum ipsa erat parvula, et nutrix que nutriebat eam teneret eam in brachiis suis, proiecit eam ad terram, sicut ipsa testis postea audivit dici a matre sua et a multis aliis, ita quod ex illo casu sanguis multus [2] exivit de aure sua sinistra, ita quod, ipsa crescente, mater sua, cum ipsa testis esset in etate quod posset aliquid [3] audire, vocabat eam surdam, et hoc bene recordatur quod aliquó tempore audivit illud verbum a matre et ab aliis de domo patris sui, set non intelligebat quod volebat dicere; et eius etate crescente crescebat in ea surditas et eius obturbabatur auditus ex utraque parte tam a sinistra quam a dextra, ita quod videbatur sibi quod quasi examen apum et bundimentum in eius auribus continuo resonabant, ut dixit. Et circa finem quarti anni sue etatis, ipsa que loquitur incepit cognoscere huiusmodi surditatem; set de anteriori tempore non recordatur nisi quantum vocabatur surda, ut dixit. Et duravit sibi postea illa surditas per octo annos et plus, ut dixit. Et tunc pater suus, habens intencionem et devocionem ad beatum Ludovicum, devovit eam beato Ludovico, qui est sepultus in Massilia, promittens ei unum caput de cera; et voto emisso infra quatuor dies cessavit omnis illa surditas et bundimentum, et ipsa plene et libere audivit et postea sine aliquo impedimento. Et ipsa multum fuit consolata et leta quando audivit quod pater devoverat eam
65c beato Ludovico. Interrogata quantum tempus est quod fuit * factum votum et dicta promissio, dixit quod sunt sex anni vel circa, sicut credit et audivit dici a dicto patre suo. Dixit eciam quod ipsa credit et supponit pro firmo quod propter invocacionem et merita beati Ludovici predicti ipsa fuit a dicta surditate curata et liberata. Interrogata si est fama in predicto loco de Fayensa et in locis circumvicinis et communiter in Provincia quod Deus, propter merita et sanctam et perfectam vitam beati Ludovici, facit et fecerit multa miracula et si gentes tenent eum pro sancto in dictis locis, dixit quod sic, et ipsa credit et tenet pro firmo quod sit sanctus. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxvj.

Guillelmus de Fayensa, miles, etatis lx annorum vel circa, ut dixit, testis iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto facto in persona dicte

[1] Cap. CLXXXVII. [2] Cod. *vultus*. [3] Cod. *aliquod*.

Rixende filie sue, dixit quod nutrix, que nutrivit dictam Rixendam filiam suam eo tempore quo lactabat eam, proiecit filiam suam ad terram, et ex illo casu de aure sinistra dicte filie sue exivit sanguis satis in magna quantitate; et cum pervenisset dicta filia ad etatem duorum annorum vel circa perceperunt ipse pater et mater sua quod dicta filia nichil audiebat, et quod, ea crescente, surditas eciam crescebat in ea. Et cum ipsa filia sic surda pervenisset ad etatem tredecim annorum vel circa, ipse testis dolens de ea, eo quod ita esset surda, et audivisset quod Deus multa et aperta miracula faciebat meritis beati Ludovici qui iacet Massilie, devovit dictam filiam suam beato Ludovico et promisit sibi unum capud de cera et quod visitaret eius sepulcrum et eam secum adduceret ad [1] eius tumulum; quod et fecit, ut dixit. Et infra iiijor dies filia sua fuit a dicta surditate perfecte curata * et liberata, ut *f. dixit; et credit et supponit pro firmo quod ipsa fuerit curata propter invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus si est fama et vox publica in dicto loco de Fayensa et in locis circumvicinis quod Deus, propter sanctam et perfectam vitam quam tenuit et servavit beatus Ludovicus quamdiu vixit, et faciat et fecerit multa miracula, et si gentes in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipse credit pro certo quod sit sanctus, ut dixit. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore, aut instructus vel informatus a quoquam ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxvij.

Blacacius [2] de Fayensa, filius dicti Guillelmi militis, etatis xxiiijor annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo facto in persona dicte Ryxende sororis sue, dixit quod ipse audivit dici a parentibus suis quod nutrix dicte sororis sue proiecit eam ad terram, ita quod sanguis exivit de una aure sua sinistre [2], et ex tunc, ut audivit dici, incepit esse surda, et quando magis crescebat in etate magis crescebat in ea surditas. Dixit eciam ipse qui loquitur quod ipse vidit eam per quinque annos et plus surdam omnino et quod interdum vocabant eam [3] ipse et alii familiares de domo surdam, et credebant quod nullo modo posset a dicta surditate curari, et verecundabantur quod ita erat surda, ita quod magis vellent mortem quam vitam eius. Et postea audivit dici quod dictus pater suus, videns anxietatem dicte sororis sue, devovit eam beato Ludovico, promittens eidem unum caput cere et quod visitaret sepulcrum eius; quod et fecit, sicut dixit. Audivit eciam quod post dictum votum infra triduum dicta soror sua fuit a dicta surditate penitus curata et liberata, et ipse testis qui loquitur vidit eam tunc curatam et miratus fuit multum quando vidit et audivit sororem suam * curatam et *f. quod ita bene audiret; et credit pro firmo quod dicta soror sua fuerit curata et habuerit auditum liberum miraculose per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus quantum tempus est quod pater suus devovit dictam sororem suam beato Ludovico, dixit quod sunt quinque anni vel sex, ut credit. Interrogatus si est fama in loco de Fayensa et in locis circumvicinis quod propter sanctam et perfectam vitam beati Ludovici Deus faciat et fecerit multa miracula et quod sit sanctus, et si

---

[1] Cod. *et*. [2] Sic. [3] Cod. *eum*.

ipse credit hoc, dixit quod sic. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxviij.

Guillelmus de Fayensa, filius dicti domini Guillelmi de Fayensa militis, etatis xviij^{to} annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto facto in persona Rixende sororis sue predicte, dixit quod nutrix dicte sororis sue proiecit eam ad terram, sicut audivit dici a patre et matre eorumdem, et quod propter illum casum semper stetit surda usque pervenit ad etatem xiij^{cim} annorum vel circa, ut dixit; et bene recordatur quod semper vidit eam tunc temporis surdam, et quod nichil penitus audiebat; set de tempore per quod fuerat ante in dicta surditate, dixit se non recordari, quia iuvenis erat. Dixit tamen quod bene recordatur quando pater suus devovit eam et de promissione quam fecit beato Ludovico, quia ipse qui loquitur erat presens, ut dixit. Dixit eciam ipse qui loquitur quod post votum predictum infra iiij^{or} dies vidit dictam sororem suam perfecte curatam et quod bene audiebat, et adhuc audit bene, ut dixit. Dixit eciam quod ipse credebat tunc quod nullo modo posset tunc dicta soror sua a dicta surditate curari, et credit et tenet pro firmo quod propter invocacionem et merita
56b beati Ludovici fuerit a dicta surditate et infirmitate curata et * liberata. Interrogatus de tempore quo pater suus devovit eam beato Ludovico, dixit quod sunt sex anni. Interrogatus si est fama in loco de Fayensa predicto et comuniter in Provincia et in aliis regionibus quod Deus, propter sanctam et perfectam vitam quam habuit quamdiu vixit dictus dominus Ludovicus, faciat et fecerit multa miracula et si tene[n]t eum pro sancto in locis memoratis, dixit quod sic, et ipse tenet et credit pro firmo quod sit sanctus, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quodam surdo[1] curato et liberato per invocacionem et merita dicti sancti.

Cap. lxxix.

Anthonius Sparroni, castri de Curbano, Vapincensis diocesis, etatis lx^{ta} annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona sua propria meritis beati Ludovici, dixit quod xl^{cim} anni sunt vel circa, quod, cum ipse esset in statu quod plene et bene audiebat et intelligebat a tempore quo habuit plene sui ipsius noticiam usque tunc, plene et libere audivisset et intellexisset, et homines sibi loquentes et strepitum gencium et animalium et pulsacionem campanarum plene intelligeret et audiret, supervenit sibi talis casus quod ita effectus fuit surdus propter frigus quod in montibus sibi supervenit, ita quod penitus intellectum perdidit et auditum. Et sic in ista surditate fuit per triennium, ita quod nonnulli vicini faciebant derisiones suas de eo. Et demum, intellecto quod beatus

[1] Cod. *surda*.

Ludovicus tot miracula faciebat, devovit se ei et promisit sibi duas aures de cera et venire ad tumulum ipsius, et habendo magnam devocionem ad eum et supplicando quod sibi redderet auditum; et incontinenti, voto emisso, ipse qui loquitur incepit audire et intelligere, et perfecte recuperavit auditum, ut dixit. Et ex tunc usque nunc * bene audivit et intellexit. Interrogatus de tempore quo fecit votum et fuit curatus * f. et recuperavit auditum, dixit quod sunt octo anni et plus. Et dixit quod ipse credit et tenet pro firmo quod ipse fuit curatus a dicta surditate per invocacionem et merita beati Ludovici; et vicini sui omnes, ut dixit, sciebant quod ipse erat surdus et steterat per tantum temporis, ut dictum est. Interrogatus si est fama in dicto loco de Curbano et communiter in Provincia quod [1] propter merita beati Ludovici Deus faciat et fecerit multa miracula, et si gentes in dictis locis dicunt quod sit sanctus et reputant eum sanctum, dixit quod sic, et quod multum confidunt in eo et tamquam sanctum reputant eum et implorant eius auxilium in necessitatibus suis; et ipse tenet et credit pro firmo quod sit sanctus, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxx.

Guillelmus Iuliani, dicti loci de Curbano, etatis xxxv annorum et ultra, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo, dixit quod ipse novit dictum Anthonium sunt triginta anni, et quod sunt et fuerunt vicini in dicto castro de Curbano, et idem Anthonius [2] frequentissime sicut vicinus loquebatur ipsi testi qui loquitur, et tunc plene et libere audiebat et intelligebat usque ad tempus in quo supervenit sibi quedam surditas que dictum Anthonium privavit auditu. Interrogatus quomodo scit quod ipse esset ita surdus, respondit quia ipse qui loquitur sepissime sicut vicino, et salutando et alio modo quando obviavit, ei loquebatur, et dictus Anthonius non respondebat nec audiebat nisi premissis signis aliquibus, ut dixit. Et dixit ipse testis qui loquitur quod in ista surditate viderat quod stetit et fuit dictus Anthonius per annum et plus, et quod hoc sciebant et videbant quasi cotidie omnes vicini sui, et de hoc erat fama publica in castro supradicto. Dixit eciam quod ipse testis qui loquitur cum dicto Anthonio, qui devoverat se beato Ludovico, * * f ut audivit dici ab eodem Anthonio, venerunt apud Massiliam ad visitandum tumulum beati Ludovici, et in veniendo dictus Anthonius audiebat et intelligebat, et eciam antequam recessissent de dicto castro idem testis qui loquitur percepit et cognovit quod dicta surditas recesserat ab eo, ut dixit. Interrogatus de tempore quo vidit eum surdum, dixit quod sunt x anni et plus. Interrogatus de tempore quo agnovit et cognovit eum a dicta infirmitate curatum, dixit quod sunt ix anni vel circa, et postea vidit dictum Anthonium perfecte audiente[m] et intelligentem et a dicta surditate curatum, ut dixit. Interrogatus quomodo dicta surditas dicto Anthonio supervenit, dixit quod nescit. Et dixit idem testis quod ipse credit et tenet pro firmo quod dictus Anthonius fuit curatus a dicta surditate per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus si est fama in dicto castro de Curbano et communiter in Provincia quod

---

[1] Cod. *et*. [2] Cod. *Guillelmus*.

propter merita beati Ludovici Deus fecerit et faciat multa miracula, et si gentes in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et quod tamquam ad sanctum recurrunt ad eum et recommendant se sibi et recursum habent ad eum in adversis et in infirmitatibus suis, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

In nomine Domini, amen. Incipiunt miracula de mutis restitutis meritis eiusdem beati Ludovici quondam episcopi Tholosani, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. lxxxj.

Petrus Picoti de Areis, dyocesis Tholonensis, etatis xxv annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super eo quod ipse dicitur per unum mensem et ultra perdidisse loquelam et lingue officium et fuisset mutus, dixit quod in mense iulii pro-
57ª ximo venturo erunt IIIIor anni quod arripuit eum febris valida, * et langueraf per octo dies de illa febre. Postea contigit casus quod ipse perdidit loquelam et effectus est mutus, ita quod nec loqui poterat nec alios loquentes sibi plene audire, et in illo statu stetit per unum mensem et plus. Quo viso, quedam avia sua devovit eum beato Ludovico et adduxit eum ad sepulchrum suum apud Massiliam in domo fratrum Minorum in die beati Laurencii sequenti [1]. Et cum dictus testis qui loquitur multum desideraret, sicut dixit, remanere in nocte in ecclesia fratrum Minorum iuxta sepulcrum beati Ludovici, fratres Minores non permiserunt, set quod reverteretur in crastinum ad ecclesiam et tumulum beati Ludovici. Et eo qui loquitur in crastinum beati Laurencii ad sepulcrum beati Ludovici reverso, cum Missa diceretur alta voce a Fratribus, ipse qui magnam fiduciam habebat in beato Ludovico, incepit loqui et locutus est hec verba: « Domine sancte Ludovice, adiuva me ». Missa vero completa et eo qui loquitur in sua devocione et fiducia permanente, sicut ipse dixit, recuperavit lingue officium et incepit loqui libere, sicut loquebatur antequam hec infirmitas et defectus loquele obvenissent. Dixit eciam quod dum erat in illo statu, ipse habebat magnam fiduciam in corde suo ad beatum Ludovicum et frequenter invocabat eum in corde et eius auxilium, nec aliquo opere medicinali vel humano adiutorio, set beneficio beati Ludovici dumtaxat, sicut dixit, se reputat restitutum. Interrogatus si est fama Massilie et in Provincia quod beatus Ludovicus sit sanctus et habeatur pro sancto ibi et si Deus faciat et fecerit, propter vitam bonam quam habuit et merita, multa miracula, dixit quod sic. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod comuniter a multis dicitur. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore,
57ᵇ instructus vel informatus a quoquam sic testificaverit in * predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxxij.

Iacoba Picotana de Areis, Tholonensis diocesis, etatis XLta annorum et ultra, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona Petri Picoti de Areis nepotis sui, super eo quod ipse

[1] Idest, 10 augusti.

dicebatur perdidisse loquelam et lingue officium per mensem et ultra et recuperasse per invocacionem et merita beati Ludovici, dixit quod bene sunt tres anni et ultra quod Petrus Picoti nepos ipsius testis que loquitur per unum mensem ante festum beati Laurencii et ultra amisit officium lingue et loquelam, ita quod loqui non poterat nec eciam audire, ut dixit. Et cum sic stetisset, ipsa testis que loquitur devovit eum beato Ludovico, devote eius implorando auxilium et promittendo quod si apud Deum impetraret sibi graciam ut dicto nepoti suo beneficium lingue et loquela[m] redderet ac eciam auditum et ad statum pristinum reduceret ut posset loqui et audire libere sicut prius, ipsum adduceret ad tumulum suum et annis singulis dictus P(etrus) et soror sua eius tumulum visitarent. Et postea cum ipsa testis que loquitur in vigilia beati Laurencii dictum P(etrum) ad ecclesiam fratrum Minorum Massilie, ubi iacet corpus beati Ludovici, adduxisset de sero et vellent in eadem ecclesia ad honorem beati Ludovici vigilare, Fratres non permiserunt, et tunc recesserunt de ecclesia, alibi divertentes. Et in crastinum summo mane ad ipsam ecclesiam redierunt visitantes tumulum beati Ludovici, ubi steterunt usque ad Missam maiorem. Et dum Missa diceretur, dictus P(etrus) Picoti, qui erat iuxta tumulum beati Ludovici, incepit clamare alta voce elevatis occulis et iunctis manibus: « Sancte Ludovice, succurre michi; sancte Ludovice, adiuva me ». Et hoc dixit bis vel ter per valde modica intervalla dum Missa celebratur. Et ab illa hora in antea * loquutus fuit recte, et adhuc loquitur, et audivit et audit. Et credit firmiter quod propter bonitatem et sanctitatem et merita beati Ludovici dictus P(etrus) Picoti miraculose loquelam recuperavit, et eciam auditum. Interrogata si est fama in civitate Massilie et in Provincia et alibi quod Deus fecit et facit frequenter miracula meritis beati Ludovici, dixit quod sic. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur comuniter a pluribus. Interrogata si informata vel instructa ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quadam muliere que dicitur fuisse muta et postea restituta meritis beati Ludovici.

Cap. lxxxiij.

Alaracia Amigua de Campis, Aquensis diocesis, etatis xxv annorum vel circa, ut dixit, iurata et diligenter interrogata super eo quod dicitur stetisse muta et amisisse omnino officium lingue et postea recuperasse loquelam meritis beati Ludovici, dixit quod sunt decem anni quod mater sua misit eam pro vendendo blado, et cum ipsa que loquitur transibat per cimiterium ecclesie de Campis, dum erat in transitu irruit in eam unus dolor circa cor, et cecidit ad terram et perdidit loquelam subito et effecta fuit muta et impotens de uno brachio, et sic stetit muta et impotens per unum mensem, ut dixit. Et licet ipsa audiret et intelligeret alios loquentes, ipsa tamen nullum poterat dare verbum vel responsum eisdem. Et una die contigit quod quidam Frater de sancto Anthonio persuasit matri ipsius testis que loquitur quod devoveret eam beato Ludovico, et ipsa testis multum gerebat in corde quod beatus Ludovicus liberaret eam ab isto impedimento ac redderet ei loquelam. Et audito quod Frater predictus dixerat illud matri sue complosuit manus suas, sicut illa que confidebat in beato Ludovico, et tunc mater sua devovit eam beato Ludovico, promittendo quod eam adduceret * cum una libra cere ad tumulum suum. Et facto voto, inmediate

solutum fuit vinculum lingue eius, et recte locuta fuit et adhuc recte loquitur, more muliebri, ut dixit. Et dixit quod ipsa tenet et supponit pro firmo quod ipsa fuit curata a dicto impedimento lingue per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata de personis que viderunt eam in predicta impotencia loquendi, dixit quod mater sua et due sorores sue, scilicet Beatrix et Hugueta, et quasi comuniter omnes homines dicti loci de Campis. Dixit eciam quod fama est in dicto loco de Campis et in Provincia quod propter merita beati Ludovici Deus facit et fecit multa miracula, et quod gentes in dictis locis tenent eum pro sancto et reputant eum sanctum et tamquam ad sanctum recurrunt ad eum devovendo et recommendando se ei. Interrogata si instructa vel informata a quoquam ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxxiiij.

Stephana Andriodesa, mater dicte Alaracie, dicti loci de Campis, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto facto in persona dicte filie sue, dixit quod decem anni sunt quod una die ipsa misit dictam filiam suam Alaraciam ad vendendum bladum in dicto loco de Campis, et cum dicta filia sua revenisset ad domum suam mater sua testis que loquitur vidit ipsam de uno brachio suo et de manu eiusdem brachii totaliter paraliticam et inpotentem factam, et ipsa mater stupefacta propter casum predictum, peciit ab ea quomodo istud sibi acciderat, et tunc ipsa filia nichil sibi potuit respondere nec aliquid [1] sibi loqui, et tunc percepit mater sua quod omnino amiserat loquelam. Quod quidem verum erat, scilicet quod amiserat loquelam et effecta erat
68a muta; et sic postmodum stetit mu-*ta et inpotens de uno brachio suo per unum mensem. Et una die quidam Frater de sancto Anthonio videns dictam Alaraciam sic inpotentem et mutam, persuasit eidem testi que loquitur quod devoveret dictam filiam suam beato Ludovico. Quod et fecit, ut dixit, et promisit beato Ludovico quod si redderet loquelam dicte filie sue et curaret eam a dicta inpotencia, [2] ipsa adduceret eam ad sepulcrum suum cum una libra cere. Et statim, emisso voto, dicta filia sua recuperavit loquelam suam et recte incepit loqui et adhuc eciam recte loquitur, et fuit perfecte a dicta brachii inpotencia curata et liberata. Et credit et tenet pro firmo quod ipsa fuit curata et liberata per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata de personis que sciunt hoc et viderunt, dixit quod Beatrix et Hugueta, sorores dicte Alaracie, et Iohannes Guittardi et Guillelmus Martini sutor et quasi omnes homines dicti loci, ut dixit. Interrogata si est fama in dicto loco de Campis et in Provincia quod propter invocacionem et merita beati Ludovici Deus fecerit et faciat multa miracula, et si gentes in dictis locis dicunt quod sit sanctus et reputant eum sanctum, dixit quod sic, et ipsa credit et tenet pro firmo quod sit sanctus, et quod gentes dictorum locorum in suis necessitatibus et infirmitatibus implorant eius auxilium et devovent se sibi et inveniunt remedia salubria, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

---

[1] Cod. *aliquod*. [2] Cod. repetit *quod*.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxxv.

Iohannes Guittardi, dicti loci de Campis, notarius, etatis xxxv annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona dicte Alaracie Amigue de Campis, dixit quod ipse novit * et vidit dictam Alaraciam sunt xx^ti anni, quia vicina sua est, et vidit eam cum lingua bene ordinata et facunda, et loquebatur sicut cetere mulieres. Successu vero temporis, sunt octo anni, set non recordatur de die qua fuit dicta Alaracia ita paraliticata in lingua et inpotens facta quod loqui non poterat et si loquebatur non tamen intelligebatur, sicut dixit testis qui loquitur; et sic stetit fere duobus mensibus. Quomodo vero sibi contigit ille casus, ipse nescit, ut dixit; set miratus fuit valde et ipse et alii vicini sui quando videbant eam ita paraliticam et in lingua inpotentem effectam. Postea vidit eam testis qui loquitur perfecte curatam de lingua et recte loquentem sicut ante predictum casum loquebatur. Interrogatus si scit quomodo curata fuit et recuperavit usum [1] lingue, dixit se nescire, nisi quod audivit dici a matre dicte Alaracie et ab ipsa Alaracia quod mater et Alaracia predicte devoverant se venturas et visitaturas sepulcrum beati Ludovici si dicta Alaracia de dicta infirmitate curaretur; tamen testis qui loquitur non audivit votum, ut dixit, set predicte mulieres dixerunt sibi quod ita fecerant. Dixerunt eciam sibi plus, ut idem testis dixit, quod inmediate, voto predicto emisso, dictum lingue impedimentum omnino cessavit, et recuperavit eius officium et loquelam. Et dixit idem testis quod post paucos dies dicta Alaracia venit ad sepulturam beati Ludovici et complevit votum suum predictum, ut dixit. Interrogatus si ipse credit firmiter quod per invocacionem beati Ludovici et non ope medicorum dicta Alaracia fuerit curata a dicto inpedimento lingue, dixit quod sic, et ita credunt omnes vicini sui, et est fama publica in loco de Campis supradicto. Dixit eciam quod fama est et vox publica in loco predicto de Campis et in Provincia quod propter invocacionem et merita beati * Ludovici Deus facit et fecit multa miracula, et quod gentes tenent eum pro sancto et reputant eum sanctum et ad ipsum tamquam ad sanctum gentes in suis necessitatibus et infirmitatibus recurrunt eius auxilium implorando [2], et propter eius merita et invocacionem salubria remedia consecuntur, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxxvj.

Guillelmus Martini, de loco de Campis supradicto, etatis xxx^ta annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona dicte Alaracie meritis beati Ludovici, dixit quod xx^ti anni sunt quod ipse novit dictam Alaraciam, et tunc ipsa loquebatur bene et recte; set sunt decem anni vel circa quod contigit sibi casus quod perdidit officium lingue et paraliticata fuit in lingua, ita quod non poterat loqui, et ita stetit paraliticata per

[1] Cod. *visum*. [2] Cod. *imploranda*.

unum mensem vel circa. Postea vidit eam plene recuperasse lingue officium et loquelam, et mirabatur ipse et omnes vicini sui quomodo fuerat sic curata. Interrogatus testis qui loquitur si ipse scit modum curacionis predicte Alaracie, dixit se nescire, nisi quod audivit dici a dicta Alaracia quod dum ipsa erat predicto impedimento detenta ad suggestionem unius Fratris sancti Anthonii, ipsa [1] in corde devovit se beato Ludovico et promisit se venturam ad sepulcrum suum cum una ymagine unius libre cere. Dixit eciam testis qui loquitur quod dicta Alaracia dixerat sibi quod, predicto voto in corde emisso, eadem hora ipsa lingue potenciam et usum recuperavit perfecte. Dixit eciam testis qui loquitur quod ipse venit cum dicta Alaracia apud Massiliam pro ex[s]olvendo et conplendo voto predicto et quod ipse comparaverat sibi ymaginem cere, ut dixit. Interrogatus si credit quod per invocacionem
68d beati Ludovici et eius meritis dicta Alaracia * fuerit miraculose liberata a dicto inpedimento lingue, non ope hominis vel officio medicine, dixit quod sic, et est fama publica in dicto loco de Campis et inter vicinos quod cum Dei auxilio per merita beati Ludovici dicta curacio est sequuta. Dixit eciam quod fama est publica in Provincia quod beatus Ludovicus, cuius corpus est in ecclesia fratrum Minorum Massilie, multa miracula operatur, et multi habent magnam confidenciam in eodem et in suis necessitatibus et infirmitatibus ipsum invocant et ut plurimum inveniunt remedia et consolacionem in suis peticionibus apud eum. Et omnes gentes tocius Provincie dicunt et reputant ipsum sanctum, et idem testis hoc idem credit pro firmo, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

In nomine Domini, amen. Incipit capitulum de quodam claudo erecto et restituto meritis eiusdem beati Ludovici.

Cap. lxxxvij.

Iacobus Torcati de insula Sancti Genesii, Arelatensis [2] diocesis, etatis xxxv annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo facto in persona Guillelmi filii sui, narravit et dixit quod quintadecima die post nativitatem dicti filii sui ipse voluit videre filium predictum, et vidit quod tybia sua dextra cum pede erat longior sinistra tribus digitis et grossior, et hoc viso turbatus fuit quia videbatur sibi quod puer ille deberet esse claudus. Uxor autem testis qui loquitur et [3] mater dicti pueri, habens fiduciam in beato Ludovico quod eius meritis posset iuvari, devovit eum beato Ludovico per istum modum: quod, si puer devenisset ad etatem eundi qua pueri debent ire et iret recte, [4] ipsa portaret eum cum una
69a tybia de cera ad sepulcrum beati Ludovici. Et * dictus pater quando audivit votum quod fecerat dicta uxor sua, ratum habuit et placuit sibi multum, quia non erat presens quando devovit eum. Et postea, puero crescente et eunte recte, pater testis qui loquitur et dicta uxor sua duxerunt eum ad sepulcrum beati Ludovici et compleverunt dictum votum, et dictus puer fuit adductus et presentatus per patrem coram duobus inquisitoribus qui recte viderunt ipsum euntem, licet pater dixerit dictum puerum adhuc duos annos non conplevisse. Et dixit quod ipse credit pro firmo quod per invocacionem beati Ludovici tybia dicti pueri fuerit ad equalitatem debitam

[1] Cod. *ipse.* [2] Cod. *Aralatensis.* [3] Cod. add. *quod.* [4] Cod. repetit *quod.*

ducta cum alia tybia sua sinistra. Interrogatus si est fama et vox publica in dicta insula Sancti Genesii et in Provincia quod Deus meritis beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic, et credit et tenet eciam pro firmo et in dictis locis eciam gentes tenent et credunt quod ipse sit sanctus, ut dixit. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod gentes comuniter dicunt. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; set quia de predictis veritas sic se habet.

In nomine Domini, amen. Incipiunt miracula de contractis erectis et de impotentia ambulandi, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. lxxxviij.

Beatrix de Sancta Cruce, Regensis dyocesis [1], pupilla ix annorum, ut dixit, iurata in facto proprio, dixit quod per iiij^{or} annos continuos et proximo preteritos fuerat et steterat in manibus suis penitus impotens et contracta, ita quod non poterat se manibus pascere seu iuvare nec pedibus ambulare. Et cum sic per iiij^{or} annos stetisset impotens * et contracta, Cecilia mater ipsius que loquitur ex devocione propria et suggestione aliquorum hominum dicti loci devovit predictam loquentem beato Ludovico quondam episcopo Tholosano et in ecclesia fratrum Minorum de Massilia sepulto. Et cum dicta mater predictam Beatricem ad collum deferret veniendo causa devocionis ad dictum beatum Ludovicum et esset in quadam planicie prope Massiliam, ut dixit, de qua planicie videri poterat civitas Massiliensis, tunc visum fuit sibi quod poterat ire, et dixit matri sue: « Mater, deponatis me de collo, quia videtur michi quod possem ire ». Et mater deposuit eam, et tunc habuit remedium tale quod incepit aliquantulum ire et ivit per aliquale spacium cum pedibus propriis, et postea mater reduxit eam ad collum, eam portando usque Massiliam. Et cum fuisset ad tumulum beati Ludovici, fuit sibi datus panis et posuit manum ad os suum et per se incepit se ipsam pascere, quod ante facere non poterat, ut dixit. Interrogata si plures vicini sui sciebant predictam passionem quam passa fuerat per predictos iiij^{or} annos, dixit quod sic. Interrogata de nominibus, dixit quod quidam sciebant, quorum [2] unus vocabatur P(etrus) Vizei et alius Guillelmus Iohannis, fratres matris sue, ut dixit, et plures alii, de quorum nominibus dixit se non recordari. Et predicti domini commissarii seu inquisitores viderunt dictam Beatricem pedibus ambulantem, manibus se pascentem, manus et pedes erigentem; verum aliqua signa quantum ad maciem in manibus eiusdem et pedibus videbantur; set alias bene predicta membra movebat.

*f.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxxix.

Cecilia de Sancta Cruce, mater dicte Beatricis, Regensis diocesis, testis iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur esse factum in persona dicte Beatricis filie sue, dixit quod dicta Beatrix filia sua quatuor annis et amplius fuit ita contracta et impotens quod manibus se pascere seu iuvare non poterat nec pedibus propriis ambulare. Et hoc * dixit esse publicum et notorium in loco predicto Sancte Crucis, et homines et mulieres dicti loci comuniter hoc sciunt, ut dixit. Et quod ipsa

*f.

[1] Cod. integre *dyotisis*. [2] Cod. bis *quorum*.

portabat eam ad collum suum pro querendis helemosinis per dictum locum. Demum cum dicta Beatrix per predictos IIIIor annos et amplius stetisset sic contracta, ipsa que loquitur ad suggestionem proborum virorum, ut dixit, habens devocionem ad beatum Ludovicum, dictam Beatricem filiam suam eidem vovit et per hec verba, videlicet quod dicta Cecilia mater dicte Beatricis portaret ad beatum Ludovicum dictam Beatricem apud Massiliam, si placeret sibi quod cum Deo impetraret sibi sanitatem de predicta infirmitate quam dicta Beatrix predicto tempore passa fuerat. Et arrepto itinere per dictam Ceciliam versus Massiliam, duxit eam ad beatum Ludovicum; et in die XXIIII[1] mensis februarii et anno presenti, cum dicta que loquitur esset cum dicta filia sua quam portabat ad collum et esset prope Massiliam in quodam loco vocato Planum sancti Michaelis, dicta Beatrix, que in collo predicte matris sue portabatur, dixit eidem matri sue quod deponeret eam de collo suo et videret si posset ire. Et deposuit eam, et ea deposita ivit bene per tres vel quatuor passus, et postea reduxit eam ad collum portando eam usque ad civitatem Massiliensem in domo cuiusdam mulieris vocate Katherine, in loco qui vocatur Templum, in cuius domo hospitata fuit, et dicta hospita vidit tunc impotenciam dicte Beatricis. Et postmodum in crastinum seu dominica sequenti, de mane portavit eam ad ecclesiam fratrum Minorum, in qua iacebat corpus beati viri Ludovici, et ponens eam ante sepulcrum precata fuit cum devocione beatum Ludovicum quod predicte Beatrici unice filie sue impetraret beneficium sanitatis. Et statim vidit manus, tybias et pedes erectos, et portatus fuit sibi panis et ipsa, que non consueverat se manibus pascere, per se ipsam posuit panem ad os et comedit elevando manus et deponendo sicut volebat,
69d et eundo eciam * iuxta sepulcrum et alibi postea sicut volebat. Interrogata si erant aliqui qui vidissent impotenciam huiusmodi dicte Beatricis, dixit quod P(etrus) Iohannis, Guillelmus Iohannis et Bartholomeus de Claustro, baiulus prioratus Sancte Crucis dicti loci, et Hysnardus Anna et P(etrus) Corredor, et multi alii habitatores dicti loci. Interrogata si prece, precio, amore, odio vel timore vel causa peccunie exhigende predicta deposuit, dixit quod non, set pro eo tantum quia ita accidit et de facto est verum, ut ipsa dixit. Interrogata de astantibus cum ipsa Cecilia mater dicte Beatricis eam vovit beato Ludovico, dixit quod Ramunda Robanda et quedam alia vocata Rixenda Quayrela. Interrogata de die qua predictam filiam vovit, dixit se non recordari. Interrogata si figmentum aliquod intervenerat in dicta Beatrice, dixit quod non, quod ipsa sciat, et credit et tenet et supponit pro firmo quod dicta filia sua fuit curata miraculose et liberata a predicta impotencia per invocacionem et merita beati Ludovici. Dixit eciam quod fama est et vox publica in loco de Sancta Cruce et locis circumvicinis et in Provincia quod Deus meritis beati Ludovici multa miracula operatus est ac eciam operatur, et gentes tenent eum pro sancto et recurrunt ad eum in suis infirmitatibus et necessitatibus, et salubria remedia consecuntur, ut dixit.

Super eodem miraculo.

Cap. lxxxx.

Cecilia Helziarsse dicti loci de Sancta Cruce, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur esse factum in persona Beatricis de Sancta

[1] Cod. *xxiiij;* cf infra l. 17 et p. 164, l. 37.

Cruce filie dicte Cecilie Viaziera, que dicta Beatrix steterat per iiij^{or} annos pedibus et manibus suis impotens et contracta, dixit quod ipsa vidit dictam Beatricem per iiij^{or} annos et amplius proximo preteritos impotentem et contractam pedibus et manibus suis, in tantum quod pedibus propriis ire non poterat * nec manibus se *f. pascere nec aliud iuvamen propriis manibus sibi prestare. Dixit eciam quod tali modo erat impotens membris predictis quod si domus combureretur non posset exire domum, nec de loco se movere. Interrogata quomodo scit predicta, dixit quia ita vidit eam et quasi cotidie videbat et in eodem vico propinquis habitationibus morabantur, ut dixit, et mater dicte Beatricis portabat eam in brachiis vel ad collum. Dixit eciam quod hoc est notorium in loco predicto Sancte Crucis. Interrogata si audivit quando mater dicte Beatricis vovit eam beato Ludovico pro sanitate eidem prestanda, dixit quod non; credit tamen et tenet pro firmo quod meritis beati Ludovici dicta Beatrix ab infirmitate predicta fuerit miraculose curata. cum mater dicte Beatricis plurium aliorum sanctorum auxilium invocasset, sicut ipsa audivit et vidit frequenter, pro remedio et sanitate illius et portasset eam ad ecclesias, videlicet beate Marie de Blaca in quodam nemore Regensis diocesis, et beati Andree et sancti Bartholomei et sancti Pancracii eiusdem dyocesis, ut ipsa que loquitur dixit se vidisse. Et tamen, ipsa matre non impetrante remedium sanitatis dicte filie sue cum predictis sanctis, conversa ad beatum Ludovicum vovit predictam Beatricem filiam suam beato Ludovico et portavit eam ad ecclesiam fratrum Minorum Massilie, in qua sepultus est beatus Ludovicus, et ibi remedium sui morbi recepit, ut [1] audivit dici; de quo remedio apparuit et apparet cuilibet qui novisset eam in statu pristino, quia et in membris quondam impotentibus facta potens, ita quod reputat valde magnum miraculum et supra naturam propter illa que dudum viderat de eadem. Addiciens predicta quod magnum miraculum et virtus Dei est cum aliquis a morte suscitatur et impotens tanto tempore membris suis restituitur sanitati. Interrogata si figmentum aliquod intervenerat in dicta Beatrice, dixit quod non, quod ipsa sciat. Interrogata si prece, precio, timore vel amore sic deponit in predictis, dixit quod non; set pro eo tantum quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xcj.

* Katherina uxor quondam Guillelmi Balme de Massilia, testis producta, iurata *f. et diligenter interrogata super predicto miraculo quod dicitur esse factum per invocacionem beati Ludovici in persona Beatricis de Sancta Cruce filie dicte Cecilie Viaziera, que dicta Beatrix steterat per iiij^{or} annos pedibus et manibus suis impotens et contracta, dixit quod non viderat dictam Beatricem nec matrem suam alias nec sciebat aliquid [2] de impotencia dicte Beatricis, sed in sexta die exeunte februario anno quo supra [3], cum esset tarda hora et tempus hospitandi, mater dicte Beatricis venit ante domum ipsius Katherine testis que loquitur, et tunc dicta Cecilia mater dicte Beatricis portabat eam ad collum proprium, et dicta mater erat tota grinosa, id est tristis et flebilis, quia erat hora tarda et non poterat invenire hospicium; et rogavit dictam testem que loquitur quod propter Deum susciperet eam in domum suam et

---

[1] Cod. *et*. [2] Cod. *aliquod*. [3] Idest, 24 feb. 1308, die sabbati.

hospitaret eam; et ipsa mota pietate induxit eam in domum. Et statim dicta Beatrix fuit posita ad ignem per matrem suam, quia non poterat sedere nec stare, et tunc vidit eam quod habebat manus et pedes impotentes et contractos nec poterat se iuvare, immo mater ipsius ponebat sibi panem in ore. Et tunc dicta que loquitur dixit matri dicte Beatricis quomodo stabat sic impotens et contracta. Que respondit quod per iiijor annos et amplius fuerat et steterat sic contracta, et propter hoc pro habendo remedio devoverat et portaverat eam ut presentaret ipsam ante sepulcrum beati Ludovici, sperans per eum remedium invenire. Et in crastinum valde mane mater dicte Beatricis recepit eam ad collum et exivit domum hospite que loquitur, et ivit, sicut ipsa credit, ad tumulum beati Ludovici, et ibi, sicut mater asseruit, a dicta impotencia et contractura curata fuit, sicut apparet; tamen testis que loquitur
70c non fuit presens, set circa horam nonam mater * et filia revertentes ad domum testis que loquitur, vidit quod dicta Beatrix veniebat cum pedibus suis, mater tamen ducebat eam per manum; asserens dicta mater hoc fuisse miraculose factum meritis beati Ludovici, et predicta dicendo flebat propter gaudium nimium, ut dixit, quod habebat de curacione dicte filie sue. Addiciens predictis dicta que loquitur quod ipsa magnum miraculum reputavit, quia vidit eam in statu tam debili et confracto et nunc videbat eam in sano, dicens esse miraculum divinum quando quis contractus et impotens suis membris ad sanitatem reducitur. Interrogata si vidit et percepit quod esset aliquod figmentum in dicta Beatrice, dixit quod non. Interrogata si audivit quod mater dicte Beatricis ipsam devovisset beato Ludovico, dixit quod nonnisi per verbum dicte matris. Interrogata si prece, precio, amore, timore, aut instructa vel informata ab aliquo sic deposuit in predictis, dixit quod non; set pro eo quia ita est, ut predixit. Interrogata si est fama de predicto miraculo in civitate Massiliensi, dixit quod sic. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur.

Item aliud miraculum de quadam muliere contracta et erecta meritis dicti sancti.

Cap. xcij.

Dulcesa uxor Michaelis Bermundi de Massilia, etatis xxv annorum vel circa, ut credit, producta, iurata et diligenter interrogata super facto proprio, dixit quod prima vice qua inpregnata fuit portavit quasi novem mensibus puerum in ventre. Et cum appropinquasset tempori pariendi, laboravit tribus diebus et tribus noctibus expectans emissionem partus. Et post illos tres dies puer transversatus est in ventre eius et mortuus, et portavit eum mortuum in ventre suo iiijor diebus, ut dixit. Et post hoc, ministerio obstetricum puer extractus fuit de ventre ipsius mortuus et integer, ut
70d dixit. Et ex * tunc ipsa remansit ibi contracta et impotens, ita quod de manibus nec de pedibus nec de femoribus non poterat se iuvare, immo cum dentibus trahebat pannos ad se quando indigebat et volebat se cooperire; et sic stetit contracta et impotens biennio, ita quod pro aliqua necessitate non poterat exire de lecto, immo oportebat quod omnia necessaria sua faceret in lecto, ita quod racione sordium vermes ibi creati in sordibus circa nates et crura corrodebant eam et faciebant foramina plura in carne. Contigit eciam sibi, sicut dixit, quod quoddam os de squina dorsi ad latitudinem trium digitorum venit in naturam suam et pungebat et urgebat eam mirabiliter, ita quod nec stare nec iacere in lecto poterat; et stetit ibi illud os per

biennium, ut ipsa dixit. Et cum sic stetisset dicto biennio cum tanta afflictione, angustia et tormento, quadam die maritus suus venit ad eam et dixit ei: « Beatus Ludovicus incipit facere miracula; devoveas te ei cum bona intencione et devocione, quia credo quod iuvabit te. » Et tunc ipsa testis que loquitur devovit se beato Ludovico et promisit quod, si illud os expelleret ab ea et curaret et liberaret eam a sua infirmitate, [1] ipsa singulis diebus sabbatinis quamdiu viveret scopa mundaret et purgaret ecclesiam in qua sepultus est. Et voto emisso, incepit dormire prostrata in lecto super faciem suam, et cum aliquantulum dormivisset expergefacta sensit se alleviatam in dorso et in cruribus, et paulatim [2] incepit se elevare; et cum fuisset erecta illud os cecidit ad terram sine aliquo dolore. Et statim receptis vestibus suis ipsa exivit domum suam ut iret ad beatum Ludovicum et portaret unam ymaginem de cera. Et cum esset pauper mulier et non haberet de quo emeret, dati sunt sibi denarii in ecclesia, de quibus emit ymaginem et portavit eam beato Ludovico. Et fratres Minores* *f. dictum os retinuerunt; nec postea dolorem sensit in aliqua parte corporis sui, set continuo sana fuit usque in presentem diem. Dixit eciam quod aliquibus diebus scopavit dictam ecclesiam; set postea pre nimio labore, cum ecclesia sit nimis magna, et propter nimiam paupertatem non potuit illud continuare: set alternis vicibus facit quod potest, et proponit facere; set pauper mulier est et habet querere panem cum manibus suis. Dixit eciam quod ipsa credit, quando erat ita impotens et contracta et quando emisit votum predictum, quod numquam posset a dicta contractura et impotencia et dolore curari nec eciam liberari, et dixit quod pro certo ipsa credit se esse curatam et liberatam per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata de tempore quo ita fuit passa et contracta, dixit quod eo anno quo corpus beati Ludovici fuit apportatum et sepultum Massilie in ecclesia fratrum Minorum. Interrogata de personis que viderunt eam ita impotentem et contractam et postea liberatam, dixit quod Michael maritus suus et Berengaria di Artissucha, Bertranda Yberta, Huga Leona et bayla Guillelma Alexandria nomine, et plures alie persone, ut dixit. Interrogata si est fama et vox publica Massilie et in Provincia et in aliis locis quod Deus meritis beati Ludovici fecerit et faciat multa miracula, dixit quod sic. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur a pluribus. Interrogata si instructa vel informata, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xciij.

Michael Bermundi, civis Massiliensis, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo supradicto facto in persona dicte Dulcese uxoris sue, dixit quod predicta Dulcesa uxor sua fuit pregnans et portavit puerum in ventre usque prope tempus debitum, sicut * ipse credit, et per *f. triduum fuit in tanto dolore et angustia quod puer mortuus est et transversatus in ventre, sicut audivit a dicta uxore sua, et iiij^{or} diebus portavit ita mortuum; et cum non posset secundum naturam exire, fuit extractus de ventre ministerio obstetricum per instrumentum naturale mulieris predicte. Hec omnia audivit ab uxore sua, ut

[1] Cod. repetit *quod*. [2] Cod. *paulatine*.

dixit, et vidit illum puerum post extractionem integrum et mortuum. Et statim uxor sua contracta fuit et impotens facta quasi in toto corpore suo, et stetit in illa contractura et impotencia biennio, sicut ipse vidit, et fortiter torquebatur nec poterat se movere de lecto, et omnia necessaria faciebat ibi; et ex sordibus et aliis inmundiciis fuerunt ibi vermes creati, sicut ipse vidit, in multis locis circa crura sua, qui corrodebant eam. Audivit eciam ab ea quod unum os ad similitudinem unius nucis grosse erat in istrumento suo naturali, quod multum affligebat eam et vexabat. Et cum sic stetisset per dictum biennium impotens et contracta, ipse maritus suus qui loquitur suasit ei ut devoveret se beato Ludovico; quod et fecit, eo presente; et statim invenit se alleviatam. Et tunc ipse exivit et ivit causa laborandi et lucrandi aliquid, quia pauper homo est; et cum revertebatur ad domum suam invenit dictam uxorem suam iuxta fontem Sancti Martini Massilie rectam et erectam et portantem in manu sua illud os quod habebat ante in natura sua, et ostendit sibi et dixit ei quod curata erat per invocacionem et opem beati Ludovici. Quo audito, maritus suus multum miratus et gavisus fuit, ut dixit. Et postea ipse vidit eam continuo sanam, et adhuc est. Et dixit quod ista fuerunt circa illud tempus quo fuit portatum corpus beati Ludovici Massilie in ecclesia fratrum Minorum. Dixit eciam quod ipse credit firmiter
71c et supponit et est fama in vicinia sua quod dicta uxor sua fuit miraculose * curata et liberata a dicta infirmitate sua per invocacionem et merita beati Ludovici, et dixit quod non credebat quod posset evadere nec aliqua arte vel medicamine curare. Interrogatus si est fama et vox publica Massilie et in Provincia et in aliis locis et terris circumvicinis quod Deus meritis beati Ludovici multa miracula operatus sit ac eciam operatur, dixit quod sic. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur a multis. Interrogatus si prece, precio, instructus aut informatus ab aliquo, vel timore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xciv.

Guillelma Alexandria, vocata bayla sive obstetrix, de Massilia, etatis LX^ta^ annorum et ultra, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super supraproximo miraculo facto in persona predicte Dulcese, que dicebatur fuisse contracta, dixit quod quando dicta Dulcesa laborabat in puerperio, ipsa testis rogata et propter Deum, quia illa erat pauper mulier, venit ad eam et tunc invenit eam in magno tormento et dolore, et plures alie obstetrices dimiserant eam, sicut dixit, quia per triduum fuerat in illo dolore. Et ista que loquitur in adventu suo posuit manus suas et extraxit puerum de ventre matris sue mortuum et fetentem, et post extractionem pueri ipsa mater remansit quasi mortua, et fecit sibi testis que loquitur signa Crucis sicut pro mortua. Et deinde eadem Dulcesa facta fuit contracta et impotens in omnibus membris suis, ita quod nec ire nec movere nec volvere se poterat sine adiutorio alieno, et quod quando erat discooperta cum dentibus pannos ad se trahebat. Et sic stetit biennio in ista impotencia. Et ex fecibus quas emittebat subtus se, quia non poterat se iuvare pro eundo ad requisita nature, concreati fuerunt ibi vermes qui perforaverunt carnem suam et corroserunt. Interrogata quomodo fuit curata, dixit quod audivit ab ea quod devoverat se beato Ludovico et promiserat sibi quod singulis
71d sabbatis mundaret seu scoparet ecclesiam in qua erat sepultus, si * curaret eam a dicta

infirmitate et impotencia. Audivit eciam dici ab ea quod eadem die, statim facto voto, ipsa surrexit et incepit ire libere et sane, et eadem die eadem testis que loquitur visitavit eam et invenit eam sanam et recte gradientem, et mirata fuit valde sicut de re quam reputabat impossibilem. Et supponit pro firmo et credit quod propter invocacionem et devocionem quam ipsa habuit in beato Ludovico, sicut ipsa testis audivit frequenter in egritudine dicte Dulcese, dicta Dulcesa fuerit miraculose curata et liberata; et hoc habet tota vicinia, et reputant fuisse magnum miraculum. Dixit eciam quod Massilie et in Provincia et alibi est fama et vox publica quod propter bonam vitam et merita beati Ludovici Deus multa miracula operatus est et frequenter eciam operatur. Dixit eciam quod fama est in predictis locis quod beatus Ludovicus fuit bone et honeste vite et sancte conversacionis et quod ipse fuit humilis, misericors, et quod in omni benignitate et perfectione laudabiliter vixit, et quod ipsa credit pro firmo quod ipse sit sanctus, et multi dicunt et confidunt in eo, ut dixit. Interrogata si prece, precio, timore vel amore, instructa vel informata ab aliquo ita deposuerit, dixit quod non; set quia ita est veritas de predictis.

Super eodem miraculo.

Cap. xcv.

Hugua Leonesa de Massilia, etatis L^{ta} annorum vel circa, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo supraproximo facto in persona dicte Dulcese, dixit quod dum dicta Dulcesa laborabat in pueperio ipsa venit et vidit quod dicta Guillelma Alexandria testis proxima extraxit de ventre dicte Dulcese puerum mortuum et fetentem, et dixit quod post extractionem illius pueri mortui dicta Dulcesa remansit impotens et contracta, ita quod non poterat surgere nec se levare nec revolvere, immo oportebat quod omnia necessaria faceret subtus se, et fetebat adeo quod vix aliquis iuxta eam poterat remanere. Et hoc ipsa testis que loquitur vidit et interdum sensit. Audivit eciam dici ipsa testis que loquitur quod propter * *f. feces quas sub se retinebat concreati fuerunt ibi vermes qui carnem suam perforabant et corrodebant, et plus eciam quod ipsa habebat tunc et habuerat a die extractionis partus quoddam os ad quantitatem dimidie palme quod summe affligebat eam, et credebat ipsa que loquitur et omnes qui videbant eam quod nunquam posset curari, cum esset ita deformiter contracta. Et dixit quod ipsa Dulcesa stetit ita contracta et habens illud os in natura per biennium et ultra. Postea audivit dici quod aliqui persuaserunt ei, et maritus suus maxime, quod devoveret se beato Ludovico; quod et fecit et promisit beato Ludovico cum magna devocione et affeccione quod, si curaret eam a dicta infirmitate, [1] ipsa mundaret seu scoparet singulis sabbatis ecclesiam ubi corpus suum est sepultum. Sed ipsa non fuit presens in voto nec audivit; postea tamen audivit dici a dicta Dulcesa quod, postquam emisit votum predictum, ipsa sensit se alleviatam et curatam a dicta impotencia et contractura, ita quod ivit recte, et quod illud os sine violencia aliqua ceciderat de natura sua; et ipsa que loquitur die sequenti vidit eam curatam et recte gradientem, et adhuc eciam vadit sana et curata, ut dixit. Dixit eciam ipsa testis quod credit et tenet pro firmo quod dicta Dulcesa fuit curata et liberata a dicta impotencia et contractura et osse

---

[1] Cod. repetit *quod*.

predicto propter invocacionem et merita beati Ludovici, et hoc habet tota vicinia sua et omnes qui eam viderunt in predicta impotencia et infirmitate, et reputant magnum miraculum valde quia credebant impossibilem curam eius. Dixit eciam quod fama et publica vox est Massilie et in Provincia et locis circumvicinis quod beatus Ludovicus fuit humilis, misericors, bone et honeste conversacionis et in omni sanctitate et bonitate perfectus, et quod Deus propter merita sua multa miracula operatus est et frequenter operatur pro eo, et dixit eciam quod ipsa credit firmiter eum sanctum esse et quod multum confidit in eo. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur comuniter a pluribus. Interrogata si instructa vel informata 72b ab aliquo, aut prece, precio timore vel amore ita deposuerit in predictis, * dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quodam puero contracto et erecto meritis dicti sancti.

Cap. xcvj [1].

Reymunda Clemensana uxor P(etri) Clemensani de Cistarico, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona Iohanneti filii sui, qui dicitur stetisse contractus de tybia sinistra et in aliquibus partibus sui corporis passus fuisse deffectum, dixit quod ipsa peperit dictum Iohannetum bene formatum in persona et omnibus membris suis, et ita stetit filius predictus per unum annum, exceptis xv^{cim} diebus. Set per xv dies ante finem anni contigit quod, cum quadam nocte ipsa posuisset dictum Iohannetum in cunis sanum et incolumem, sicut credebat, in crastinum invenit pannos in quibus filius suus iacuerat respersos multo sanguine et mirata fuit valde, ita quod credidit illum debere mori, sicut illum qui videbatur totum sanguinem de corpore emisisse; et adhibebat totam diligenciam quam poterat in fovendo et nutriendo eum. Et elapsis octo diebus ab eo tempore quo sanguis fluxerat, ipsa que loquitur incepit tangere et palpare membra dicti filii sui et invenit quod inter genu et tibiam non erat os sed caro sola per duos digitos, et tybia erat revoluta, scilicet pars anterior ad partem posteriorem. Et illud duravit sibi per tres annos, ita quod in illo tercio anno dictus Iohannetus ludebat de tybia sua et iactabat eam cum manibus suis super humerum suum et cum manibus postea reducebat eam ad locum suum. Et eodem tempore dorsum dicti Iohanneti versum erat ad partem dextram, ita quod non stabat rectum pro magna parte conversum ad partem illam, et habebat ibi tumorem sive inflaturam sive gilbum ad grossiciem unius pugni clausi, ut dixit. In secundo vero anno etatis dicti filii sui ipsa que loquitur respexit sibi capud et tetigit et invenit quod a parte posteriori, quasi prope a parte superiori auris usque ad aliam partem alterius auris, non erat os, set caro tantum ad mensuram unius digiti. 72c Hiis omnibus defectibus et casibus visis et cognitis in filio, mater plena tristicia * et dolore convertit se ad beatum Ludovicum et eum sibi lacrimose devovit, promittens quod, si dictus filius suus ita impotens corporis sui recuperaret potenciam, [2] ipsa et pater dicti filii eum, equitando vel peditando, adducerent cum uno scandali sue longitudinis ad tumulum beati Ludovici. Et voto emisso, mater ipsa cognovit et alii

[1] Cod. *xcvij*. [2] Cod. repetit *quod*.

incontinenti quod dictus filius meliorabatur et continuo augmentabatur potencia et virtus in eo, ita quod infra dimidium annum incepit ire et tibia fuit iuncta cum genu et os ibi, et postea tumor sive gilbus remissus est et dorsum rectificatum et caput consolidatum, sicut hec omnia fuerunt ipsis dominis inquisitoribus [in] persona dicti filii exhibita per signa et vestigia aliqua que supererant manifeste ostensa. Interrogata de tempore quo ista fuerunt, dixit quod sunt octo anni. Interrogata de personis que sciunt hoc et viderunt, dixit quod pater dicti filii sui et frater et soror ipsius filii et Theobaldus Poyani gener ipsius testis que loquitur et multi alii vicini, ut dixit.

Dictus puer, qui nunc dicitur esse etatis xiiijcim annorum et ultra, miratus dixit quod ipse bene recordatur quomodo ludebat de tybia sua et ponebat super humerum suum et de inflatura et dorso et facto capitis. Et dixit et supponit pro firmo quod propter votum quod fecit mater sua et merita beati Ludovici ipse fuit curatus et liberatus a defectibus supradictis.

Et ipsa testis que loquitur dixit eciam quod ipsa credit et supponit pro firmo quod dictus filius suus fuit curatus et liberatus a predictis defectibus meritis beati Ludovici. Interrogata [si] est vox et fama publica in civitate Cistaricensi et in Provincia quod propter sanctam et perfectam vitam beati Ludovici Deus fecerit et faciat multa miracula et si gentes in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipsa tenet et credit pro firmo quod sit sanctus, et ipsa tenet eum pro sancto, ut dixit, et quod gentes dictorum locorum multum confidunt in eo et in suis infirmitatibus et necessitatibus implorant eius auxilium et recommendant et devovent se sibi, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore * ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet. *f.

Super eodem miraculo.

Cap. xcvij.

Guillelmus Clemensani filius P(etri) Clemensani de Cistarico, etatis xvij annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo seu miraculis proximo supradictis factis meriti beati Ludovici in persona Iohanneti fratris sui, dixit de defectibus et casibus qui supervenerunt dicto Iohanneto fratri suo, scilicet de tybia, de dorso et tumore et de capite consolidatis per invocacionem beati Ludovici, idem quod Rixenda mater sua testis immediate precedens. Dixit tamen quod non audivit quando mater predicta fecit votum predictum; set bene audivit postea a dicta matre sua quod ita devoverat dictum fratrem suum beato Ludovico. Et credit et tenet pro firmo quod dictus frater suus fuit miraculose curatus et liberatus a dictis defectibus propter invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus de tempore quo dictus frater suus fuit curatus a predictis, dixit quod sunt vij anni et plus, ut credit. Interrogatus de personis que sciunt hoc, dixit quod pater et mater et soror sua et fratris sui predicti et multi vicini sui, ut dixit. Interrogatus si est fama et vox publica in diocesi Cistaricensi et in Provincia quod Deus fecerit et faciat multa miracula meritis beati Ludovici et si gentes in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et tanquam ad sanctum recursum habent ad ipsum devovendo et recommendando se sibi, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; set quia de predictis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xcviij.

Astrugua uxor Theobandi Paguani civis Cistaricensis, etatis xxxj^{us} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo seu miraculis proximo supradictis factis meritis beati Ludovici in persona dicti Iohanneti fratris sui, dixit idem quod Guillelmus frater suus testis immediate precedens, et ipsa vidit, ut dixit, omnes predictos defectus et casus in persona dicti Iohanneti fratris sui, qui 75^{a} duraverunt sibi per iiij^{or} annos vel circa, ut dixit, * et postea vidit ipsum a predictis defectibus omnino curatum, et credit et tenet pro firmo quod ipse fuerit curatus propter invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata de tempore quo fuit curatus, dixit quod sunt octo anni vel circa, ut credit. Interrogata de personis que sciunt hoc, dixit quod pater et mater et frater sui et maritus suus et multi vicini sui, ut dixit. Interrogata si est fama in dicta civitate Cistaricensi et in Provincia quod Deus fecerit et faciat multa miracula propter invocacionem et merita beati Ludovici et si gentes in dictis locis tenent eum pro sancto et si tamquam ad sanctum recommendant se sibi, dixit quod sic, et ipsa credit et tenet pro firmo quod sit sanctus. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xcviiij.

Theobandus Payani, Cistaricensis, etatis xxx^{ta} annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo seu miraculis proximo supradictis factis meritis beati Ludovici in persona Iohanneti predicti sororii sui, dixit quod ipse vidit omnes predictos defectus sive casus in persona dicti [1] Iohanneti sororii sui, qui duraverunt sibi per iiij^{or} annos vel circa, ut dixit, et postea vidit ipsum a predictis defectibus seu casibus omnino curatum et liberatum, et audivit dici a matre dicti Iohanneti quod ipsa devoverat eum beato Ludovico, et propter hoc fuerat curatus; set ipse non fuit presens in voto, ut dixit; credit tamen et tenet pro firmo quod ipse fuit curatus a dictis defectibus per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus de tempore quo dictus Iohannes fuit miraculose curatus, dixit quod sunt vij anni et ultra, ut dixit. Interrogatus si est fama in civitate Cistaricensi et in Provincia quod propter merita beati Ludovici Deus fecerit et faciat multa miracula, dixit quod sic, et quod gentes in dictis locis tenent eum pro sancto et tamquam ad sanctum recursum habent ad eum, et quod per invocacionem ipsius et merita in infir- 75^{b} mitatibus suis * salubria remedia inveniunt, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

---

[1] Cod. *dicto*.

Item aliud miraculum de quodam milite contracto et postea erecto meritis huius sancti.

Cap. c.

Burgandus de Belay oriundus de dyocesi Caturcensi, miles domini regis Francie, etatis LX^ta annorum, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona sua meritis beati Ludovici, dixit quod cum ipse teneret et custodiret nomine domini regis Francie castrum de Cortrayo [1], Tornacensis diocesis, supervenit sibi una gravis infirmitas que ipsum reddidit in manibus, brachiis, cruribus, tibiis et pedibus impotentem totaliter et contractum, ita quod non poterat se aliquo modo iuvare. Et licet multos peritos medicos pro habendo remedio habuisset, ipsi tamen medici de eius convalescencia et cura penitus desperantes ipsum ita contractum et inpotentem dimiserunt, dicentes quod vivere non poterat nisi per duos dies. Et cum in ista inpotencia et contractura stetisset per octo menses vel circa, ipse devote convertit se ad beatum Ludovicum quondam Tholosanum episcopum, devovens se eidem et promittens quod, si de predicto morbo et impotencia curaretur, ipse personaliter cum una ymagine cere sepulcrum visitaret ipsius. Et immediate, voto emisso, incepit dormire, quod ante non poterat. Et post aliqualem sompnum excitatus, invenit quod vigor aliquis redibat ad membra sua; et infra octo dies sic fuit melioratus quod de predictis membris poterat se iuvare et pascere se cum manibus et ire cum pedibus libere et sine aliquo iuvamine vel dolore. Dixit eciam quod tanta fuit manu[u]m et brachiorum suorum impotencia, quod non poterat se signare, immo deprimendo caput suum et elevando et volvendo et revolvendo de humero ad humerum cum capite se signabat. Et dixit quod ipse credit et tenet pro firmo quod propter intensam fiduciam et devocionem, quam ipse habuit ad beatum Ludovicum, * et propter votum predictum fuit miraculose a predicta impotencia et contractura curatus et liberatus. *f. 7 Interrogatus de tempore quo supervenit sibi dicta infirmitas, dixit quod sunt duo anni et plus. Interrogatus de personis que sciunt hoc et que audiverunt predictum votum, dixit quod Iohannes Maleti de Lugduno et Iohannes de Reymbert Pre et dominus Iohannes Cosseti miles et multi alii. Interrogatus si est fama in predicto castro de Cortayo [2] quod meritis beati Ludovici predicti Deus faceret et fecisset multa miracula, dixit quod sic; adiciens quod causa complendi votum suum predictum ipse venit apud Massiliam et complevit, ut dixit. Et modo in regressu suo de Massilia dicti domini inquisitores invenerunt dictum militem in Monte Pessulano et ibi examinaverunt eum in crastinum Ascensionis Domini [3] anno a nativitate Domini millesimo ccc° octavo. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. c*. [4]

Iohannes de Reymbert Pre, oriundus de diocesi Ambienensi, etatis XXVI.J annorum vel circa, ut dixit, domicellus predicti militis, testis iuratus et diligenter in-

---

[1] Sic. [2] Sic. [3] Idest, die 24 maii. [4] Deest in cod.

terrogatus super miraculo proximo, dixit quod cum ipse fuisset in servicio dicti militis habuit ex causa divertere ad alia loca, et cum ibi stetisset multis diebus reversus fuit ad dominum suum, et tunc invasit dominum suum gravis infirmitas, ita quod in brachiis, manibus, cruribus, tibiis et pedibus suis factus fuit totaliter impotens et contractus, et dicta infirmitas multum angustiose gravabat ipsum et duravit sibi multis mensibus; set non recordatur de numero mensium. Et in illa anxietate multum frequenter invocabat dictus miles opem et auxilium beati Ludovici de Massilia cum multa devocione, sicut videbatur, gemitibus et dolore. Sicquè fuit gravis illa infirmitas, quod omnes qui videbant eum iudicabant eum in membris suis perditum et
73d morti propinquum. Interrogatus si * ipse fuit presens in voto, dixit quod non; set presens fuit frequenter in frequenti invocacione quam dictus miles faciebat implorando remedium sanitatis per merita beati Ludovici. Et credit pro firmo quod propter devocionem quam ipse miles habuit ad beatum Ludovicum et propter votum quod fecit et propter frequentem invocacionem quam faciebat, ipse fuit a dicta impotencia et contractura curatus. Interrogatus quantum temporis est quo ista fuerunt, dixit quod duo anni sunt et pluś. Interrogatus si est fama quod Deus meritis beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic. Dixit eciam quod causa complendi votum predictum [1], ipse una cum dicto milite venit apud Massiliam, et dictus miles complevit votum suum, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quadam filia contracta et postea erecta meritis dicti sancti.

Cap. cj.

Xanctia filia Petri Vitalis de Massilia, etatis xvj annorum vel circa, ut dixit, iurata et interrogata in facto proprio, dixit quod cum ipsa esset sex annorum, sicut dixit, ignis beati Anthonii arripuit eam in membro suo naturali anteriori et cremavit eam seu combussit fere usque ad palmum in carne sua, et ignis succendit eam quasi prope umblicum, et de carne combusta et nigra ad instar carbonis exivit de corpore suo quasi usque ad quantitatem unius palmi, ut ipsa dixit; et hoc fuit in quadam domo sancti Anthonii que est Massilie, in qua consueverunt poni tale incendium pacientes. Et adhuc dixit quod in illo loco in quo fuit ignis seu cremacio non est caro, set ossa tantum et pellis, nec est apta ad viri consorcium, ut dixit; et adhuc dixit se esse virginem. Dixit tamen quod ignis ille extinctus fuit in domo predicta sancti An-
74a thonii. Interrogata quomodo ipsa scit quod esset * ignis ibi sancti Anthonii, dixit quod ipsa nescit, quia non habebat etatem nec poterat videre; set pater et mater et aliqui alii qui viderunt dixerunt sibi quod ille ignis sive morbus erat sancti Anthonii, et ex eo eciam quia in dicta domo sancti Anthonii fuit portata et curata, et ibi cessavit ille morbus et fuit ille ignis extinctus. Tamen, morbo illo cessante, remansit ibi apertura propter defectum carnis cremate; et post paucos dies caro coxarum ex utraque parte coniunxit se, ita quod non remansit ibi nisi unum parvum foramen, per quod emittit aquam; et ita propter illam iuncturam crurium seu coxa-

[1] Cod. bis *predictum*.

rum reddita fuit impotens ad eundum omnino, et de hoc bene recordatur, et duravit sibi per sex menses, ut dixit. Et eo tempore de novo migraverat de hoc seculo beatus Ludovicus, et Deus inceperat facere miracula pro eo. Et mater ipsius testis que loquitur habuit devocionem ad beatum Ludovicum et devovit eam sibi; et statim, emisso voto, ipsa que loquitur, remota a matre sua per aliquod spacium, fuit valde leta de voto quod mater emiserat et habuit magnam fiduciam, sicut ipsa dixit, in beato Ludovico. Et immediate ad matrem ivit libere et adhuc eciam vadit, et crura que prius erant ita coniuncta, disiuncta fuerunt, remanente tamen clausura naturali, ut prius. Et dixit quod ipsa credit et tenet pro firmo quod propter invocacionem et merita beati Ludovici fuit a predicta eundi impotencia liberata et curata, et non arte medici vel cirurgici seu alio medicamine mediante. Interrogata de tempore quo sibi istud contigit, dixit quod sunt ix anni. Interrogata si est fama et vox publica Massilie et in Provincia et alibi quod Deus propter bonam et sanctam vitam et merita beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula et quod in dictis locis habeatur pro sancto, dixit quod sic, ut audivit dici, et ipsa hoc credit, ut dixit. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur a pluribus comuniter. Interrogata si prece, precio, timore vel amore, instructa vel ab aliquo informata ita deposuerit, dixit quod non; set quia sic se habet veritas de predictis.

Super eodem miraculo.

Cap. cij.

* Hugua uxor Petri Vitalis, civis Massiliensis, mater dicte Xanctie, etatis XL^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo supradicto quod in persona dicte filie sue dicitur contigisse, facta narracione quomodo filia sua passa fuerat ignem seu morbum qui dicitur sancti Anthonii et quomodo in domo sancti Anthonii Massilie per multos dies fuerat inter alios morbum similem pacientes, et quomodo in membro suo naturali usque umblicum caro et inguines undique fuerant dicto igne combuste, sicut ipsa vidit et frequenter palpavit et adhuc apparet manifestissime in filia supradicta, ut dixit, et quomodo extinctus fuit ignis sive morbus predictus in domo sancti Anthonii memorata, et quomodo ex istis talibus dicta filia sua fuit totaliter reddita impotens ad eundum; tandem cum mater predicta dictam filiam suam portasset ad requisita nature una die sabbati (set non recordatur quando fuit), ipsa filia stante in loco ubi posuerat eam, dicta mater posuit se flexis genibus cum lacrimis ad invocandum auxilium beati Ludovici, et devovit eam sibi. Et statim surgens ivit ad lectum parandum pro filia, qui distabat a filia ad longitudinem duarum lancearum; et cum dicta mater vacaret ad sternendum lectum, filia venit subito ad matrem suam et dixit sibi: « O domina, ducatis me ad beatum Ludovicum, quia ego curata sum ». Et mater gaudens et leta duxit eam ad quandam aliam domum et in crastinum cum multa sequela mulierum et hominum duxit eam, dicta filia libere et sane eunte, ad sanctum Ludovicum et ibi obtulit unam ymaginem cere; et postea recte et plane et sine impedimento ivit et adhuc vadit. Interrogata qui fuerunt presentes in voto, dixit quod nemo nisi mater mariti istius testis que loquitur, et illa mortua est, ut dixit. De impotencia tamen eundi et aliis supradictis scit pater dicte filie veritatem et omnes vicine et vicini quasi pro maiori parte. Dixit eciam quod ipsa

credit quod [1] propter merita et sanctam vitam beati Ludovici dicta filia sua fuerit miraculose a dicta impotencia liberata. Interrogata si est fama Massilie et in Provincia
74c quod beatus Ludovicus sit sanctus et habeatur * pro sancto et quod Deus propter sanctam vitam, quam ipse habuit et merita, faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod communiter dicitur a multis. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, seu prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. ciij.

Petrus Vitalis civis Massiliensis, etatis XLVIIJ annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super supraproximo miraculo quod dicitur factum in persona dicte Xanctie filie sue, recitato prius quomodo dicta filia sua afflicta fuerat de morbo et igne sancti Anthonii et quomodo curata fuerat a dicto morbo et igne in domo sancti Anthonii Massilie, dixit postea, secundum quod ipse audivit dici ab uxore sua, matre dicte filie sue, et a matre eciam ipsius testis qui loquitur et ab aliis mulieribus, quod ex illo morbo caro coxarum fuit ita restricta et coniuncta simul, quod omnino reddita fuit impotens ad eundum, et illa impotencia duravit sibi per sex menses et plus, ita quod non poterat se movere, ut ipse dixit, qui eam videbat continue in domo sua et omnes qui videbant eam dicebant quod nullo modo poterat curari nec invenire remedium quod posset ire. Post hec autem testis qui loquitur audivit ab uxore sua quod ipsa devoverat eam beato Ludovico et promiserat sibi dare unam ymaginem unius libre cere, et statim, facta promissione, dicta filia que fuerat portata pro necessitate persone sue ad locum certum, surrexit de loco in quo erat et ivit ad matrem que distabat ab ea et dixit matri: « Ego sum curata », et incepit plane et libere ire. Dixit tamen qui loquitur quod ipse non fuit presens in voto uxoris sue nec quando filia sua venit ad matrem; set, audito hoc, incontinenti ipse venit ad domum in qua erat predicta filia et vidit eam euntem; et fuerunt valde consolati et gaudentes et pater et mater. Et in crastinum dicta filia
74d una cum matre et multis aliis mulieribus venerunt ad sanctum Ludovicum, et * dicta filia ivit ad sepulcrum beati Ludovici et presentavit ibi ymaginem cere secundum votum matris. Et ex tunc in antea dicta filia recte et plane ivit et adhuc vadit, sicut est omnibus manifestum. Interrogatus cuius etatis erat dicta filia quando erat ita impotens et contracta, dixit quod sex annorum vel parum plus. Interrogatus de tempore quo fuit facta potens ad eundum, dixit quod sunt X anni vel circa. Dixit eciam quod ipse credit et tenet pro firmo quod, propter bonos mores et bonam et sanctam vitam quam habuit beatus Ludovicus et propter invocacionem et devocionem quam ipse et mater dicte filie habuerunt in beato Ludovico et propter merita ipsius, dicta filia fuit miraculose curata et facta potens ad eundum. Interrogatus si est fama Massilie et in Provincia quod beatus Ludovicus fuerit humilis, misericors, bone et honeste conversacionis et eciam bonis moribus plenus et quod Deus, propter sanctam vitam quam ipse habuit dum vivebat et merita, multa miracula fecerit et faciat et frequenter, dixit quod sic, et quod ipse credit firmiter quod ipse sit sanctus, et hoc

[1] Cod. *et*.

multi alii credunt firmiter et habent devocionem ad eum et confidunt in eo, ut ipse credit. Interrogatus quid sit fama, dixit, quod illud quod plures communiter dicunt. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet. *Item de contractis et impotencia eundi, quere retro in deposicione Iohannis de Us super vita eiusdem beati Ludovici* [1].

Item incipit miraculum de quodam torto et claudo erecto meritis dicti sancti.

Cap. civ.

Iohanna Deodata uxor quondam Iacobi Deodati de Massilia, etatis L^ta^ annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo in quo continetur quod eadem Iohanna habuit filium claudum, habentem tortas tybias atque pedes, et ad invocacionem beati Ludovici cui recomendatus fuit idem filius suus factus fuit erectus * et membra sua ad statum debitum sunt reducta, dixit quod ipsa Iohanna peperit tempore debito unum filium suum, qui vocabatur Iacobus, et ille natus fuit cum pedibus tortis et tibiis, cuius pueri plante pedum erant ita revolute quod non cum illis calcabat, set cum parte exteriori et cavilla, et tangebant terram, et volvebat unum pedem quando ibat super alium, et frequenter quando erat in tenera etate ponebat tibias suas ad collum suum. Et dixit quod in isto statu stetit septem annis sic gradiendo vel rampendo; et erat alias in facie idem puer valde pulcher et bene compositus in membris suis. Et in die anniversarii beati Ludovici mater testis que loquitur ivit ad ecclesiam beati Francisci, ubi beatus Ludovicus sepultus est, et ibi audivit fr. *Raymundum* de Ginhac Ordinis fratrum Minorum predicantem et multa bona dicentem de vita et sanctitate beati Ludovici, ita quod testis ista compuncta in corde incepit devote moveri ad implorandam et impetrandam graciam beati Ludovici pro sanitate et restitucione membrorum dicti filii sui, cum magno planctu et lacrimis, ita quod ipsa promisit beato Ludovico quod, si impetraret sibi cum Deo curacionem et reformacionem membrorum pueri predicti filii sui, ipsa offerret [2] ei tybias et crura de cera. Post hec reversa ad domum suam ipsa testis posuit se ad mensam cum viro suo, quia erat hora prandii, et puer iste erat ibi, et testis que loquitur incepit narrare marito suo qualiter predictus Frater predicaverat et multa bona verba dixerat de bona vita et sanctitate beati Ludovici et quomodo ipsa devoverat filium suum Iacobum beato Ludovico; et maritus respondit, sicut homo devotus et cum lacrimis: « Bene haberemus quod regraciari Deo et beato Ludovico, si faceret nobis istam graciam quod curaret istum puerum ». Et tunc puer ibi assistens dixit hec verba: « Per Deum, domina, sanctus Ludovicus e[s]t ita bonus sanctus quod ipse curabit me et eriget me ». Et tunc mater dixit ei: « Fili, habes tu bonam fidem in hoc? » Et * puer respondit: « Per Deum, domina, sic; et confido quod ipse curabit me ». Et tunc mater dixit puero: « Fili, ergo dicas *Ave Maria* in honorem beati Ludovici, ut ipse oret pro te ». Et credit quod puer dixerit, set tamen ipsa non audivit, quia statim puer descendit in carreriam cum ceteris pueris. Et cum parum stetisset, statim, eciam dicta teste et marito suo adhuc in mensa sedentibus,

[1] Cf. supra p. 83, l. 13-26. [2] Cod. *offerrat*.

reversus est puer cum magno gaudio annuncians patri et matri et aliis astantibus, qui erant bene viginti numero, quod ipse erat curatus. Quo viso, gavisi sunt valde presentes et familiares domus, quia viderunt eum erectum et non solum membra predicta set eciam sotulares quos portabat in pedibus, qui fuerunt ad rectitudinem deducti secundum formam et similitudinem pedum erectorum. Et tunc mater sua discalciavit eum et lavit sibi pedes et tibias. Et cum prius racione illius torture et modo gradiendi unus tumor vel callis ad modum unius pomi durissimus in utroque pede sub cavilla generatus fuisset, super quem tumorem eciam gradiebatur, et erat induratus ille tumor in tantum quod si supra percuteretur non sentiret dolorem, statim lotis pedibus in loco predicti [1] tumoris seu callis apparuit corium rugnatum seu pellicula, et mater cum manu amovit illud corium rugnatum sine dolore, et de subtus apparuit caro et corium pulcherrimum et sanum et sine aliquo sorde vel macula. Et tunc, lotis pedibus et tybiis sic erectis et calle sublato, mater duxit eum discalciatum ad beatum Ludovicum cum pedibus, tybiis et cruribus de cera et cum magna multitudine gencium que sequebantur puerum propter miraculum, quorum multi viderant eum cum illa tortura et deformitate, et modo videbant eum curatum et erectum; et obtulit eum sepulchro beati Ludovici, et puer obtulit ceram in illa forma sicut dictum est. Et regraciata fuit mater beato Ludovico de tanto beneficio
75c sibi dato in persona filii sui. Dixit eciam mater quod puer, post-*quam fuit erectus et curatus, vixit quinque annis in sanitate et rectitudine ac si numquam defectum vel deformitatem in predictis pedibus, tybiis et cruribus habuisset. Interrogata si credit quod meritis beati Ludovici puer fuerit miraculose curatus, dixit quod sic, et ita firmiter credit. Interrogata si figmentis aliquibus vel unguentis utebatur in puero predicto, dixit quod non, set totum credit provenisse ex divina gracia et meritis beati Ludovici. Interrogata si est publica vox et fama hic et in Provincia quod Deus meritis beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic, et innumera; et quod cives Massilienses et communiter gentes tocius Provincie tenent et reputant ipsum sanctum et tamquam ad sanctum recurrunt ad ipsum in infirmitatibus et necessitatibus suis, eius auxilium implorando et devovendo se ei, et remedia salubria consequuntur, ut dixit; et quod de hoc est publica vox et fama. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogata si informata vel instructa per aliquem, vel timore seu amore ita deposuerit, dixit quod non; set propter veritatem que sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cv.

Maria Marcella, uxor quondam Nicolai Marcelli de Massilia, etatis L^{ta} annorum vel circa, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo facto in persona Iacobi Deodati qui dicitur natus fuisse cum pedibus et tybiis tortis et per merita beati Ludovici curatus et erectus, dixit quod domus sua est contigua domui patris et matris Iacobi, de cuius miraculo agitur, et quod ipsa vidit istum puerum Iacobum filium dicte Iohanne Deodate [2] gradientem per terram, dum venit ad etatem eundi, cum tortura tybiarum et pedum et magna deformitate, ita quod vix poterat se su-

---

[1] Cod. *predicto*. [2] Cod. *Deodato*.

stinere, sed semper videbatur paratus esse ad casum; et dixit quod vidit eundem puerum ita gradientem turpiter et deformiter et defiguratabiliter per triennium, sicut ille qui stabat iuxta domum suam. Interrogata si fuit ita natus, dixit quod ipsa non * fuit presens in nativitate ipsius, set audivit dici a vicinis et a mulieribus que fuerant in nativitate dicti pueri quod ita tortus in pedibus et tibiis natus fuerat et deformis, et ipsa eciam credit hoc, ut dixit. Et multo tempore, sicut ipsa dixit, vidit eum ita tortuose et defigurate euntem, nec credit quod aliquo medicamine vel figmento dictus puer fuerit curatus et erectus nisi solummodo opere Dei et meritis beati Ludovici. Interrogata quanto tempore vidit eum sanum et recte euntem, dixit quod ab illo tempore cure sue usque ad tempus mortis, quod credit fuisse per biennium vel triennium et plus usque ad diem mortis sue. Dixit eciam quod est publica vox et fama in civitate Massiliensi quod dictus puer meritis beati Ludovici fuit miraculose ita curatus, erectus et sanatus. Dixit eciam quod fama est in Provincia quod Deus meritis beati Ludovici multa et magna miracula frequenter operatur. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogata si fuit instructa vel informata per aliquem aliquo modo, vel prece, precio, odio vel amore quod ita testificata fuerit ut supra, dixit quod non. Dixit tamen quod quando mater devovit filium suum beato Ludovico et promisit se offerre pedes, tybias et crura de cera, et quando duxit eum ad tumulum beati Ludovici, [1] ipsa non vidit nec fuit presens. De multitudine eorum qui sequuti fuerunt puerum quando mater duxit eum ad tumulum beati Ludovici, dixit quod nescit; audivit tamen dici quod mater votum fecerat et quod multi sequuti fuerunt eum, ut dixit.

Super eodem miraculo.

Cap. cvj.

Guarssias, uxor quondam Guillelmi Lombardi de Aquis, etatis L^ta^ annorum, testis producta, iurata et diligenter interrogata super supradicto miraculo quod dicitur esse factum in persona Iacobi Deodati, qui dicitur natus fuisse cum pedibus et tibiis tortis et per merita beati Ludovici curatus et erectus, dixit quod ipsa non fuit presens quando dictus puer natus * fuit, set post annum fuit vocata ad lactandum et nutriendum eum, et lactavit et nutrivit eum per triennium, et dixit quod invenit eum cum tortis pedibus et tibiis, et audivit a matre et a patre dicti pueri quod ita exivit de ventre matris sue. Vidit eciam in illo triennio quo nutrivit eum quod frequentissime dictus puer per se ponebat tybias et pedes ad collum proprium dum balnebat eum, et multum dolebat testis que loquitur et frequenter volebat eum dimittere, quia nullo modo credebat quod posset curari vel reformari. Et in isto statu stetit dictus puer sex annis, nec unquam vidit nec sensit nec audivit quod aliqua medicinalia vel unguenta apponerentur ei, quia omnis homo reputabat eum perditum. Postea ipsa que loquitur recessit de domo dicte Iohanne, puero dimisso in statu deformitatis et impotencie ut prius. Post hec, lapso biennio vel circa, cum ipsa testis staret apud Aquis, unde est oriunda, audivit dici quod dictus Iacobus, quem nutrierat Massilie, erat curatus et erectus; quo audito, ipsa que loquitur gayisa fuit valde; et dicebatur communiter quod mater Iacobi devoverat eum beato Ludovico et promiserat se obla-

[1] Cod. repetit *quod*.

turam pedes et tybias et crura de cera si impetraret apud Deum quod dictus Iacobus natus suus ab illa turpitudine, turtuositate et deformitate liberaretur. Interrogata si fuit in voto vel promissione, dixit quod non, set audivit a dicta matre. Interrogata si fuit quando mater duxit eum cum illis figuris cere ad tumulum beati Ludovici, dixit quod non fuit, sed audivit dici a matre dicti pueri. Et credit quod meritis beati Ludovici fuerit reformatus, curatus et erectus. Postea testis que loquitur reversa fuit apud Massiliam, ubi stetit per triennium, et quasi qualibet die videbat dictum puerum sanum et rectum et carentem omni deformitate et tortuositate tybiarum et pedum. Et ita vixit dictus puer usque ad diem mortis sue, quod fuit
76b triennio et plus, ut * dixit. Interrogata si figmentis aliquibus vel unguentis utebatur eadem testis in puero predicto quando nutriebat eum, dixit quod non. Interrogata si est fama [1] Massilie et in Provincia quod Deus meritis beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic, et maxime de curacione et erectione dicti pueri est Massilie publica vox et fama. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogata testis que loquitur si fuerat informata vel instructa per aliquem, vel timore vel amore seu aliter ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cvij.

Petrus Macharii notarius de Massilia, etatis XLV annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo supradicto quod dicitur esse factum in persona Iacobi Deodati, qui dicitur natus fuisse cum pedibus et tibiis tortuosis et per merita beati Ludovici curatus et erectus, dixit quod ipse vidit dictum puerum et docuit eum in primis rudimentis fidei per triennium, et vidit istam tortuositatem pedum et deformitatem frequenter in illo triennio, et audivit a matre dicti Iacobi quod ita fuerat egressus et natus de ventre suo; tamen testis qui loquitur non fuit in nativitate ipsius. Et cum dictus puer venisset ad etatem fere septem annorum, mater dicti Iacobi dixit testi qui loquitur quod devoverat dictum filium suum beato Ludovico et quod promiserat quod daret ipsum Ordini fratrum Minorum si curaret eum ab illa deformitate. Dixit quoque [2] eadem mater testi qui loquitur quod post invocacionem beati Ludovici puer ille statim fuit ab illa deformitate et tortuositate curatus. Et ipse qui loquitur vidit eadem die, qua mater dixerat sibi, puerum tortuosum et deformem, et erectum et curatum. Postea eadem die ipse ivit
76c ad domum dicti pueri ad videndum et congaudendum de miraculo predicto; * tamen ipse testis non fuit presens quando mater vovit eum nec vidit quando mater portavit illa membra de cera que dicebat se oblaturam beato Ludovico. Audivit tamen dici quod statim, eo curato, mater duxit eum ad beatum Ludovicum cum magna multitudine que sequebatur eum propter miraculum; set ipse testis non fuit presens in illa multitudine, ut dixit. Dixit eciam quod post istam reformacionem seu curam vixit dictus puer triennio et plus sanus et sine deformitate aliqua in erectione seu rectitudine predicta. Interrogatus si adhibita fuerunt dicto puero aliqua balnea vel medicamenta, ex quibus posset illa tortuositas et deformitas amoveri, et si medici

[1] Cod. repetit *est*. [2] Cod. potius *que*.

vel cirurgici interfuerant pro cura, dixit quod non, quod ipse sciverit vel audiverit dici; sed credit et supponit quod dictus puer fuerit curatus meritis beati Ludovici; et de hoc est publica vox et fama in civitate Massiliensi. Dixit quod in Provincia et in aliis multis locis est publica vox et fama quod Deus operatur multa miracula meritis beati Ludovici. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus comuniter dicitur. Requisitus si vidit beatum Ludovicum viventem, dixit quod non; set de bonitate et sanctitate ipsius multa et sancta bona audivit dici a multis tam religiosis quam clericis et laycis hominibus fide dignis, qui reputabant eum fuisse in omni bonitate perfectum. Dixit eciam quod totus populus habet devocionem ad eum. Interrogatus an super hiis fuerit informatus vel instructus a quoquam, vel timore vel amore, aut prece vel precio ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cviij.

Raymunda Vivanda, etatis L[ta] annorum, ut dixit, uxor quondam Petri Vivandi burgensis de Massilia, testis producta, iurata et diligenter interrogata super supradicto miraculo facto in persona Iacobi Deodati filii Iohanne Deodate de Massilia, qui Iacobus dicitur natus fuisse cum pedibus tortis et per merita et per invocacionem beati Ludovici curatus et erectus, dixit quod ipsa fuit presens quando dictus Iacobus exivit de ventre matris sue, et vidit eum cum * deformitate pedum et tortuositate, et vixit * f. septem annis cum illa deformitate et tortuositate. Et dixit quod calcabat de utroque pede super cavillam exteriorem, et ita super cavillas se sustinendo gradiebatur super terram. Et postea audivit a matre dicti pueri quod ipsa devoverat eum beato Ludovico, et mater dicebat quod meritis et invocacione beati Ludovici puer fuerat curatus; tamen ipsa que loquitur non audivit de voto matris. Vidit tamen postea eum erectis pedibus et reformatis dictum puerum gradientem; et sic vixit postea biennio et plus in illa rectitudine, ut dixit. Dixit eciam quod de curacione et erectione dicti pueri est publica vox et fama in civitate Massilie et quod propter merita beati Ludovici sic fuerit miraculose curatus et erectus; et dixit eciam quod publica vox et fama est hic et in Provincia et in multis aliis regionibus quod Deus multa operatus est et operatur miracula meritis beati Ludovici. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogata si figmentis aliquibus vel unguentis dictus puer fuerit curatus et erectus, dixit quod non, set tantummodo meritis beati Ludovici, ut firmiter credit. Interrogata si instructa vel informata ab [1] aliquo, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet. Dixit eciam ipsa testis que loquitur, quod beatus Ludovicus fuit vir magne vite et sancte conversacionis, summe humilitatis, plenus omni bono et sine omni superbia et peccato, sicut mundus habet, et sic credit ipsa et sic habet communis fama omnium civium Massiliensium et eorum cum quibus conversatus est.

Adiecit eciam ipsa testis, iterato super hoc quod sequitur iurata, quod cum ipsa febricitasset continuo et graviter febre continua et cum febre pateretur gravissimum et intollerabilem dolorem in humero sinistro, devovit se beato Ludovico et

---

[1] Cod. bis *ab*.

promisit sibi unam espalam de cera, et statim fuit a febre continua et a dolore humeri plene liberata, ut dixit. Et credit firmiter quod ipsa curata fuerit per invocacionem et merita beati Ludovici, ut dixit.

Super eodem miraculo.

Cap. cix.

77a * Ancelmus Andree, miles de Massilia, etatis L^{ta} annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super supradicto miraculo facto in persona Iacobi Deodati, qui dicitur natus fuisse cum pedibus et tibiis tortuosis et per merita et invocacionem beati Ludovici curatus et erectus, dixit quod ipse vidit quendam puerum filium Iohanne Deodate, quem credit esse vocatum Iacobum Deodati, tortum in pedibus, et habebat punctas pedum erectas unam ad aliam, et ita gradiebatur super terram cum omni deformitate calcando cum exterioribus partibus pedum, ut credit; et sic vidit dictum puerum per IIIJ^{or} annos pro tempore quo ipse testis fuit Massilie, quia interdum ad multa loca alia se divertebat. Et audivit dici quod ita fuerat natus, et tota vicinia hoc sciebat et dicebat; et audivit eciam dici, sicut credit, a matre ipsius pueri, quod dictus puer fuerat ita natus. Dixit eciam quod dictus puer in illa tortuositate et deformitate pedum fuit per octo annos vel circa, secundum quod videtur ei. Dixit eciam quod postea, cum ipse testis, qui fuerat extra civitatem Massilie, reversus fuisset ad eandem civitatem, vidit dictum puerum calcantem et gradientem erectis pedibus et sine tortuositate et deformitate pedum in forma naturali, et miratus est valde sicut de re impossibili secundum naturam, secundum deformitatem quam ipse prius viderat in pedibus. Et cum ipse testis quereret quomodo hoc contigerat, fuit sibi responsum et per matrem dicti pueri et per multos de vicinia, quod meritis beati Ludovici, cui puerum devoverat dicta mater, fuit reformatus et rectificatus; tamen ipse non fuit presens in voto per matrem emisso, nec eciam quando contigit miraculum de puero predicto. Dixit eciam quod fama est in civitate Massiliensi quod puer predictus meritis beati Ludovici ita erectus et rectificatus fuit, et ipse eciam credit. Dixit eciam famam esse in Provincia et in multis aliis regionibus quod Deus multa miracula operatus est et operatur frequenter propter merita et sanctitatem vite beati Ludovici et bonos mores quos habuit et honestatem ipsius; quem ipse vidit in ostagiis et extra frequenter honestissime conversantem, nec audivit
77b nec vidit aliquem * qui de ipso aliquid reprehensibile iudicaret. Et de omnibus istis dixit quod est publica vox et fama in locis supradictis. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cx.

Peregrinus Andree miles, civis Massiliensis, etatis quatervigınti annorum et ultra, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super supraproximo miraculo facto in persona dicti Iacobi Deodati, qui dicitur natus fuisse cum pedibus et tibiis tortuosis, dixit quod ipse vidit dictum Iacobum Deodati, quando erat puer, tortum in pedibus et cum illa tortura et deformitate pedum gradientem; et dixit

quod ipse audivit dici a vicinis quod dictus puer ita fuerat natus. Dixit eciam quod postea vidit dictum puerum curatum ab illa tortuositate et deformitate pedum et recte gradientem, de quo miratus fuit valde, quia ipse credebat impossibilem curam eius. Sed postea audivit dici quod mater sua devoverat eum beato Ludovico, et meritis beati Ludovici ab illa tortuositate et deformitate fuerat curatus et ad statum naturalem deductus. Et dixit quod ipse credit quod dictus puer fuit propter invocacionem et merita beati Ludovici curatus et liberatus de illa tortuositate et deformitate pedum. Interrogatus quanto tempore vidit dictum puerum ita tortum in pedibus et deformem, dixit quod per tres annos. Interrogatus cuius etatis erat dictus puer quando postea vidit eum curatum et recte gradientem, dixit quod etatis sex vel septem annorum, et quod postea vixit per plures annos sanus [1] et recte gradiendo; set non recordatur de numero, ut dixit. Dixit eciam quod fama est et vox publica Massilie et in Provincia et in locis circumvicinis et alibi quod beatus Ludovicus fuit humilis, devotus ad Deum et quod libenter consolabatur pauperes et quod eis multas elemosinas faciebat, et quod quamdiu vixit perfectam et sanctam et laudabilem vitam et sine nota alicuius mortalis tenuit et * [2] servavit, et quod Deus propter merita sua fecit et facit miracula *f. 7 et frequenter. Et dixit quod ipse credit et tenet pro firmo quod ipse sit sanctus et quod sicut sanctus ab omnibus debet haberi in reverencia et honore. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod comuniter gentes dicunt. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

In nomine Domini, amen. Incipiunt miracula de ydropicis curatis meritis dicti sancti, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. cxj.

Aryxenda Torta de Aquis, etatis L^ta^ annorum vel circa, ut dixit, iurata et diligenter interrogata super eo quod dicitur curata fuisse de ydropisi meritis beati Ludovici, dixit quod ipsa fuit graviter infirma fere per septem annos, et alternis vicibus plus paciebatur, interdum diversis febribus, interdum gutta et aliis diversis passionibus; et in fine septennii agravatus fuit morbus et intumuit venter eius gravissime, ita quod ipsa dixit quod erat apostema, et duravit ille tumor octo mensibus et plus, ut dixit. Tamen magister Guillelmus de Colibreris medicus et plures alii magni medici, qui habuerunt eam in cura, nesciebant que erat dicta infirmitas, nec potuerunt eam curare, licet ei diversa medicamenta ministrassent, nec invenire remedia pro ea, sicut ipsa dixit. Et demum videns ipsa que loquitur quod medicorum cura non proficiebat ei, ymmo dictus morbus continuo crescebat, ipsa de consilio unius sororis sue et sororii sui, qui omnino desperabant de sanitate sua, et ipsamet, ut dixit, devovit se beato Ludovico; et infra paucos dies post votum emissum ipsa per os et per alium locum emisit apostema horribillissimum et fetidissimum et in magna quantitate et cum maxima pena; * et deinde curata fuit plene. Et credit et supponit pro firmo *f. quod benignitas beati Ludovici impetravit sibi istud remedium sanitatis, quod alias nullo modo poterat adquirere per remedia medicorum, sicut dixit. Interrogata si credit quod esse[t] ille morbus ydropisis, dixit quod nescit, quia eciam medici nesciebant,

[1] Cod. *sanos*. [2] Cod. repetit *et*.

ut dixit. Dixit eciam quod quando fuit curata, ipsa ivit ad beatum Ludovicum et obtulit sibi ymaginem de cera et regraciata fuit sibi multum humiliter de gracia quam sibi fecerat et de remedio et cura sue infirmitatis. Et dixit quod postea per graciam Dei sana fuit. Interrogata qui fuerint illi qui sciverunt istum morbum et condicionem ipsius, dixit quod soror sua Beatrix, que mortua est, et sororius suus Ramundus Tybaldi et Iohannes Torti frater suus et magister P(etrus) Guase medicus et duo iudei, unus medicus et alius sirurgicus [1]; et Alayda Hugolina et multi religiosi qui frequenter visitabant eam, et alii de vicinia. Interrogata de tempore quo fuit ita sanata, dixit quod octo anni sunt. Dixit eciam quod fama est in civitate Aquensi et in Provincia quod beatus Ludovicus fuit humilis et sancte vite et perfectus in omni sciencia et virtute, et quod Deus propter merita ipsius plura miracula operatur et operatus est frequenter, et quod de hoc est fama Massilie et in Provincia et alibi; et ipsa credit pro certo quod ipse sit sanctus. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxij.

Iohannes Torti de Aquis, frater carnalis dicte Arrixende, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona dicte sororis sue meritis beati Ludovici, narravit et dixit quod dicta soror sua fuit infirma gravissime per VIJ^{tem} annos de febribus
78ª et de gutta, et quod erat inflata, interdum magis et interdum minus, et habebat * IIIJ^{or} medicos solempnes, quorum unus erat magister Guillelmus de Colibreris, et alii supraproximo nominati, et nesciebant sibi dicere que infirmitas erat illa nec remedia invenire pro sanitate illius, immo continuo morbus crescebat, quamquam multa medicinalia darent ei; et tam medici quam alii et ipsamet erant desperati de cura et sanitate ipsius. Demum dicta infirma, de consilio unius sororis sue et eiusdem cognati sui, devovit se et ipsi devoverunt eam beato Ludovico; tamen testis qui loquitur, sicut dixit, non fuit presens in voto, set statim audivit a predictis qui recitaverunt sibi. Et infra modicum tempus dicta Arryxenda emisit per os et per aliam partem omnem materiam illius egritudinis, et erat horribile et fetidissimum videre et sentire. Et deinde plene curata fuit, sicut testis qui loquitur credit et supponit pro firmo quod miraculose per graciam et merita beati Ludovici. Interrogatus de tempore quo fuit curata, dixit quod sunt octo anni vel circa, sicut credit. Dixit eciam quod ipse credit quod propter merita beati Ludovici et propter bonam et sanctam vitam, quam ipse habuit dum vixit, Deus facit frequenter et fecit miracula pro eo, et quod de hoc est publica vox et fama Aquis et in Provincia et in multis aliis locis, ut dixit. Et dixit eciam quod ipse credit pro firmo quod beatus Ludovicus sit sanctus. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod gentes communiter dicunt. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; set quia veritas in predictis omnibus sic se habet.

---

[1] Sic.

Item aliud miraculum de ydropico curato.

Cap. cxiij.

Alaracia Salvarda, habitatrix Sumidrii, diocesis Nemausensis, etatis XLIIIJ annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur esse factum per invocacionem et merita beati Ludovici in persona filii sui Petri, dixit quod dictus Petrus filius suus, dum erat etatis x annorum, fuit factus ydropicus et ita grossus [1] in ventre et in * tybiis quod vix poterat ire, et affligebatur multum *f. in epate et splene; ita quod ipsa mater sua filio compaciens habuit recursum ad unum bonum et peritum medicum qui erat in dicto loco di Sum[i]drio, et ille habuit eum in cura sua tribus mensibus, et non potuit sibi proficere cum aliquibus medicinalibus vel emplaustris, immo continue tumor crescebat et dolor invalescebat. Quo viso, dicta mater duxit eum apud Montem Pessulanum, quia ibi erat maior copia medicorum, et ibi posuit eum in cura unius solempnis medici, qui per IIIJ^{or} menses habuit eum in manibus suis et dedit illi multa medicinalia; et in nullo profecit ei, set continuo peius erat ei, ita quod tunc de novo, circa finem illorum IIIJ^{or} mensium, fecit sibi fieri unum beuragium per quod credebat aliquod remedium provenire. Videns autem dicta mater quod multa promissa remedia non iuverunt nec iuvabant eundem, timuit de isto quod non proficeret, et ideo convertit se cum multo dolore et devocione ad beatum Ludovicum de Massilia, qui tunc temporis de novo transiverat de hoc mundo et de quo dicebatur quod faciebat plura miracula, promittens et vovens quod, si non biberet dictus filius suus de illo beuragio sibi facto et de dicta ydropisi curaretur, [2] dicta mater cum uno sudario et una libra cere dictum filium suum duceret apud Massiliam ad sepulcrum beati Ludovici. Et eadem nocte, cum in crastinum deberet sumere de illo beuragio, dicta mater venit ad predictum filium suum ut duceret eum spaciatum, prout erat ei consultum; et tunc filius dixit matri: « Ha, domina, sciatis quod ego non sencio tantum dolorem sicut senciebam heri [3] et consuevi sentire, immo videtur michi quod multum fuerit mitigatus dolor, et tumor eciam aliqualiter diminutus ». Quo audito et viso per matrem, exultavit in Domino et devocius quam prius beati Ludovici auxilium invocavit, ita quod continuo * tumor et dolor decrescebat et *f. infra xv dies, beuragio vel medicinali aliquo a voti tempore non assumpto, dictus filius fuit plene et integre a doloribus et tumore predictis curatus et totaliter liberatus; et ipsa supponit et credit et tenet pro firmo quod solus Deus per invocacionem beati Ludovici dictum filium a predictis tumore et idropisi miraculose liberavit; et ipsa reputabat ante filium perditum pro eo quod continuo predictus morbus crescebat in eo, et tunc filius sepe dicebat ei quod venter sibi cadebat et multo tempore fuerat in manibus medicorum qui non profuerant set nocuerant, ut dixit. Et statim, post invocacionem beati Ludovici et votum, dictus filius agnovit manifeste remedium, et mater propriis occulis istud vidit. Dixit eciam mater quod multa alia miracula fecit beatus Ludovicus in dicto loco de Sumidrio, que ipsa et multi alii viderunt, ita quod populus, visa frequencia miraculorum que facit ibidem, reputant ipsum sanctum. Interrogata de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt x anni et plus. Interrogata si est fama in loco predicto de Sumidrio et in locis circumvicinis quod propter bonam

[1] Cod. *gressus.* [2] Cod. repetit *quod.* [3] Cod. *ei.*

et sanctam vitam, quam habuit et tenuit beatus Ludovicus, Deus fecerit et faciat multa miracula, dixit quod sic. Dixit eciam quod gentes dictorum locorum dicunt ipsum esse sanctum et tamquam ad sanctum recursum habent ad eum in suis infirmitatibus et necessitatibus, et eius meritis et auxilio salubria remedia consequuntur. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ait deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxiiij.

Petrus Salvardi, filius dicte Alaracie testis supraproximo nominate, etatis xxti vel circa annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona ipsius Petri qui loquitur, meritis beati Ludovici,
f. 78d dixit * quod ipse bene recordatur de predicta infirmitate quam passus fuit x anni sunt elapsi vel circa, prout in supraproximo testimonio predicte matris sue continetur, quia tunc ipse Petrus, ut dixit, erat etatis x annorum; non tamen recordatur quia ipse audiverit quod predicta mater sua ipsum devoverit vel promiserit beato Ludovico, sed bene audivit dici postea a predicta matre sua quod ipsum devoverat beato Ludovico. Dixit eciam quod bene recordatur quod ipse dixit quadam die dicte matri sue, quod ipse non senciebat tantum dolorem sicut senciebat die precedenti, et tunc dicta mater sua fuit multum leta et dixit ei quod illud erat propter votum quod ipsa fecerat de eo beato Ludovico. Et credit ipse Petrus et tenet pro firmo quod ipse ab illa infirmitate fuit liberatus et curatus omnino miraculose propter predictum votum et per invocacionem et merita beati Ludovici. Dixit eciam idem testis quod publica vox est et fama in predicto loco de Sumidro et in locis circumvicinis et in Provincia quod Deus fecit et facit multa miracula per invocacionem et merita beati Ludovici, et quod gentes dicunt ipsum esse sanctum et in suis necessitatibus et infirmitatibus ad ipsum tamquam ad sa[n]ctum et ad eius suffragia veniunt et recurrunt, et salubria remedia consecuntur. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; sed quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxv.

Petrus Magnalli de Sumidrio, Nemausensis diocesis, etatis Lta annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona Petri Salvardi predicti meritis beati Ludovici, dixit quod ipse vidit dictum Petrum longo tempore pacientem morbum qui dicitur aganos vel ydropisis, et erat valde grossus ita quod cum difficultate ibat, et vidit eum in
f. 79a cura unius solempnis medici qui vocabatur magister Iohannes * Provincialis, qui fuerat medicus unius Pape, sicut dixit, et ille tenuit eum in cura sua longo tempore, et non profecit ei, immo desperabat de cura ipsius. Postea idem testis vidit dictum Petrum in Monte Pessulano, ubi fuerat portatus quia credebatur quod ibi deberet remedium inveniri, et tamen continuo videbatur esse peius ei. Finaliter audivit ipse testis quod mater dicti Petri devoverat eum beato Ludovico qui iacet in Massilia, quod votum

testis qui loquitur non audivit, ut dixit; et audivit dici quod statim, facto voto per matrem, dictus Petrus incepit meliorari, et exclusis omnibus medicinalibus fuit a dicto morbo infra xv^{cim} dies a voti emissi tempore liberatus; et ipse vidit eum curatum et liberatum, et reputavit miraculum, quia audiverat, sicut dixit, a dicto magistro Iohanne Provinciali talia verba que videbantur sapere quod non poterat ullo modo curari, et viderat eum in pessimo statu, et quasi subito vidit eum postea sanitati restitutum. Et supponit et tenet et credit firmiter, et credunt et tenent eciam hoc vicini sui, sicut ipse dixit, quod per invocacionem beati Ludovici dictus Petrus fuit miraculose curatus. Audivit eciam dici a matre dicti pueri et ab ipso Petro quod statim, voto emisso, incepit meliorari, et dolor et tumor remitti. Et videtur bene miraculum ubi morbus erat tantus et tanto tempore duraverat et medici tam periti non inveniebant remedium, immo unus sibi dixerat quod omnino desperabat, ut supra, et morbus qui videbatur [1] cottidie in augmento ita subito curaretur. Interrogatus de etate dicti pueri quam habebat eo tempore quo infirmabatur, dixit quod habebat x annos vel circa. Interrogatus de tempore quo fuit curatus, dixit quod sunt octo anni et plus; et ipse testis qui loquitur venit tunc cum dicto puero et matre ipsius apud Massiliam pro implendo voto predicto. Dixit eciam quod multa alia miracula fecit in loco predicto de Sumidrio dictus beatus Ludovicus, et quod est vox et fama publica in dicto loco de Sumidrio et in locis circumvicinis quod Deus per invoca-*cionem *f. et merita beati Ludovici multa miracula operatur et operatus est, et quod tenent et reputant eum sanctum, ut dixit, et in suis infirmitatibus et necessitatibus multi et multe recurrunt ad eum et inveniunt remedium salutare. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item de ydropicis curatis meritis dicti sancti habes inferius in deposicione Galteri de sancto Laurencio, capitulo de casu vel lapsu [2]; *et in deposicione fratris Raymundi Gaufri[di] in theologia magistri: quere retro capitulo de vita dicti sancti* [3].

In nomine Domini, amen. Incipiunt miracula de paraliticis curatis meritis eiusdem beati Ludovici, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. cxvj.

Guillelmus Pauli civis Massiliensis, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super paralisi que dicitur contigisse in persona Laurencii Pauli quondam patris sui, dixit quod dictus pater suus ex parte sinistra sui corporis fuit paraliticatus secundum quod medici dicebant, qui vocabant ita illum morbum, et fuit in illa infirmitate IIII^{or} mensibus. Et illo tempore quo beatus Ludovicus incepit facere miracula, ipse qui loquitur devovit patrem suum beato Ludovico; et sustinendo et supportando eum ex parte lesa duxit eum ad sepulcrum beati Ludovici cum uno brachio de cera, quia in brachio potissime erat factus quasi impotens; et oravit ibi diu et postea reversi sunt ad domum. Et tunc pater incepit manum suam paraliticatam et brachium ad capud erigere et se vestire et iuvare seipsum, quod ante facere non poterat racione dicte infirmitatis, ut dixit. Et credit pro firmo quod illud relevamen habuit a dicta infirmitate propter invocacionem et merita beati Lu-

---

[1] Cod. *vocabatur*. [2] Cap CXLIII. [3] Cap. VI, pag. 68.

dovici. Dixit eciam quod fama est Massilie et in Provincia quod, propter bonam conversacionem et sanctam vitam quam habuit beatus Ludovicus, Deus facit frequenter et fecit miracula pro eo; et credit pro firmo quod ipse sit sanctus, et quod multum
79c confidit in eo. Interrogatus quid est fama, * dixit quod illud quod comuniter gentes dicunt. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxvij.

Alarazcia uxor dicti Guillelmi Pauli, etatis XLta annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona dicti Laurencii meritis beati Ludovici, dixit quod vidit dictum Laurencium Pauli, quondam socerum suum, quod non poterat se iuvare de uno brachio suo nec de manu nec de una tibia cum pede; tamen nescit an esset a parte dextra seu sinistra, nec scit eciam qualis esset morbus. Et cum sic stetisset aliquo tempore in dicta infirmitate et impotencia predictorum membrorum, dictus Guillelmus, filius dicti Laurencii et maritus ipsius testis que loquitur, devovit eum beato Ludovico et duxit ad sepulcrum suum suscipiendo et supportando eum a parte impotente, et ipse Laurencius tenebat baculum in manu cum quo se appodiabat; et ibi oravit pro eo dictus filius suus et complevit votum suum. Et, voto completo, eadem hora dictus Laurencius rediit ad domum suam sine baculo et sine aliquo qui eum adiuvaret; et ipsa vidit eum perfecte curatum et quod iuvabat se de brachio et de manu et ibat rectus, quod ante facere non poterat; et ivit postea quamdiu vixit, ut dixit. Et credit pro firmo quod ipse habuit illud relevamen propter invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata de tempore quo predicta contigerunt, dixit quod sunt x anni vel circa, ut credit. Interrogata si est fama et vox publica Massilie et in Provincia quod, propter bonam et sanctam vitam quam tenuit et habuit beatus Ludovicus et propter merita sua, Deus faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic, et quod gentes in predictis locis tenent eum pro sancto, et ipsa tenet et credit pro firmo quod sit sanctus. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

79d **In nomine Domini, amen. Incipiunt miracula de guttosis sa-*natis per auxilium et merita predicti beati Ludovici, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.**

Cap. cxviij.

Guillelma uxor quondam Ferrarii de Balnia, civis Massiliensis, etatis LXta annorum, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona Iohannis filii sui, qui dicitur passus fuisse guttam in nate sive anca duobus mensibus vel circa, dixit quod filius suus predictus pro illo tempore affligebatur multum in ancha et in tibia et in pede de gutta in parte dextra, sicut videtur sibi, et gemebat et plangebat de die et nocte et non poterat ire rectus. Et demum, habens devocionem ad beatum Ludovicum, devovit se sibi promittendo unam ancham, tybiam vel pedem de cera se oblaturum, si ille morbus sic affligens eum cessaret. Et statim, voto emisso, cessavit infirmitas, et recte ivit. Et cum staret in ista sanitate, oblitus voti quod fecerat et promisit, vel contempnens

reddere quod promiserat, in similem passionem et egritudinem est reversus. Quo agnito, votum et promissum persolvit; et ex tunc fuit curatus integre, et predicta infirmitas, sicut dixit, est omnino sublata. Interrogata de tempore, dixit quod octo anni sunt et plus; et ipsa vidit et audivit predicta, et credit et tenet pro firmo quod Deus propter sanctam et perfectam vitam et meritis beati Ludovici absque aliquo alio medicamine sibi de predicta infirmitate dederit sanitatem. Interrogata si est fama Massilie et in Provincia quod Deus propter merita beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula et si tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipsa credit et tenet pro firmo quod sit sanctus. Interrogata de hiis qui sciebant infirmitatem predictam, dixit quod omnes de domo sua. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; set quia de predictis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quadam muliere guttosa *f.
* postea curata propter invocacionem et merita dicti sancti.

Cap. cxix.

Franciscus Gaufridi civis Aquensis, litteratus homo, etatis xxviij annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona Iordane Blancarde de Aquis avie quondam sue, que dicitur passa fuisse guttam xx[ti] annis vel circa, dixit quod ipse vidit dictam aviam suam infirmam de gutta gravi in manibus suis dumtaxat, que affligebat eam in tantum quandoque quod non poterat se pascere nec in aliquo manibus se iuvare, et maxime tempore hiemali. Interrogatus quomodo scit predicta, dixit quod ipse, dum erat puer etatis sex annorum, iacebat cum ea et interdum cum alia persona in eadem camera tantum, et audiebat eam propter afflictionem clamantem et invocantem sanctos quod adiuvarent eam de dicta infirmitate; et ita passa fuit et afflicta de infirmitate predicta decem annis vel circa, prout ipse recordatur. Et cum processu temporis ipsa audivisset quod Deus incipiebat facere miracula meritis beati Ludovici, ipsa devovit se beato Ludovico et visitavit sepulcrum eius et stetit ibi per octo dies vel circa, orando, rogando et supplicando devotissime beatum Ludovicum quod ipse impetraret sibi graciam cum Deo ut eam a dicta infirmitate et dolore curaret ac eciam liberaret, nolens inde recedere donec fuisset curata. Et cum sic stetisset per illos octo dies vel circa, ipsa fuit a dicta infirmitate penitus liberata et curata; et ita audivit dici ipse qui loquitur ab ea quando ipsa reversa fuit Aquis, tamen ipse non fuit presens, ut dixit, nec eciam quando fecit votum, set postea vidit eam sanam et curatam continuo. Et vixit in illa infirmitate quinque annis vel plus, ut dixit. Et ipse credit firmiter et supponit quod devocio et invocacio quam ipsa habuit ad beatum Ludovicum fecit dictam infirmitatem cessare, quia ipsa ante fuerat in Valle viridi et alibi ad multos sanctos pro impetranda sanitate, et non potuit ob-*tinere. Dixit eciam quod ipse credit *f.
quod nullo medicamine posset curari, set solum per invocacionem et merita beati Ludovici fuit a dicta infirmitate curata et liberata. Dixit eciam quod fama est et vox publica in civitate Aquensi et in Provincia et alibi quod Deus propter merita beati Ludovici facit frequenter multa miracula et fecit, ut nonnullis est de Provincia et de aliis regionibus manifestum, et ipse credit et tenet pro firmo quod ipse sit sanctus,

et quod hoc quamplurimi tenent et firmiter credunt. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur communiter a multis. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxx.

Aycarda Gaufrida de Aquis, etatis xl^ta annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona Iordane Blancarde de Aquis quondam matris sue, que dicitur passa fuisse guttam in manibus suis x annis et amplius, que affligebat eam tantum et maxime in hieme quod non poterat se manibus pascere nec eciam iuvare; et ipsam videbat hoc quasi quotidie, et a dicto morbo nullo medicamine poterat curari nec remedium aliquod invenire. Demum cum beatus Ludovicus tunc temporis de novo inciperet facere miracula, dicta Iordana mater ipsius testis que loquitur, que multum erat paciens et devota, ut dixit testis que loquitur, devovit se beato Ludovico, et ipsa erat presens; sed non ad istum finem quod vellet a dicta infirmitate curari, quia eam multum libenter et pacienter sustinebat quando recordabatur quod Christus in manibus suis fuerat perforatus et passus longe magis vehementem dolorem quam ipsa haberet vel posset sustinere, sed ut Deus manifestaret in ea miracula que debebat facere propter bonam et sanctam vitam quam duxerat et tenuerat beatus Ludovicus dum vivebat, et quia ipsa viderat eum dum vivebat,
80c ideo plus confidebat et maiorem devocionem habebat in eo, ut dixit. * Et voto emisso, ipsa ivit apud Massiliam et visitavit sepulcrum beati Ludovici, et stetit ibi per aliquos dies, sed non recordatur de numero dierum, ut dixit, et oravit et deprecata fuit beatum Ludovicum devotissime quod impetraret sibi graciam cum Deo ut a dicta infirmitate et dolore eam liberaret et curaret. Et post paucos dies reversa fuit Aquis dicta Iordana ad domum suam, perfecte curata et liberata a dicta infirmitate; et ipsa testis que loquitur vidit eam curatam et mirata fuit valde, ut dixit, sed ipsa non fuit presens quando dicta mater sua visitavit sepulcrum beati Ludovici. Interrogata de tempore quando fuit curata et liberata a dicta infirmitate dicta mater sua, dixit quod sunt octo anni et plus, sicut credit. Et dixit quod ipsa credit et tenet pro firmo quod dicta mater sua fuerit miraculose curata et liberata a dicto morbo per invocacionem et devocionem quam ipsa habuit ad beatum Ludovicum.

Adiecit eciam eadem testis que loquitur, et iterato iurata, quod dicta mater sua post infirmitatem predictam per aliquod tempus passa fuit morbum gravissimum in collo, qui affligebat eam in tantum quod ipsa non poterat iacere nec stare nec vertere collum suum et habebat etiam inflatum, ut dixit. Et cum sic stetisset afflicta per octo dies, recogitavit graciam quam sibi fecerat beatus Ludovicus de dicta infirmitate sua, videlicet de gutta quam habuerat in manibus, et rogavit eum devotissime quod impetraret sibi graciam cum Deo ut a dicto dolore colli eam curaret et liberaret et quod ipsa sepulcrum suum ad cicius quod posset visitaret. Et post votum venit Massilie [habens] adhuc dictum dolorem in collo, et visitavit sepulcum beati Ludovici et deprecata est eum ibi devotissime ut sibi cum Deo graciam impretraret de dicto dolore et infirmitate colli sui. Et oratione facta et completo voto supradicto, sanata

est perfecte et rediit ad domum suam infra triduum curata et liberata a dicto morbo. Et ipsa testis que loquitur, que non fuerat cum ea quando visatavit sepulcrum beati Ludovici, vidit eam perfecte curatam et gavisa fuit multum, et dixit quod mater sua dixerat sibi quod beatus Ludovicus curaverat eam a dicto morbo colli. Et ipsa credit pro * firmo et tenet quod per invocacionem devotam et meritis beati Ludovici mater sua curata et liberata fuerit ab infirmitate predicta. Interrogata si est fama Aquis et in Provincia quod Deus propter bonam et sanctam vitam quam habuit beatus Ludovicus multa miracula operatus sit ac etiam operetur, et si tenent eum pro sancto gentes in dictis locis, dixit quod sic et quod multum recommendant se sibi et confidunt in eo, et ipsa credit et tenet pro firmo quod ipse sit sanctus. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quodam guttoso curato meritis dicti sancti.

Cap. cxxj.

Petrus Hysnardi de Cadeneto,[1] Aquensis diocesis, etatis LX^{ta} annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super eo quod dicitur guttosus fuisse vel guttam passus fuisse multis annis in manu, brachio et humero dextris et in ventre, dixit quod huiusmodi guttam seu morbum ipse passus fuit sex annis et amplius in predictis membris[2] suis, ita quod in qualibet septimana bis vel ter affligebat eum gravissime et maxime quando frigida comedebat, et dum durabat illa affliccio ipse clamabat fortiter et nullum poterat nec per medicos nec alias remedium invenire, nec poterat eciam operari nec laborare. Demum ipse recursum habuit ad beatum Ludovicum qui iacet Massilie, eius opem cum magna fiducia et adiutorium implorando devote, et sic se devovit eidem promittens sibi visitacionem corporalem et unum scandale de cera si sibi daret de illo morbo sic afflictivo et morbido sanitatem. Quo voto emisso, inmediate fuit a dicto morbo plenissime liberatus, ita quod nec per frigida nec per alia que sumpsit, postea fuit in aliquo a dicto morbo gravatus vel molestatus. Interrogatus si aliqui sciebant infirmitatem ipsius, dixit quod sic, scilicet uxor sua et filii sui clericus et laycus, et aliqui vicini sui. Interrogatus si ipse credit et tenet firmiter quod beatus Ludovicus sibi huiusmodi remedium sanitatis impetraverit cum Deo, dixit quod sic. Interrogatus qui * audiverunt quando fecit votum, dixit quod non recordatur. Interrogatus quo tempore cessavit dicta infirmitas, dixit quod bene sunt octo anni vel circa, ut sibi videtur. Interrogatus si est fama in dicto loco de Cadaneto[3] et in Provincia quod beatus Ludovicus fuit bone et sancte vite et quod Deus meritis suis multa miracula operatus fuerit ac eciam operatur, dixit quod sic, et ipse credit et tenet pro firmo et in locis eciam predictis tenent et credunt pro firmo multi quod ipse sit sanctus, ut dixit. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore, aut instructus vel informatus a quoquam ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

---

[1] Sic. [2] Cod. bis *membris*. [3] Sic.

Super eodem miraculo.

Cap. cxxij.

Ramunda uxor dicti Petri Hysnardi, etatis xl^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto facto meritis beati Ludovici in persona dicti mariti sui, ut dicitur, dixit quod ipsa vidit dictum maritum suum pacientem in ventre, in humero, in brachio et in manu et in tota parte dextra dolorem gravissimum, et ille morbus seu dolor duravit sibi sex annis et ultra, ut dixit, ita quod nichil poterat laborare. Dixit eciam quod tribus mensibus ita vexavit eum fortissime dictus dolor et morbus, quod factus fuit omnino impotens nec poterat se movere nisi adiutus auxilio alieno, nec eciam manum dextram poterat elevare ad os; et ista impotencia invaluit circa finem sex annorum predictorum. Dixit eciam quod dicta infirmitas ventris et dextre partis incepit per plures annos ante obitum beati Ludovici et duravit eo vivente, sed tamen illa gravedo impotencie supervenit post eius obitum; et tunc dictus maritus suus, sicut dixit ipsa que loquitur, habens fiduciam in dicto beato Ludovico, devovit se beato Ludovico et promisit se visitaturum sepulcrum suum et portare scandale; quod et fecit, sicut dixit. Et statim, facta promissione, dictus maritus suus liberatus fuit et a morbo et dolore, et in f. 81^{b} tota parte * in qua passus fuerat sanitati integraliter restitutus. Et dixit quod ipsa vidit hoc et erat presens et audivit quando dictus maritus suus devovit se beato Ludovico, et credit et tenet pro firmo quod ipse fuit curatus et liberatus a dicta infirmitate per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata de tempore quo ista fuerunt, dixit quod sunt octo anni. Interrogata de personis que sciebant dictam infirmitatem, dixit quod ipsa et Iohanna de Ammone et Bertranda Echionda et duo filii ipsius que loquitur, Guillelmus et Petrus, et multi vicini sui. Et dixit ipsa que loquitur quod credebat morbum dicti mariti sui esse incurabilem, et vicini sui eciam hoc credebant. Interrogata si est publica vox et fama in dicto loco de Cadaneto et in Provincia quod Deus meritis beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula et si est fama in predictis locis quod sit sanctus et si tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipsa credit et tenet pro firmo quod sit sanctus. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxxiij.

Guillelmus Hysnardi clericus, filius dicti Petri Hysnardi de Cadaneto, etatis xxv annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto facto meritis beati Ludovici in persona patris sui predicti, dixit de infirmitate patris sui, scilicet de impotencia, de voto, de tempore et de sciencia et de fama beati Ludovici et quod sit sanctus in omnibus, idem quod Ramunda mater sua predicta, et atribuit beato Ludovico curam et sanitatem dicti patris sui. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quodam homine guttoso curato per invocacionem et merita eiusdem beati Ludovici.

Cap. cxxiiij.

Bertrandus Aycardi de Flassans, Foroiuliensis diocesis, etatis xxxiiij^{or} annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super eo quod dicitur passus fuisse per duos annos guttam * gravem et postea per invocacionem et merita beati Ludovici fuisse curatus, dixit quod ipse fuit passus guttam in toto corpore suo ita gravem et ita anxiam quod non poterat se de membris suis iuvare et ex illa anxietate fuit factus totus niger et membra sua in parte mortificata. Interrogatus quomodo obvenit sibi illa infirmitas, dixit quod primo passus fuit febres et ex illis decidit in inpotenciam, nigredinem et infirmitatem predictam. Interrogatus quanto tempore duravit sibi, dixit per biennium et ultra. Interrogatus quomodo fuit curatus, respondit quod matrem habebat que morabatur Massilie, que, auditis miraculis que Deus propter merita beati Ludovici operabatur, venit ad istum qui loquitur et sicut mater desiderans filii sanitatem suasit eidem quod se devoveret beato Ludovico, propter quem miracula facta erant. Et licet a principio testis qui loquitur non acquiesceret liberaliter matri sue pro eo quod multos sanctos alios invocaverat et remedium non invenit, finaliter tamen matris voluntatem sequens, per hec verba se devovit beato Ludovico, quod si infra octo dies sibi sanitatem donaret, [1] ipse visitaret sepulcrum ipsius et sibi daret unam ymaginem de cera. Et in capite illorum octo dierum ipse, sicut asserit, liberatus fuit a dicta nigredine, et votum suum una cum oblacione complevit; nec postea, sicut dixit, morbum sensit vel vestigium aliquod infirmitatis predicte, de qua nullo modo curari posse credebat, ymmo frequenter optavit sibi mortem pocius quam vitam, sicut homo qui de cura sua videbatur totaliter desperare. Et supponit et credit pro firmo quod Deus per invocacionem beati Ludovici sibi restituit sanitatem. Interrogatus si aliqui sciebant suam infirmitatem, dixit quod Ramunda Arnalda et Aycarda Bendieyra et Marcellina dicti loci et multi alii de vicinia, ut dixit. Interrogatus de tempore quo sic contigit dicta infirmitas, dixit quod sunt x anni vel circa, ut credit. Interrogatus si est fama et vox publica in dicto * loco de Flassans et in Provincia quod Deus propter bonam et sanctam vitam beati Ludovici fecerit et faciat multa miracula, et si gentes in predictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipse tenet et credit pro firmo quod sit sanctus et quod multa miracula fecit in personis dicti loci de Flassans, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quodam alio guttoso curato meritis dicti sancti.

Cap. cxxv.

Guillelmus de Vapnico, presbyter etatis lx^{ta} annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona ipsius per

[1] Cod. repetit *quod*.

invocacionem et merita beati Ludovici, dixit quod ipse fuit passus guttam gravissimam in nodo squine sue, que afflixerat eum x annis et plus, ita quod nullum remedium poterat invenire cum aliquo medico, quanquam ad multos in arte medicine peritos habuisset recursum; et omni die augmentabatur dolor, et ipse magis debilitabatur et erat sibi prohibitum per medicos quod nulla legumina comederet nec carnes bovinas nec piper nec alias species nisi de gingibere, et multa alia comestibilia erant sibi prohibita per eos. Et tunc ipse testis, considerans quod nullum remedium humanum proficiebat eidem, invocavit auxilium beati Ludovici et devovit se ei prima dominica quadragesime proximo preterite, [1] et promisit ei quod si infra Pascha tunc venturum liberaret eum a dicto langore et dolore, [2] ipse infra festum Penthecostes subsequens esset peregrinus et veniret ad sepulcrum beati Ludovici. Et facto voto, statim nocte sequenti liberatus et curatus fuit a dolore et langore et infirmitate
82a totali, nec postea, quanquam fuerit usus * omnibus sibi prohibitis, sensit aliquid de dolore predicto. Et credit et supponit pro firmo quod per invocacionem et merita beati Ludovici ipse fuit miraculose liberatus a dolore predicte gutte, quia ipse nec medici qui eum habebant in cura sperabant quod nunquam deberet dictus dolor cessare. Interrogatus de personis que sciebant hoc, dixit Ramundus frater suus et Guillelma soror sua et multi alii vicini sui, ut dixit; votum tamen non audivit aliquis nisi ipse dumtaxat. Interrogatus si est fama in civitate et diocesi Vapnicensi et in Provincia quod Deus faciat et fecerit multa miracula per invocacionem et merita beati Ludovici et si tenent eum pro sancto gentes dictorum locorum et si dicunt ipsum esse sanctum, dixit quod sic, et ipse hoc credit et tenet pro firmo, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxxvj.

Ramundus de Vapnico, etatis XL^ta annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum per invocacionem et merita beati Ludovici in persona dicti Guillelmi fratris sui, dixit quod ipse vidit predictum fratrem suum pacientem gravem guttam que multum graviter affligebat eum in nodo squine sue et afflixerat ipsum decem annis et plus, ita quod cum medicis nullum poterat remedium invenire, nec ipse testis confidebat quod dictus frater suus per artem aliquam medicine curari a dicta infirmitate, nec medici eciam confidebant quod curari posset, ut dixit. Et cum sic stetisset dictus frater suus afflictus x annis et plus, devovit se beato Ludovico prima dominica quadragesime proxime preterite, prout dictus frater suus dixit in suo testimonio supraproximo.
82b Ipse tamen testis qui loquitur non audivit * dictum votum nec fuit presens, sed ita audivit dici postea a dicto fratre suo et vidit eum postea curatum et liberatum a dicta infirmitate perfecte, et credit et supponit pro firmo quod dictus frater suus per invocacionem et merita beati Ludovici miraculose consequutus fuerit sanitatem. Interrogatus de fama et de sanctitate beati Ludovici et si instructus vel informatus ab aliquo ita deposuerit in predictis, respondit ut frater suus testis immediate precedens.

---

[1] Idest, die 3 martii 1308. [2] Cod. add. *quod.*

Item aliud miraculum de uno alio guttoso curato meritis beati Ludovici predicti.

Cap. cxxvij.

Iacobus de Albasania, rector ecclesie sancti Iuliani, Vapnicensis diocesis, intelligens et litteratus homo etatis LX[ta] annorum vel circa, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona propria per invocacionem et merita beati Ludovici, dixit quod hoc anno circa mediam quadragesimam proximo transactam, cum ipse crederet esse sanus et ageret omnia sicut sanus, subito arripuit eum quedam gutta in latere sinistro valde gravis et anxia, que de die et de nocte gravissime affligebat eum, ita quod non poterat se iuvare nec quiescere; et in afflictione ista et molestia fuit octo diebus continuis et plus, et remedium non poterat cum aliquo invenire. Demum una die veneris, cum ipse tanto dolore langueret, occurrit sibi memoria beati Ludovici, et tunc convertit se ad eum et devovit se ei per hunc modum: quod, si beatus Ludovicus apud Deum sibi sanitatis graciam impetraret, ita quod dominica sequenti posset Missam et divinum officium celebrare et populum sibi commissum regere, [1] ipse tempore paschali veniret ad sepulcrum ipsius in Massilia causa peregrinacionis et devocionis. Et facto voto, incontinenti cessavit dolor et molestia dicti lateris, et ipse dominica sequenti Missam et aliud divinum officium * celebravit et populum sibi commissum in ecclesia vidit et rexit. Et postea *f. 8 nullum vestigium dicti doloris vel molestie in latere sensit; et per invocacionem beati Ludovici et eius merita in se supponit et tenet firmiter se sanitatem adeptum. Dixit etiam per iuramentum quod ipse causa complendi votum predictum in crastinum invencionis sancte Crucis proximo preterite [2] venit Massilie et dictum votum persolvit. Dixit eciam quod beatus Ludovicus multa miracula fecit et facit et quod hoc est publica vox et fama in dyocesi Vapnicensi et in Provincia communiter, et quod gentes dictorum locorum dicunt et tenent ipsum esse sanctum et implorando eius suffragia in suis necessitatibus et infirmitatibus salubria remedia consecuntur. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; set quia de predictis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxxviij.

Petrus Albercundi [3], clericus et familiaris dicti Iacobi et parochianus dicte ecclesie sancti Iuliani, etatis XVIIJ annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona dicti Iacobi meritis beati Ludovici, dixit quod hoc anno circa quadragesimam proximo preteritam una gravis gutta arripuit dictum Iacobum rectorem ecclesie predicte in latere suo, que de die et de nocte affligebat eum gravissime nec permittebat eum quiescere, immo de nocte et de die clamabat pře nimio dolore, nec poterat remedium invenire; et fuit in ista afflictione per VIIJ[tem] dies, et testis qui loquitur assistebat ei continue et serviebat eidem. Et una die veneris dictus Iacobus,

---

[1] Cod. repetit *quod*. [2] Idest, 2 maii 1308. [3] Vel *Albertundi*.

presente teste qui loquitur, fecit votum beato Ludovico quod si daret sibi sanitatem, ita quod sequenti dominica posset in ecclesia sua celebrare divina, ipse causa peregrinacionis et devocionis veniret ad sepulcrum ipsius; et facto voto, incontinenti cessavit dolor, sicut ipse audivit a dicto Iacobo; nec audivit eum postea plangere *82d* vel languere, et vidit * quod illa dominica Missam populo suo et alia divina officia celebravit, sicut dixit. Dixit eciam quod ipse supponit et tenet firmiter quod per merita et invocacionem beati Ludovici dictus Iacobus fuit omnino curatus a predicto dolore et langore. De fama vero miraculorum et sanctitate beati Ludovici et si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit et respondit sicut dictus rector testis immediate precedens.

Item aliud miraculum de quadam filia guttosa et postea curata meritis dicti sancti.

Cap. cxxix.

Petronilla Albanella, civis Valentinensis, etatis xl[ta] annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata, super miraculo quod dicitur esse factum in persona filie sue Petronille meritis et invocacione beati Ludovici quondam Tholosani episcopi et in civitate Massiliensi sepulti, dixit quod dicta filia sua dum erat etatis v annorum, licet prius esset sana et potens secundum suam etatem ad eundum et ad laborandum, post illud tamen quinquennium supervenit sibi gutta, sicut aliqui dicebant; tamen ipsa nescit bene que vel qualiter erat infirmitas, sed aspina dorssi et crura, genua, tybie et pedes erant ita rigida et ita desiccata membra sua, quod non poterat se movere nec ire nec reducere predicta membra sua ad se, ita erat impotens et contracta. Et in isto statu istius impotencie stetit duobus annis et plus. Et demum dicta testis que loquitur nate sue langori compaciens, cum audivisset miracula que fiebant a Deo propter invocacionem et merita beati Ludovici, dictam filiam suam eidem beato Ludovico devovit, promittens quod ipsa testis ad sepulcrum beati Ludovici veniret personaliter cum una ymagine cere, si dictam filiam restitueret sanitati. Et ipso voto facto, infra triduum omnium membrorum suorum dicta filia convalescenciam et plenam curam recepit, et ivit postea et adhuc vadit recta et *83a* erecta, cessante dicta impotentia, et nichil * in ea vestigii dicte infirmitatis remansit, sicut dixit. Interrogata cuius etatis est modo dicta filia, dixit quod ix annorum vel circa. Interrogata quantum tempus [est] quod votum fuit factum et dicta filia fuit sanitati totaliter restituta, dixit quod in principio quadragesime proximo iam transacte fuit annus. Interrogata si sunt aliqui qui sciant vel viderint impotenciam dicte filie sue, dixit quod sic, videlicet Stephanus filius suus, Guillelmus de Roca, Poncius Novelloni, Iohanna Delaporta et Michaela de Sancto Poncio, et quasi communiter omnes vicini sui. Dixit eciam quod ipsa testis causa solvendi votum predictum venerat apud Massiliam, et supponit et tenet firmiter quod dicta filia sua recuperavit per invocacionem et merita beati Ludovici dictorum membrorum suorum potenciam et salutem. Interrogata si est publica vox et fama Valencie et in partibus illis quod dictus beatus Ludovicus faciat miracula, dixit quod sic, et communiter omnes gentes in partibus illis hoc predicant et affirmant, et dicunt ac asserunt ipsum esse sanctum et ad eum tamquam ad sanctum in suis necessitatibus et infirmitatibus veniunt et recurrunt, se devovendo ei, et per invocacionem et sanctam vitam et merita ipsius salubria re-

media de suis infirmitatibus consequuntur. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas [1] sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxxx.

Stephanus Albanelli, civis Valentinensis, filius dicte Petronille testis proxime, etatis xx^{ti} annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super predicto miraculo quod dicitur esse factum in persona dicte Petronille sororis sue meritis beati Ludovici, dixit in omnibus esse verum sicut predicta mater sua testis proxima dixit et deposuit in suo testimonio proximo supradicto, et credit et tenet pro firmo quod dicta soror sua Petronilla per invocacionem et merita beati Ludovici fuit a dicta impotencia et infirmitate perfecte * et miraculose curata et liberata. *f. Interrogatus si est publica vox et fama in civitate Valencie et in locis circumvicinis et in Provincia quod Deus fecerit et faciat multa miracula per invocacionem et merita beati Ludovici, dixit quod sic, et quod gentes locorum predictorum dicunt et affirmant ipsum esse sanctum et in suis necessitatibus et infirmitatibus ad ipsum tanquam ad sanctum veniunt et recurrunt et se devovent ei, et propter eius merita salubria remedia consecuntur. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

In nomine Domini, amen. Incipiunt miracula de curatis a febribus per invocacionem et merita predicti beati Ludovici, super quibus deposuerunt testes infrascripti ut sequitur, et primo de febre continua. Sequitur aliud

Cap. cxxxj.

Guillelmus del Ros, civis Cistaricensis, etatis XL^{ta} annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona ipsius meritis beati Ludovici, dixit quod die sabbati post octavas Apparicionis proximo preterite [2] arripuit eum febris continua et afflixit eum valde sex diebus; quibus elapsis, crevit infirmitas et ipsius qui loquitur memoria cepit labi, ita quod ex tunc post illos sex dies non habuit sui ipsius cognicionem nec iudicium racionis, ut dixit, immo freneticus et incompos mentis sue effectus, sicut audivit postea recitari ab illis qui sibi in egritudine assistebant. Et prout audivit dici, ista infirmitas duravit sibi xx^{ti} [3] diebus et plus, continuo aggravando, ita quod medici dicebant quod per naturam vel per artem nullum videbant in eo remedium sanitatis, sicut retulerunt sibi curato postea illi qui viderunt eum et medicos audiverunt. Audivit eciam dici quod mater sua in afflіccione nati dolorosa et plangens devovit eum beato Ludovico; quo voto facto, statim dictus Guillelmus qui loquitur fuit liberatus a febre, sicut dictum fuit sibi; quia ipse non audivit, ut dixit. Et mater in voto promisit quod discalciata veniret ad sepulcrum beati Ludovici et eum secum adduceret cum sudario et cum una libra cere; et quedam amita * ipsius Guillelmi qui loquitur promisit eciam aliam *f.

---

[1] Cod. bis *veritas*. [2] Idest, die 13 ian. 1308. [3] Cod. *vigintibus* (*xx^{tibus}*).

libram cere beato Ludovico pro ipso, ut postea audivit dici. Et die lune post octavam Pasche proximo preterite [1] dictus Guillelmus cum matre et amita sua Massiliam advenerunt, sepulcro beati Ludovici ceram et sudarium offerentes. Dixit eciam dictus Guillelmus qui loquitur quod ipse supponit et credit pro firmo quod meritis beati Ludovici et propter invocacionem ipsius ipse obtinuit huiusmodi sanitatem, et est fama et vox publica in civitate et diocesi Cistaricensi et in Provincia quod propter invocacionem beati Ludovici Deus fecit et facit multa miracula et quod sit sanctus, et gentes tenent eum pro sancto in dictis locis. Et ipse credit et tenet pro firmo quod sit sanctus, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxxxij.

Xanctia mater dicti Guillelmi del Ros, civis Cistaricensis, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona dicti Guillelmi filii sui, dixit quod dictus filius suus post octavas Apparicionis Domini proximo preteritas incepit febre continua graviter infirmari, ita quod post quinque vel sex dies debilitata fuit eius memoria et cepit carere iudicio racionis, sicut ille qui iam freneticus fuit factus; et fuit in illa frenesi xij diebus et plus, ut dixit, et continuo infirmitas augebatur, ita quod medici in cura ipsius remedium non videbant, sicut dicebant, ut ipsa testis dixit. Et ista infirmitas duravit sibi xx^{ti} diebus et plus, ut dixit. Et cum expectarent finem vite dicti filii sui et parassent illa que erant necessaria pro sepultura ipsius, mater que loquitur egressa fuit domum in qua filius egrotabat et flexis genibus incepit invocare beatum Ludovicum et cum lacrimis supplicare quod procuraret cum Deo dicti filii sanitatem, et ipsa discalciata veniret ad eius tumulum cum sudario et cum una libra cere, si dictus filius curaretur. Et cum reversa fuisset ad lectum ubi dictus
83^{d} filius laborabat (fuerunt multi assistentes ibidem eius transitum ex-*pectantes), ipsa cepit plus flere et cum letu iterum exivit domum et flexis genibus cum multa devocione, sicut dixit, supplicare beato Ludovico quod dicto filio sic afflicto restitueret sanitatem. Quo facto, iterato ad lectum rediit et filium dormientem invenit, sicut dixit; et post aliquam quietem expergefactus, inventus fuit liberatus a febre, et incepit cognoscere et racionem habere. Et ipsa supponit et credit pro firmo quod per invocacionem beati Ludovici et lacrimabilem et devotam intercessionem ipsius dictus filius, qui alias non videbatur ad curacionem paratus, immo ab omnibus quasi derelictus, fuit miraculose redditus sanitati. Dixit eciam testis que loquitur quod sororia sua devovit eciam tunc dictum Guillelmum beato Ludovico et promisit sibi unam libram cere et quod visitaret eius sepulcrum; quod et fecit, ut dixit. Dixit eciam quod fama est et vox publica in civitate et diocesi Cistaricensi quod propter merita et invocacionem beati Ludovici Deus fecit et facit multa miracula et quod est sanctus et gentes in dictis locis tenent pro sancto, et ipsa tenet et credit pro

[1] Idest, die 22 aprilis 1308.

firmo quod sit sanctus, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit ut dictus Guillelmus filius suus in supraproximo.

Super eodem miraculo.

Cap. cxxxiij.

Iacoba Guillelmina, civis Cistaricensis, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona dicti Guillelmi del Ros nepotis sui, dixit quod post octavas Apparicionis Domini proximo preterite dictus Guillelmus nepos suus incepit infirmari de febre continua, et tenuit eum continuo aggravando per xx^{ti} dies et plures, et fuit factus freneticus et mentis sue incompos, ita quod duo medici qui habebant eum in cura dereliquerunt eum videntes egritudinis gravitatem et periculum in quo erat, dicentes eum nullo modo secundum artem medicine posse curari. Quibus auditis, mater dicti Guillelmi devovit dictum * filium suum beato Ludovico *f. et promisit quod, si sibi restitueret sanitatem, ipsa apportaret sibi unum sudarium cum una libra cere et discalciata veniret ad tumulum beati Ludovici; tamen ipsa testis dixit quod non audivit votum nec promissum. Dixit tamen quod ipsa devovit dictum nepotem suum beato Ludovico et promisit venire ad tumulum ipsius una cum matre sua et apportare unam libram de cera. Et factis istis votis, dicta testis que loquitur et alii assistentes expectabant dicti Guillelmi transitum, et multi dicebant quod quando ipse de dicta egritudine curaretur, mortui qui erant in cimiterio resurgerent. Et cum starent in ista desperacione et parassent omnia que erant necessaria pro sepultura eius, dictus Guillelmus incepit quiescere et dormire, et post aliqualem quietem ipse excitatus fuit et a dicta egritudine totaliter liberatus. Et ipsa testis credit et supponit pro firmo quod per invocacionem et merita beati Ludovici dictus nepos suus fuit a dicta infirmitate curatus et liberatus, ut dixit. Dixit eciam quod fama est et vox publica in civitate et diocesi Cistaricensi et in Provincia quod Deus fecit et facit multa miracula per invocacionem et merita beati Ludovici, et quod gentes in dictis locis tenent eum pro sancto et tamquam ad sanctum recursum habent ad eum devovendo et recommendando se ei, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxxxiiij.

Ramundus Coassa, civis Cistaricensis, etatis XL^{ta} annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto facto, sicut dicitur, in persona dicti Guillelmi del Ros, dixit quod ipse testis qui loquitur et dictus Guillelmus del Ros veniebant de Massilia et in festo Apparicionis Domini proxime preterito intraverunt Cistarius de quo sunt oriundi, et post octavam dicte Apparicionis dictus Guillelmus incepit infirmari febre continua, sicut dicebant medici, et * in illa febre continua continuo agravando stetit tribus septimanis, aliena et turpia *f. loquens et mentis incompos effectus, et ita graviter vexabatur quod oportebat quod

iiij^{or} persone violenter eum tenerent; et ipse erat unus, ut dixit. Et ad tantum deventum fuit, quod medici dicebant quod in cura sua non inveniebant remedium, nec arte medicine cura imminens videbatur. Audivit tamen dici quod mater dicti Guillelmi et Iacoba Guillelmina amita dicti Guillelmi devoverunt eum beato Ludovico cum multis lacrimis et magna devocione, ita quod mater discalciata debuit eum adducere ad tumulum beati Ludovici cum uno sudario et una libra cere, et dicta Iacoba cum libra cere etc. Et intellexit testis qui loquitur, sicut dixit, quod dicta die qua predicta vota fuerunt emissa, dictus Guillelmus incepit dormire et quiescere; et testis qui loquitur tunc venerat ad domum ut videret eum, set quia dormiebat non fuit permissus intrare. Set post illam dormicionem et quietem fuit, ut audivit dici, dictus Guillelmus ab illa egritudine liberatus, et successive postea recuperavit memoriam et pristinam racionem. Dixit eciam quod ipse qui loquitur et omnes qui viderunt eum in dicta infirmitate, reputant miraculum de curacione ipsius, et de hoc est fama inter eos et in vicinia sua. Adiecit eciam quod dicta mater et amita venerunt, ut promisera[n]t, die lune post octavam Pasche proximo preterite apud Massiliam causa explendi vota [1] sua predicta; et impleverunt, ut dixit. Dixit eciam quod fama est et vox publica in civitate Cistaricensi et in Provincia quod Deus fecit et facit multa miracula per invocacionem et merita beati Ludovici, et quod gentes in dictis locis tenent eum pro sancto et tamquam ad sanctum recursum habent ad eum, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece [2], precio, ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxxxxv.

84c * Guillelmus Guillelmini, civis Cistaricensis, etatis xxx^{ta} annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto, dixit quod dictus Guillelmus consanguineus suus, ut dixit, fuit infirmus febre continua inter Nativitatem Domini et quadragesimam proximo preteritam, et illa febris continuo augebatur; et duravit sibi per tres septimanas et plus, ita quod medici desperabant de sanitate ipsius et dicebant quod non erat remedium secundum medicinam nec secundum naturam, nisi Deus vellet miraculose operari. Et perdidit predictus Guillelmus memoriam et iudicium racionis, ita quod circa finem trium septimanarum mater dicti Guillelmi et amita ipsius et multi consanguinei et vicini, in tantum creverat dicta infirmitas, quod eius transitum expectabant. Et tunc mater et amita devoverunt eum beato Ludovico in modo et forma supraproximo tactis. Ipse tamen testis non audivit predicta vota, ut dixit; dixit tamen se vidisse, illa die qua mater dicti Guillelmi et amita dicebant se fecisse votum, dictum Guillelmum a febre penitus liberatum. De aliis vero, scilicet de complemento voti et de fama et si instructus ab aliquo, aut prece, precio ita deposuit in predictis, dixit sicut dictus Ramundus Coassa [3] testis immediate precedens.

---

[1] Cod. bis *vota*. [2] Cod. bis *prece*. [3] Cod. *Guillelmus Guillelmini*.

Item aliud miraculum de quodam milite curato de febre continua meritis dicti sancti.

Cap. cxxxvj.

Ramundus de Servetis, miles de castro Arcuum, Foroiuliensis dyocesis, etatis L^{ta} annorum et ultra, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona ipsius per invocacionem et merita beati Ludovici quondam episcopi Tholosani, narravit et dixit quod, cum ipse fuisset gravissime infirmus febre continua cum apostemate per tres septimanas in civitate Beneventina et haberet octo medicos, sicut dixit, peritos et meliores de dicta civitate, dicti medici, eius visa egritudine, iudicaverunt eum ad mortem, et ipse ex se senciebat nullo modo posse evadere nisi divino * adiutorio mediante. Et dixit et fecit testamentum *f. 84 suum et, vocato Guardiano fratrum Minorum cum aliquibus Fratribus dicte civitatis, elegit sepulturam suam in domo fratrum Minorum et peciit eorum habitum sibi dari. Et cum dictus Guardianus videret quod nulla spes erat de eius convalescencia nec medici sperabant, immo de eius convalescencia desperabant, peciit fieri habitum pro dicto milite, sicut dixit, et portari iuxta lectum suum et parari omnia que erant pro funere necessaria. Et dictus miles qui loquitur audiebat et intelligebat bene que dictus Guardianus et alii dicebant; set passus febre et apostemate non poterat loqui, ut dixit. Tunc idem miles convertit se et invocavit auxilium beati Ludovici et devovit se ei in corde suo; et voto facto, apparuit sibi vigilanti in habitu fratrum Minorum beatus Ludovicus, ut dixit, et tetigit eum in collo cum manu. Et immediate post votum et tactum predictos illud apostema crepatum fuit et per os suum emisit saniem et putredinem horribilem et in magna quantitate, et illa hora tam de febre quam de apostemate dixit se fuisse totaliter liberatum per devotam invocacionem et tactum predicti beati Ludovici; de quo Guardianus et Fratres predicti, qui duabus noctibus iacuerant ante eum in camera in qua erat, ipsius exitum expectantes, et medici supradicti summe mirati fuerunt, cum hoc secundum artem eorum contingere nequivisset nisi miraculose Deus in eo operatus fuisset. Et dixit quod ipse tenet et credit pro firmo quod, per devotam intencionem et invocacionem quam ipse habuit ad beatum Ludovicum, et de febre et apostemate predictis consequutus fuit perfectam sanitatem. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod in proximo mense septembris erunt sex anni. Dixit eciam quod fama est et vox publica in Provincia et in civitate predicta Beneventana de miraculis que * Deus operatur et operatus * 85 est meritis beati Ludovici, et in predictis locis gentes tenent eum pro sancto et implorant eius auxilium se recommendando et devovendo eidem. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de quadam muliere curata de febre continua meritis dicti sancti.

Cap. cxxxvij.

Guillelmina Goyranna castri de Granhano, Diensis diocesis, etatis XL^{ta} annorum, iurata et diligenter interrogata super eo quod dicitur esse curata de gravi febre continua et de dolore gravissimo quem paciebatur in sinistro latere per invocacionem

et merita beati Ludovici, dixit quod ipsa primo passa fuit tercianam et postea supervenit sibi febris continua cum dolore gravissimo in sinistro latere, que afflixerunt eam gravissime xv diebus et plus, ita quod deduxerunt eam [ad] exhinanicionem, et receperat ecclesiastica sacramenta, excepta extrema Unctione ad quam sibi dandam fuit vocatus per amicos cappelanus [1] ecclesie. Qui videns statum ipsius que loquitur, credens eam esse mortuam per signa que videbat, rediit non impenso [2] sibi sacramento Unctionis extreme. Tamen ipsa non recordatur de hoc, set postea quando fuit curata audivit dici quod ita fuerat, ut dixit. Audivit eciam dici testis que loquitur quod, quando erat in predicto defectu, duo fratres sui germani devoverant eam beato Ludovico et promiserunt sibi quod eam adducerent apud Massiliam cum una ymagine cere, si eam restitueret sanitati; et voto emisso, statim assistentes cognoverunt quod et febris et dolor lateris remittebantur, et ipsa meliorata fuit et incepit recognoscere, quod prius non poterat, sicut dixit. Et post paucos dies ipsa, que fuerat multum propter predicta debilitata, recuperavit vires corporis et facta fuit sana. Et supponit et credit pro firmo quod per invocacionem beati Ludovici et per votum
85b quod fecerunt dicti fratres sui ipsa fuit a predictis * doloribus liberata. Interrogata de tempore quo predicta fuerunt, dixit quod est annus et dimidius vel circa. Interrogata de personis que sciunt hoc, dixit quod maritus suus et duo fratres ipsius que loquitur et plures alii, ut dixit. Interrogata si est fama in predicto castro et in Provincia quod per merita beati Ludovici Deus fecerit et faciat multa miracula et si in dictis locis gentes tenent eum pro sancto, dixit quod sic. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxxxviij.

Vincencius Goyrani, maritus dicte Guillelme Goyrane, etatis xl^ta annorum, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona dicte uxoris sue, dixit quod ipse vidit dictam uxorem suam pacientem gravem febrem continuam et dolorem gravissimum in latere sinistro, et sic stetit gravissime afflicta xv^cim diebus et ultra, et morderet assistentes si libere eam dimitterent; ita quod fuit deducta ad exhynanicionem et nullus sperabat de eius sanitate. Et fuerunt sibi ministrata ecclesiastica sacramenta, excepta extrema Unctione, ad quam sibi conferendam fuit vocatus per amicos suos cappellanus ecclesie, qui noluit eidem ministrare, credens quod transivisset per signa que videbat in ea. Dixit quod duo fratres germani dicte uxoris sue devoverunt eam beato Ludovico eius implorantes auxilium et promittentes quod, si eam liberaret et vite restitueret, [3] adducerent eam apud Massiliam ad sepulcrum beati Ludovici cum una ymagine cere. Et statim, voto emisso, fuit a febre continua et dolore predictis liberata; et quamvis ipsa esset propter dictam infirmitatem multum debilitata, post paucos dies ipsa perfecte convaluit et fuit ad statum pristinum reducta, ut dixit. Et credit et supponit pro firmo quod per invocacionem beati Ludovici et per votum emissum per dictos fratres suos ipsa fuit miraculose curata et liberata, ut dixit. In-

---

[1] Cod. *cappelano*. [2] Cod. *impesso*. [3] Cod repetit *quod*.

terrogatus de tempore quo predicta contigerunt * et de personis que hoc sciunt et de fama miraculorum et sanctitate beati Ludovici, et si instructus vel informatus ita deposuerit in predictis, respondit ut uxor sua testis immediate precedens. * f.

Item aliud miraculum de quodam infirmo de febre continua curato meritis dicti sancti.

Cap. cxxxix.

Alaracia uxor Iacobi Michaelis de Manuasca, Cistaricensis diocesis, etatis xxx^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur esse factum per invocacionem et merita beati Ludovici in persona dicti Iacobi mariti sui, dixit quod dictus maritus suus fuit infirmus febre continua tribus septimanis et ad tantum deduxit eum dicta infirmitas quod nec comedebat nec bibebat, immo cum quodam cartanello violenter aperiebatur sibi os et infundebatur brodium in ore ipsius, et ipse non movebat nec os nec labia, set totum exibat quicquid ponebatur in ore ipsius; et in isto statu fuit ab hora vespertina usque ad primum sompnum, et erat totus frigidus et rigidus, nec mingiebat nec sugiebat, sicut dixit. Et dicta testis que loquitur et alii assistentes ibi, dictum Iacobum expirasse credebant, pro eo quod nullum signum vitale apparebat in eo, nec pulsus nec hanelitus nec auditus nec motus nec visus in ipso apparebant, et os suum et oculos suos clausos habebat. Et quidam medicus, quem dixit esse valde peritum et probatum medicum, dereliquerat [1] eum, quia nullam confidenciam habebat de convalescencia dicti Iacobi, ut dixit. Dicta autem testis, de morte viri sui, sicut dixit, multum tristis et dolens, devovit eum beato Ludovico, promictens quod ipsa una cum eo venirent ad sepulcrum ipsius cum una ymagine cere si ipse impetraret apud Dominum quod ipsum [2] vite restitueret et saluti. Et incontinenti, facto voto, dictus Iacobus incepit sudare, et duravit sibi sudor per reliquam partem noctis. Et cum dicta testis interrogaret eum quomodo erat sibi, * ipse respondit quod: « Valde bene, quia ego fui ad sepulcrum beati Ludovici ». Quo audito, testis que loquitur fuit valde leta. Et ex tunc recuperavit dictus Iacobus omnes sensus suos, et febris dimisit eum, et fuit restitutus sanitati et vite, licet propter gravitatem dicte infirmitatis et attenuacionem diete debilis remansisset; set tamen postea febrem non habuit, ut dixit. Et credit et supponit et tenet pro firmo ipsa testis quod per invocacionem et merita beati Ludovici dictus maritus suus fuerit miraculose liberatus a dicta infirmitate et vite restitutus, ut dixit. Dixit eciam quod vox est et fama publica in diocesi Cistaricensi et in Provincia quod Deus fecit et facit multa miracula meritis beati Ludovici et quod reputant eum sanctum et tanquam ad sanctum recursum habent ad eum in infirmitatibus et necessitatibus suis, et per invocacionem ipsius salubria remedia consequuntur. Interrogata de tempore quo ista contigerunt, dixit quod in mense augusti proximo instanti erit annus, set de die non recordatur. Dixit eciam quod votum, quando ipsa fecit, nullus audivit nisi ipsa solum. De astantibus qui viderunt eum in illo statu egritudinis et defectus, dixit quod P(etrus) Iargay, Raymbaudus Salvani et Rustannus Pandulphi et plures alii, de quorum nominibus non recordatur. Dixit eciam testis que loquitur quod ipsa una cum dicto marito suo nunc venerunt apud Massiliam causa complendi * f.

[1] Cod. *derelinquerat*. [2] Cod. *ipsam*.

votum predictum, quod et compleverunt, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxl.

Iacobus Michaelis de Cistarico, etatis xxxv annorum et plus, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona
86a ipsius, dixit quod anno preterito in mense augusti ipse passus fuit gravem febrem * continuam per multos dies, que, secundum quod audivit dici, deduxit eum ad mortem, et multi dixerunt eum mortuum. Audivit eciam dici quod uxor sua Alaracia, dum ipse crederetur mortuus, devovit eum beato Ludovico cum magna devocione et lacrimis, et promisit ei, si impetraret sibi cum Domino sanitatem, quod ipsa una cum dicto marito suo visitarent sepulcrum beati Ludovici et offerrent ibi unam ymaginem cere. Audivit eciam plus dici a dicta uxore sua quod, facto voto, supervenit sibi sudor et post paucos dies fuit curatus a dicta infirmitate. Dixit tamen ipse testis qui loquitur quod, cum ipse in illo sudore interrogaretur ab uxore sua predicta quomodo erat sibi, dixit quod valde bene, quia fuerat ad sepulchrum beati Ludovici et redierat. De voto et de astantibus nichil scit, ut dixit, nisi per auditum; credit tamen et firmiter tenet quod, propter votum huiusmodi factum per dictam uxorem suam et pro eo quod visum fuerat sibi quod fuerat ad sepulcrum beati Ludovici, fuit ita curatus et perfecte liberatus ab infirmitate predicta. De tempore vero et de fama miraculorum et sanctitatis beati Ludovici et si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, respondit et dixit idem quod dicta Alaracia uxor sua testis immediate precedens.

Item aliud miraculum de quodam puero febricitante curato meritis dicti sancti.

Cap. cxlj.

Petrus Magualli de Sumidrio, Nemausensis diocesis, etatis L^ta^ annorum, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona Alexii filii sui per invocacionem beati Ludovici, dixit quod cum dictus filius suus Alexius esset etatis trium annorum vel circa, qui modo est decem annorum
86b et plus, fuit infirmus de febre per duos menses, et * finaliter ad hoc deduxit eum infirmitas, quod visum fuit illis qui custodiebant eum quod deberet transire et mori; et ideo tenebant candelam accensam super pectus eius, sicut est moris fieri hiis qui transeunt, et ipsemet qui loquitur tenuit candelam cum magno dolore et lacrimis, quia videbat dictum filium suum ita pacientem et morientem. Et cum esset in illa anxietate, quedam commater sua dicti loci, que vocabatur Alaracia Salvarda, suasit dicto Petro et Hermessendi Magualle uxori sue, qui assistebant ibi et erant in magna angustia et langore maximo, quod devoverent dictum filium beato Ludovico, qui de novo fecerat testi qui loquitur in persona filii sui Petri magnum miraculum, *sicut habes cap. de ydropicis in deposicione Petri Magalli: quere retro* [1]. Et hoc au-

[1] Cap. cxv, p. 185. Ibidem lege potius *Magualli*.

dientes dicti parentes Alexii predicti, cum magna devocione devoverunt eum beato Ludovico promittentes quod, si Deus propter merita beati Ludovici sibi daret sanitatem, ipsi ambo coniuges venirent ad sepulcrum suum apud Massiliam et offerrent ibi duos cereos. Et statim, voto facto, dictus Alexius, qui erat tunc quasi in actu moriendi, incepit respirare, et ex tunc curatus fuit; et ipsi parentes votum predictum cum predicta Alaracia postea compleverunt. Et ipse testis credit et pro certo tenet quod propter invocacionem et merita beati Ludovici Deus dedit dicto filio suo sanitatem. Dixit eciam quod credit esse miraculose factum et quod Deus meritis beati Ludovici multa miracula facit et fecit in dicto loco de Sumidrio, et in ipso loco et in aliis locis circumvicinis et in Provincia est publica vox et fama quod Deus multa miracula facit et fecit propter merita beati Ludovici, et habent et tenent gentes ipsum pro sancto et reputant ipsum sanctum et in suis necessitatibus et infirmitatibus recurrunt ad eum tamquam * ad sanctum, et eius meritis salubria re- *f. 8
media consequuntur. Interrogatus sit instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxlij.

Alaracia Salvarda de Sumidrio, etatis XLIIIJ annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo quod, dicitur esse factum in persona predicti Alexii Magalli meritis beati Ludovici, dixit quod, cum idem Alexius esset etatis trium annorum vel circa, fuit graviter infirmus de febre gravissima, ita quod cum parentes ipsius de eius vita penitus desperarent et tenerent candelam accensam supra ipsum, prout in tali casu pro morientibus est fieri consuetum, ipsa Alaracia que loquitur dixit et persuasit eisdem parentibus dicti Alexii ibidem presentibus et iuxta ipsum morientem, ut credebant, cum candela accensa assistentibus, quod ipsum Alexium devoverent et promitterent beato Ludovico qui iacet Massilie in ecclesia fratrum Minorum; et incontinenti dicti parentes ipsum devoverunt beato Ludovico, sicut in proximo testimonio dicti Petri Magualli continetur. Quo voto emisso, incontinenti dictus Alexius respiravit et fuit miraculose a predicta infirmitate curatus et penitus liberatus. Et ipsa testis tenet et credit pro firmo quod dictus Alexius propter invocacionem et merita beati Ludovici fuerit a dicta infirmitate liberatus. Interrogata de tempore et de fama sanctitatis et miraculorum beati Ludovici et si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit et respondit ut Petrus Maguelli [1] testis supraproximus.

Item aliud miraculum de quadam filia que passa fuit febrem cum apostemate et postea fuit curata meritis dicti sancti.

Cap. cxliij.

Petronilla Albanella, civis Valentinensis, etatis XL^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur esse factum in persona Katherine * filie Guillelmi de Roca de Valencia et Helysabeth uxoris *f. 8

---

[1] Sic.

dicti Guillelmi et Iohannis Gobel [1], dixit quod dicta Katherina fuit graviter infirma, ita quod aliqui dicebant quod habebat apostema quod extinguebat eam, et alii dicebant quod habebat febrem gravem, ita quod recepit Eucharistiam et eadem die, quia videbatur esse in transitu, cum magna festinancia venerunt cappellani Sancti Apollinaris de Valencia ad inungendum eam. Et testis que loquitur fuit presens et vidit eam tamquam mortuam et tenentem occulos suos clausos, ut dixit. Et cum dicta Elizabeth mater dicte Katherine esset plena gemitibus et dolore, convertit se ad Petronillam testem que loquitur et ostendit sibi statum sue filie morientis, et testis que loquitur tunc suasit eiden quod devoveret eam beato Ludovico. Et multi assistentes ibi reputabant fabulam, quia credebant dictam Katherinam expirasse. Nichilominus tamen dicta Elizabeth mater ipsius Katherine devovit eam beato Ludovico, promittens quod, si beatus Ludovicus dictam filiam suam restitueret sanitati [2], ipsa mater sibi mitteret per testem que loquitur unam ymaginem cere; quod fecit, et ipsa testis que loquitur, ut dixit, ipsam ymaginem portavit. Et facto ipso voto, statim quasi eodem momento dicta Katherina incepit loqui et infra iiijor dies fuit restituta plenissime sanitati, et hoc apparuit quia die iovis ante Annunciacionem beate Marie virginis nuper transactam [3] dicta Katherina fuit in illa gravi egritudine et periculo, et in die lune sequenti [4], sana facta, ivit ad domum patris sui Guillelmi de Roca predicti ad comedendum cum eo. Interrogata de hiis qui sciunt et viderunt predicta, dixit quod Iohaneta Rossilhona, Blanchar marcellaria et plures alii vicini sui, et credit et tenet pro firmo ipsa testis que loquitur quod ipsa Katherina fuit miraculose per invocacionem et merita beati Ludovici restituta sanitati et perfecte curata. Dixit eciam quod publica
87a vox est et fama in predicta civitate * Valencie et in locis circumvicinis et in Provincia quod Deus fecerit et faciat multa miracula per invocacionem et merita beati Ludovici et quod eciam gentes predictorum locorum dicunt et reputant ipsum sanctum et in necessitatibus et infirmitatibus suis ad ipsum tamquam ad sanctum et miracula facientem veniunt et recurrunt, et per eius invocacionem et merita salubria remedia consequuntur. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece vel precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxliiij.

Stephanus Albanelli, civis Valentinensis, filius predicte Petronille, etatis xx annorum, testis iuratus et diligenter interrogatus super predicto miraculo facto in persona dicte Katherine meritis beati Ludovici, dixit in omnibus idem quod proxima testis mater sua, hoc excepto quod ipse [5] non vidit nec audivit fieri dictum votum nec erat presens quando ipsum votum factum fuit per predictam Elizabeth matrem dicte Katherine. Dixit eciam quod, facto predicto voto, dicta Katherina fuit curata a dicta infirmitate et restituta pristine sanitati, et credit et tenet pro firmo quod dicta Katherina fuerit per invocacionem et merita beati Ludovici miraculose curata. Interrogatus si est publica vox et fama in civitate Valencie et in locis circumvicinis

---

[1] Sic. [2] Cod repetit *quod*. [3] Idest, 21 martii 1308. [4] Idest, 25 martii.
[5] Cod. *ipsa*.

et communiter in Provincia quod Deus fecerit et faciat multa miracula propter invocacionem et merita beati Ludovici et si gentes in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic et quod gentes in locis predictis dicunt et asserunt ipsum esse sanctum, et quod in suis necessitatibus et infirmitatibus ad ipsum tamquam ad sanctum veniunt et recurrunt, et quod propter invocacionem et sanctam vitam et merita ipsius de suis infirmitatibus salubria remedia consequuntur. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de predictis veritas sic se habet.

Item de febre invenies retro capitulo de mortuis suscitatis in deposicione Bertrandi Massolli. [1]

* *Item de febre quartana quere retro, capitulo de alienatis a sensu.* [2] *f.

Item de curatis a febre continua, quere post, cap. de periculo partus. [3]

In nomine Domini, amen. Incipiunt miracula de caducis seu epilentis curatis et liberatis per invocacionem et merita dicti beati Ludovici, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. cxlv.

Beatrix Riccana uxor Ramundi Iohannis de castro de Bariamon, diocesis Foroiuliensis, etatis XL^{ta} annorum, ut dixit, que passa dicitur fuisse morbum caducum seu epilenticum per XX^{ti} annos et amplius, et postea curata per invocacionem et auxilium beati Ludovici, iuravit et dixit quod per xxv annos dictus morbus epilenticus seu caducus vexaverat eam et quasi communiter multum frequenter vexabat eam et per quinque septimanas ante festum beati Iohannis Baptiste proximo preteritum una die, de qua non recordatur, graviter vexaverat eam dictus morbus bis vel ter. Et tunc ipsa memor de bonitate beati Ludovici invocavit eius auxilium et devovit se ei promittens quod, si procuraret cum Deo quod cessaret huiusmodi morbus, [4] ipsa veniret ad tumulum eius et apportaret ei unam candelam unius denarii, quia pauper mulier erat et est, ut dixit. Quo voto facto, statim cessavit dictus morbus usque ad presentem mensem marcii, nec sentit nec sensit aliquod vestigium dicti morbi. Interrogata si iste morbus erat ita publicus quod sciretur, dixit quod sic et maritus sciebat et sororii sui et communiter omnes vicini sui. Interrogata utrum ope vel ingenio vel artificio aliquo vel figmento scit vel credit se esse curatam de morbo predicto, dixit quod non, nisi solum miraculose et propter merita beati Ludovici. Interrogata si est publica vox et fama in dicto castro et in locis circumvicinis quod Deus fecerit hoc miraculum et faciat alia miracula propter merita beati Ludovici, dixit quod sic, et quod gentes in dictis locis dicunt ipsum esse sanctum et in suis infirmitatibus et necessitatibus ad ipsum tamquam ad sanctum et ad eius suffragia veniunt et recurrunt * et salubria remedia consecuntur. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod a pluribus dicitur. Interrogata si prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet. *f.

[1] Cf. cap. xxxiv, p. 123, l. 18ss. [2] Non retro, sed infra, cap. cliv. [3] Cf. cap. ccvs.
[4] Cod. repetit *quod.*

Super eodem miraculo.

Cap. cxlvj.

Raphael Boneti, etatis xxv annorum et ultra, ut dixit, consanguineus germanus dicte Beatricis Riccane, de castro de Boriamon, Foroiuliensis dyocesis, que miraculose per invocacionem beati Ludovici asserit se esse curatam, ut supra immediate proximo dicitur, a morbo epilentico quem paciebatur frequenter, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super predicto miraculo, dixit quod x anni sunt quod ipse vidit et percepit frequenter quomodo ille morbus epilenticus dictam Beatricem una die quandoque multis vicibus vexabat, quandoque cessabat a vexacione octo diebus, quandoque uno mense et plus; et hoc erat, secundum quod ipse dixit, secundum disposicionem mariti dicte Beatricis, quia quanto plus abstinebat a dicte uxoris molestia tanto plus morbus cessabat, et quanto plus maritus molestabat uxorem tanto frequencius morbus redibat et affligebat eamdem. Interrogatus a quanto tempore morbus dicitur cessavisse, respondit quod a quinque septimanis ultra festum beati Iohannis Baptiste nuper transactis, sicut ipse testis qui loquitur audivit ab ea; alias dixit se nichil scire, nisi tantum quod ab illo tempore non vidit nec audivit eam a dicto morbo vexari, licet frequencius visitaverit eam in domo sua et ipsa mulier veniret ad domum ipsius consanguinei sui, cum domus sint vicine. Interrogatus quomodo scit ipse quod dicta Beatrix per invocacionem beati Ludovici vel per votum sibi factum fuerit curata, dixit quia ita audivit ab ea; tamen non fuit presens in voto nec audivit, et dixit se aliud nescire. Interrogatus si credit quod dicta Beatrix meritis beati Ludovici fuerit curata, dixit quod sic. Dixit eciam esse famam publicam in Provincia et in aliis locis, ut dixit, quod meritis beati Ludovici multi curantur de illo morbo epilentico et de multis aliis infirmitatibus, et quod multa miracula Deus operatur meritis beati Ludovici. Interrogatus quid sit fama, et an prece, precio, timore vel amore
87d ita deposuerit in predictis, dixit * et respondit ut dicta Beatrix Riccana testis immediate precedens.

Item aliud miraculum de quodam epilentico curato meritis predicti beati Ludovici.

Cap. cxlvij.

Petrus Mayol [1] de podio Lauterio, Vapnicensis dyocesis, etatis xl^ta annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona Petri Mayol filii ipsius testis qui loquitur, super eo quod dicebatur morbo epilentico laborasse, dixit quod dictus Petrus filius suus passus fuit morbum epilenticum duobus mensibus vel circa, et omni die vel circa et nocte vexabatur, et quando bis in die, ter et quater, et interdum novies et dixies [2]. Et cum audivisset dici ipse qui loquitur quod Deus meritis beati Ludovici multa miracula faciebat, devovit eum beato Ludovico et promisit sibi quod, si eum curaret a dicto morbo, [3] eum adduceret ad sepulcrum suum et [4] offerret, dum esset sibi possibile, unam ymaginem de cera ad similitudinem dicti filii sui.

---

[1] Cod. *Moyol.* [2] Sic. [3] Cod. repetit *quod.* [4] Cod. *se.*

Cumque adduceret eum Massiliam ad locum fratrum Minorum, ubi iacet corpus beati Ludovici, dixit quod in via passus fuit dictus filius suus multocies dictum morbum; et cum adduxisset dictum filium suum ad tumulum beati Ludovici et orasset et recommendasset eum sibi, ex tunc non rediit dicta infirmitas nec eam amplius passus fuit, ut dixit. Et dixit quod bene sunt duo menses quod predictam infirmitatem non sensit, nec eciam passus fuit; et credit firmiter et hanc fidem habet quod, pro eo quia devovit eum beato Ludovico, Deus propter merita beati Ludovici eum restituerit [1] sanitati. Dixit eciam quod fama et publica vox est in terra sua, que bene distat a Massilia per XL^ta^ leucas, et in Provincia quod Deus meritis beati Ludovici multa facit miracula; et ideo devovit eum sibi. Interrogatus quando dictum filium suum arripuit predicta infirmitas, dixit quod per mensem ante festum Nativitatis Domini proximo preteritum; et ipse videbat eum pacientem morbum predictum, quia cum eo comedebat et bibebat et de nocte et * de die conversabatur cum eo. Interrogatus quomodo scit quod fuerit curatus, dixit quod, postquam ipsum presentavit beato Ludovico Massilie, iacuit et comedit et conversatus fuit cum eo continuo et non sensit nec vidit quod predicta infirmitas vexaverit eum nec eciam tenuerit. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore, informatus vel instructus a quocumque in predictis ita deposuerit, dixit quod non; set pro eo solum quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cxlviij.

Petrus Mayol de podio Lauterio, Vapnicensis diocesis, filius dicti Petri Mayol, etatis XVIJ annorum, ut pater ipsius asseruit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona sua propria de morbo epilentico quem pati dicebatur, dixit quod per mensem ante Nativitatem Domini proximo preterita[m] arripuit eum primo infirmitas epilentica (ante tamen per octo dies tenuerat eum febris continua), et quod predictus morbus vexabat eum omni die quandoque bis, quandoque ter et quater et novies. Et dixit quod pater suus, eo presente qui loquitur, devovit eum beato Ludovico; et placuit sibi multum. Et post aliquos dies pater adduxit eum Massilie [2] ad sepulcrum beati Ludovici cum magna fiducia quam habebat de obtinenda sanitate pro eo; et dixit quod in via dum veniebant Massiliam vexavit eum omni die et pluries dictus morbus. Et dum venissent in domo fratrum Minorum Massilie, ad tumulum ubi iacet corpus beati Ludovici, pater suus sibi recommendavit eum beato Ludovico et oravit pro eo; et ex tunc, ut asseruit, morbum predictum non habuit nec sensit, et credit quod, pro eo quod pater suus devovit eum beato Ludovico, Deus dedit sibi sanitatem de dicto morbo propter merita beati Ludovici. De fama miraculorum et sanctitate beati Ludovici, et si prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, respondit et dixit sicut pater suus supraproximo.

---

[1] Cod. *restituerint.* [2] Sic.

88b *Item aliud miraculum de quadam muliere epilentica [sanata] meritis dicti sancti.

Cap. cxlix.

Beatrix Manayra de insula Sancti Genesii, etatis xxx annorum, ut credit, iurata et diligenter interrogata super miraculo in quo continetur quod ipsa fuit passa morbum epilenticum per octo annos et postea facta est sana meritis beati Ludovici, dixit quod ipsa per octo annos et ultra passa fuerat morbum caducum et quasi cotidie, ita quod non recordatur quod nunquam cessaverit dictus morbus per triduum. Et cum non inveniret aliquod remedium, habens fiduciam in sanctitate et meritis beati Ludovici Massilie sepulti, devovit se eidem sancto et promisit sibi quod singulis annis visitaret sepulcrum suum, si curaret eam a dicta infirmitate. Et voto emisso, cessavit ille morbus, ita quod per octo dies ante instantem festivitatem Penthecostes erunt IX anni quod ipsa non sensit nec habuit dictum morbum. Et dixit quod usque modo servavit et reddidit dictum votum emissum, et credit pro firmo quod ipsa fuit per invocacionem et merita beati Ludovici a dicto morbo curata et liberata. Interrogata si est fama de hoc in loco supradicto Sancti Genesii et eciam in Provincia quod propter sanctam et perfectam vitam, quam habuit et tenuit dum vixit beatus Ludovicus, Deus faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic et quod ipsa credit et tenet pro firmo quod ipse sit sanctus, et gentes hoc credunt et dicunt, ut dixit. Interrogata quid est fama, dixit quod illud quod gentes communiter dicunt. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cl.

Guillelmus Manayra, aliter dictus Martini, maritus dicte Beatricis, de insula Sancti Genesii, etatis xxx^ta annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto in persona dicte uxoris sue meritis beati Ludovici, dixit quod ipse vidit uxorem suam predictam pacientem dictum mor-
88c bum caducum * octo annis vel circa, et quasi cotidie, dum fuit iuxta eam. Et demum mater testis qui loquitur devovit dictam uxorem suam beato Ludovico, et eadem uxor sua eciam devovit se ipsam beato Ludovico; et ipse fuit presens in voto, et de isto [1] morbo sciunt vicini loci predicti et est publicum inter eos, et idem sciunt similiter de curacione ipsius, sicut ipse dixit. Preterea dixit quod ipse non vidit nec sensit nec audivit quod dicta uxor pateretur aliquod recidivum post votum emissum, set postea fuit in statu, quantum ad morbum predictum, sanitatis perfecte. Interrogatus de tempore quo fuit votum emissum et cura, dixit quod sunt IX anni vel circa; et credit et tenet pro firmo quod dicta uxor sua fuit curata et liberata a dicto morbo per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus si est fama in loco predicto Sancti Genesii de hoc et eciam in Provincia quod Deus faciat et fecerit miracula meritis beati Ludovici, dixit quod sic et quod multum habent eum in reverencia

[1] Cod. add. *de*.

gentes locorum predictorum et credunt et tenent pro firmo quod ipse sit sanctus, et ipse eciam credit pro firmo, ut dixit. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod gentes comuniter dicunt. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

In nomine Domini, amen. Incipit capitulum super miraculo qui[1] dicitur spasmus, super quo deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. clj.

Soror Micholana de Rocaforti, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, Ordinis Cisterciensis et monialis[2] Beate Marie de Syon civitatis Massilie, que dicitur passa fuisse infirmitatem quam ipsa vocavit spasmum et medici sui eciam vocabant ita, ut dixit, et curata esse per invocacionem et merita beati Ludovici, narravit et dixit per iuramentum suum quot sunt x anni vel circa, cum ipsa crederet esse sana in corpore, circa principium quadragesime supervenit sibi quedam febris lenta, que postea fortificata fuit, ita quod ex illa febre supervenit sibi dolor in pedibus et in tybiis et deinde in omnibus aliis membris suis, et * tantum affligebat eam quod non poterat se volvere *f. nec movere in lecto sine adiutorio alieno. Et in isto langore fuit xv^{cim} diebus et ultra, ut dixit, et nullum remedium poterat invenire cum medicis, immo erat desperata de sanitate sua, pro eo quia medici dicebant quod nulla spes erat de sua convalescencia. Demum ipsa que loquitur, habens devocionem ad beatum Ludovicum et affectans quod portaretur ad sepulcrum suum, cum multa humilitate et devota oracione imploravit eius auxilium; et tunc portatum fuit sibi unum pedule[3] sive caussonium de panno albo, altum usque ad mediam tibiam, quod fuerat beati Ludovici; et fuit positum supra pectus suum, et quantum ipsa poterat trahebat illud ad carnem suam ex intenta devocione et spe quam habebat. Et postea ad spacium tanti temporis quod posset dici psalmus penitencialis, scilicet *Miserere mei Deus*, sensit se esse alleviatam, ita quod voluit hoc probare et posuit manum ad velum quod habebat in capite (quia non poterat ante ponere vel deponere per se ipsam, set alie moniales imponebant et deponebant ei), et ex tunc libere ipsa posuit et deposuit velum[4] super capud suum, et levavit se per se ipsam et sedit in lecto et postea induit se per se ipsam, quod non poterat prius facere, sicut dixit; et ivit ad ecclesiam et in viridario sui monasterii per se ipsam, et postea reversa est ad lectum suum, et invenit se curatam et liberatam, sicut dixit, nec postea sensit illam inpotenciam et gravitatem morbi. Et credit et supponit pro firmo quod ipsa fuit curata a dicta impotencia et infirmitate propter invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata de personis que viderunt eam eodem die quo fuit curata ita pacientem et postea curatam, dixit quod soror Maria priorissa dicti loci, et beguina, et postea totus conventus, in quo sunt quinquaginte[5] Sorores, ut dixit, viderunt eam curatam et sciebant omnes infirmitatem suam predictam, ut dixit. Interrogata si est fama * de hoc et vox pu- *f. blica in monasterio eciam et in civitate Massiliensi quod, propter sanctam et perfectam vitam quam habuit et tenuit beatus Ludovicus, Deus faciat et fecerit multa miracula et si ipsa credit et tenet hoc, dixit quod sic et pro firmo credit quia in

[1] Sic. [2] Cod. *moniales.* [3] Sic. [4] Cod. *vel non.* [5] Sic.

se ipsa probavit, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic [se] habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clij.

Soror Maria de Rocaforti, etatis XL^{ta} annorum, ut dixit, Ordinis Cisterciensis et priorissa monasterii et conventus Beate Marie de Syon Massilie, testis producta, jurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona dicte Micholane, dixit quod decem anni sunt quod dicta Micholana fuit passa febrem circa principium quadragesime, et de illa febre decidit in tantum langorem et dolorem tybiarum et pedum et manuum et omnium membrorum suorum, quod facta fuit impotens nec poterat exire de lecto nec in lecto se volvere vel revolvere nec velum supra caput suum ponere vel deponere, et ita, sicut ipsa dixit, erant restricte fauce[s] sue quod cum summa difficultate eciam cibum liquidum sibi factum poterat transglutire, et medici desperabant de ea, dicentes quod non poterant invenire in ea nisi unam venam vitalem nec sperabant eam posse curari, et vocabant medici dictam infirmitatem spasmum. Et demum cum essent in ista desperacione et Priorissa que loquitur compaciens sorori sue spirituali et eciam consanguinee carnali, que eciam serviebat eidem, quesivit ab ea si non habebat magnam fiduciam in beato Ludovico, et ipsa paciens respondit quod immo habebat valde magnam spem in eo; et tunc testis que loquitur misit ad *Stephaniam de Rotgerio* beguinam, que regit se ad consilium fratrum Minorum, et rogavit eam quod, si haberet aliquid de habitu
f. 89b vel vestimentis beati Ludovici, [1] apportaret sibi pro dicta Micho-*lana que erat ita infirma. Et cum dicta beguina apportavit sibi unum pedulem sive caussonium de panno albo, altum usque ad mediam tibiam, et posuit supra pectus dicte pacientis; et dicta Micholana traxit illud ad carnem suam ut plenius et liberius tangeretur. Et hoc facto ad tantum spacium quod posset dici psalmus penitencialis, videlicet *Miserere mei Deus*, dicta Micholana sensit se alleviatam, ita quod elevavit brachia et postea sedit in lecto et posuit velum et deposuit in capite suo, et postea surrexit de lecto per se induta staminea dumtaxat; et deinde fecerunt eam redire ad lectum. Et ad modicam horam ipsa accepit pannos suos et induit et calciavit se sine iuvamine alieno, et ivit ad ecclesiam et ad viridarium more monialium; et ita curata fuit per invocacionem et auxilium beati Ludovici. Quod [2] postea eadem infirmitas non gravavit eamdem, et fecit postea suum officium sicut cetere moniales. Et credit ipsa testis et tenet pro firmo quod dicta Micholana fuerit miraculose curata et liberata a dicta infirmitate propter invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata de personis que viderunt eam ita pacientem et que sciebant infirmitatem eius, dixit quod ipsa que loquitur et totus conventus sui monasterii; et dixit quod uno et eodem die ipsa que loquitur et soror Aygneza et *Stephania de Rotgerio* viderunt eam in dicta impotencia et curatam et liberatam eo modo quo dictum est. Interrogata si est fama de hoc in dicto monasterio suo et eciam in civitate Massilie quod Deus faciat et fecerit multa miracula propter sanctam et perfectam vitam quam habuit quamdiu vixit

[1] Cod. add. *ut*. [2] Supple tritum *Dixit eciam quod* etc.

beatus Ludovicus et si in predictis locis gentes tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipsa credit et tenet pro certo quod sit sanctus, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata et de omnibus aliis ita deposuit, respondit ut dicta Micholana in supraproximo.

Super eodem miraculo.

Cap. cliij.

Soror Aygneza, monialis dicti monasterii proximo nominati, etatis xxxta jus annorum, * ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo * f. 8 proximo recitato et facto in persona dicte Micholane, ut dixit, dixit quod sunt x anni quod dicta soror Micholana fuit passa febrem et de illa febre cecidit in infirmitatem et dolorem totius corporis et membrorum suorum, ita quod non poterat exire de lecto nec in lecto se volvere vel revolvere nisi per adiutorium alienum, et tunc clamabat fortissime pre dolore; et hoc vidit et audivit ipsa testis que loquitur frequenter, quia iacebat in eadem domo in qua dicta paciens morabatur. Dixit eciam quod medici dicebant quod ille morbus vocabatur spasmus et quod ipsi desperabant omnino de sanitate ipsius, et quod ista impotencia et langor sibi duraverat per xv dies et ultra, sicut dixit; et iuvit eam interdum, ut dixit. Dixit eciam quod audivit dici quod, cum dicta infirma haberet magnam spem in beato Ludovico, fuit procuratum quod *Stephania de Rotgerio* beguina apportavit unum pedulem seu caussonium quod fuerat beati Ludovici; et ipsa vidit ipsum caussonium, set non vidit quando dicta beguina posuit illud supra pectus dicte pacientis; set bene vidit beguinam intrantem ad pacientem. Et ad modicam horam dicta Micholana dixit stantibus in domo quod ipsa erat curata et liberata a dicta infirmitate; et testis que loquitur appropinquavit ei et vidit eam sedentem in lecto et dicentem quomodo per invocacionem beati Ludovici et imposicionem dicti caussonii erat curata. Et tunc dicta beguina erat presens, ut dixit. Et eadem die dicta Micholana ivit ad ecclesiam et ad viridarium et ad alia loca ipsius monasterii; nec postea vidit eam predicta infirmitate torqueri, set facit officia sua sicut alie sorores moniales monasterii predicti, ut dixit. Et dixit ipsa testis quod viderat eam eodem die in mane in dicta impotencia et dolore, et postea ita curatam. Interrogata de personis presentibus et que viderunt eam curatam, dixit quod ipsa et dicta beguina et Priorissa eiusdem monasterii, et quod totus conventus venit ad eam quando audi-*verunt quod ita cito per invocacionem beati Ludovici fuerat * f. 8 a dicta infirmitate curata, et totus conventus sciebat infirmitatem suam predictam. ut dixit. Et credit et supponit pro firmo quod dicta Micholana fuerit miraculose curata et liberata a dicta impotencia et morbo propter devocionem et confidenciam quam habebat ad beatum Ludovicum et merita ipsius. Interrogata de fama et de aliis que sequuntur, respondit ut dicta Maria[1] testis proximo nominata.

Super eodem miraculo.

Cap. cliiij.

Stephania de Rotgerio, beguina devota, nobilis et magne honestatis, sicut prima facie apparebat, civis Massilie, testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo facto meritis beati Ludovici in persona dicte Micholane de Ro-

[1] Cod. *Aygneza*.

caforti, ut dicitur, dixit quod ipsa non viderat dictam Micholanam infirmam in dicta infirmitate, set bene audiverat dici quod gravi infirmitate tenebatur et affligebatur. Una tamen die, cum ipsa testis fuisset rogata quod, si haberet vel posset habere aliquid [1] de habitu beati Ludovici vel de vestibus ipsius, [2] ipsa procuraret et quod pro Deo portaret pro dicta Micholana sic afflicta, quia dicta paciens magnam fiduciam habebat quod si aliquid [3] posset tangere de suo multum sibi proficeret ad sanitatem; et tunc testis que loquitur procuravit cum uno bono Fratre de Ordine fratrum Minorum quod tradidit sibi unum caussonium de panno albo quod fuerat beati Ludovici, et ipsa que loquitur cum timore recepit propter reverenciam sancti, ut dixit, et quanto potuit reverencius portavit ad monasterium, infra cuius clausuram dicta paciens morabatur. Et tunc in exitu domus illius quam habitabat ipsa paciens invenit medicum exeuntem, qui vocabatur magister Martinus, sicut potest recordari, et Abbatissa erat ibi in claustro, que interrogavit dictum medicum quid videbatur sibi de dicta paciente; et ipse respondit sibi quod ipsa paciebatur spasmum in venis et nervis et medullis
f. 90a et omnibus membris suis, et ipse desperabat de ea et reputabat morbum * incurabilem, ut dixit. Et post hoc ipsa testis intravit ad locum in quo dicta Micholana paciebatur, et invenit eam in lecto et valde debilem in voce et posse; et tunc testis que loquitur monstravit sibi dictum caussonium, et visum fuit testi que loquitur quod ipsa paciens non potuit recipere set fecit sibi signum quod poneret [supra] suum pectus; quo posito, ipsa paciens restrinxit ad se et incepit flere propter devocionem, sicut videbatur sibi. Et post aliquam horam ipsa paciens, ut sibi videtur, recepit cum suis manibus dictum caussonium et posuit supra faciem et super capud suum; et incontinenti, sicut testis que [4] loquitur dixit, dicta Micholana incepit dicere: « Ego sum curata. Vultis videre? » Et tunc ipsa Micholana surrexit et sedit super lectum, et inmediate exivit lectum per se et stetit in solo erecta et induta staminea; et admirate sunt valde sorores Moniales que erant ibi, et fecerunt eam redire ad lectum timentes de frigore. Et testis que loquitur accepit dictum caussonium et voluit exire et reportare; set tunc venit Monialium multitudo ad osculandum dictum caussonium, et dicebant quod pulsarentur campane et quod cantaretur *Te Deum laudamus* propter miraculum; set postea cogitaverunt quod forte possent reprehendi, et ideo non cantaverunt nec campanas pulsaverunt. Post hoc autem testis que loquitur exivit monasterium [5] et reportavit caussonium. Interrogata qui vel que erant presentes quando ipsa intravit dictam domum et quando positum fuit caussonium supra pectus dicte Micholane, respondit quod Priorissa et quedam alie Moniales, de quarum nominibus non recordatur, ut dixit. Interrogata de tempore quo ista fuerunt, dixit quod eo anno quo decessit beatus Ludovicus, et credit quod sunt x anni vel circa; et dixit testis que loquitur quod ipsa credit et tenet pro firmo quod dicta Micholana fuit
f. 90b curata a dicta impotencia et infirmitate propter devocionem et * confidenciam quam habebat ad beatum Ludovicum. De fama vero et de sanctitate beati Ludovici et si instructa vel informata, aut prece, precio ita deposuerit, respondit ut dicta Micholana superius nominata.

---

[1] Cod. *aliquod.* [2] Cod. repetit *quod.* [3] Cod. *aliquod.* [4] Cod. *qui.* [5] Cod. *monialium.*

In nomine Domini, amen. Incipiunt capitula de furiosis et alienatis a sensu, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. clv.

Iohannes Olier, civis Massilie, etatis LX^ta^ annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super hoc quod dicebatur quod filia sua Guillelmina cum esset etatis x annorum fuit facta amens et demoniata [1] et meritis beati Ludovici postea liberata, dixit quod ipse habebat quandam filiam Guillelminam nomine, que erat x annorum vel circa, sicut credit, et illa una die, [de] qua non recolit, ante vesperas facta fuit amens seu demoniata. Interrogatus quomodo scit, dixit quod propter aliena verba et turpia et inhonesta que dicebat, que alias non consueverat dicere, et propter hoc eciam quod vestes et faciem suam cum unguibus dislaniabat, ita quod oportebat quod cum fune ligarentur sibi manus ne prorumperet in se ipsam vel invaderet circumstantes. Interrogatus quanto tempore fuit ita ligata et duravit sibi dictus furor, dixit quod usque ad vesperas sequentis diei. Interrogatus quomodo credit eam esse liberatam, dixit quod devovit eam beato Ludovico et duxit eam per manum ad sepulcrum ipsius et promisit sibi unum scandale longitudinis dicte filie sue et oravit pro ea; et statim cognovit filiam esse liberatam, et furor ex tunc non tenuit eam nec sensit aliquid de infirmitate predicta; et credit pro firmo quod dicta filia sua fuerit miraculose liberata a dicto furore et insania meritis beati Ludovici. Interrogatus quo tempore contigit dictus furor dicte filie sue, dixit quod primo anno quo beatus Ludovicus fuit sepultus in ecclesia fratrum Minorum Massilie, et dixit quod ipse credit pro firmo quod beatus Ludovicus propter humilem statum et bonam et perfectam vitam et conversacionem quam habuit et tenuit dum vivebat, sit sanctus et quod Deus facit miracula pro eo. Et dixit quod de hoc est Massilie * et in Provincia et in locis ubi conversatus est, publica vox *f. 90
et fama. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod comuniter gentes dicunt. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, seu prece, precio ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clvj.

Guillelmina filia dicti Iohannis Olier de Massilia, testis proximi, etatis XIX annorum vel circa, ut dixit, iurata et diligenter interrogata in facto proprio, videlicet super eo quod dicitur ipsam fuisse amentem et demoniatam et meritis beati Ludovici curatam, dixit quod ipsa non recordatur quod fuerit amens vel demoniata, quia iuvenis erat, set bene recordatur quod quando erat etatis IX [2] annorum vel circa, ut credit, fuerunt sibi manus ligate, et postea adulta facta magis audivit dici a patre et matre sua quod propter hoc fuerant sibi ligate manus, quia quando erat etatis X [3] annorum vel circa ipsa fuit facta amens et demoniata, ita quod ipsa dislaniabat se et vestimenta sua et dicebat turpissima et aliena verba; et quod tunc parentes sui videntes eam in tali statu devoverant eam beato Ludovico et eam duxerunt ad sepulcrum eius, et quod obtulerunt ibi scandale de cera ad longitudinem eius, et quod antequam

[1] Sic. [2] Sic. [3] Sic.

exirent de ecclesia fuit a dicto furore et insania penitus liberata; et ita audivit narrari a parentibus suis. Et dixit ipsa Guillelmina quod ipsa credit quod ita fuit verum, sicut parentes sui dixerunt et narraverunt sibi, et credit quod ipsa fuit liberata a dicto furore meritis beati Ludovici. Dixit eciam quod ipsa credit firmiter quod Deus fecit et facit miracula meritis beati Ludovici. Et de fama super hoc et si instructa, aut prece, precio ita deposuerit, respondit ut dictus Iohannes Olier in supraproximo.

Super eodem miraculo.

Cap. clvij.

Splendosa mater dicte Guillelmine Olyeira de Massilia, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super casu seu miraculo dicte filie sue, respondit et dixit idem quod Iohannes Olier maritus suus supradictus, hiis additis quod dicta furia bis contigerat dicte filie sue, et quod ipsa morderet dentibus nisi compesceretur, et quod dicta mater cum quodam grosso baculo verberabat eam f. 90d causa correctionis, et filia non senciebat, sicut dixit. * Dixit eciam quod discoperiebat se impudenter. Quibus visis, pater suus predictus devovit eam beato Ludovico, ut supraproximo scriptum est; et hoc audiens filia sua invocavit beatum Ludovicum ut iuvaret [1] eam. Et post pater suus, sicut audivit ab eo ipsa testis, dictam filiam duxit ad sepulcrum beati Ludovici, ubi obdormivit, et deinde excitata perfecte curata fuit, et ex tunc non tenuit eam dictus furor set liberata rediit ad domum suam; et ibi ipsa mater vidit quod erat liberata perfecte et curata, et gavisa fuit valde; et credit pro firmo quod ipsa fuerit miraculose curata et liberata per invocacionem et merita beati Ludovici. De fama sanctitatis et miraculorum beati Ludovici et si instructa, aut prece, precio ita deposuerit, dixit sicut dictus Iohannes Olier supraproximo nominatus.

Super eodem miraculo.

Cap. clviij.

Candia uxor Guillelmi Iacobi de Massilia, etatis XXX^{ta} annorum vel circa, ut dixit testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo facto in persona dicte Guillelmine filie dicti Iohannis Olerii [2], ut dicitur, dixit quod ipsa vidit dictam Guillelminam filiam dicti Iohannis Olerii furiosam et furiosos actus habentem et verba, et quod discooperiebat se totaliter, et quod mater sua verberabat eam cum uno bacello seu baculo, et ipsa dislaniabat faciem suam et vestes suas cum unguibus, et interdum ponebat dentes ad mordendum matrem, et ponebat lutum, terram et omne inmundum quod poterat attingere in ore suo; et hoc vidit pluries. Dixit tamen quod non vidit eam ligatam nec audivit quando pater devovit eam; set bene audivit ab eo quod devoverat eam, et bene vidit testis que loquitur quando pater ducebat eam per manum ad beatum Ludovicum, et ipsa invocabat beatum Ludovicum ut iuvaret eam. Et cum rediit dicta filia, audivit ipsa que loquitur quod dormiverat ad sepulcrum beati Ludovici et veniens ad domum clamabat: « Ego sum curata meritis beati Ludovici ». Et hoc audivit et vidit ipsa testis que loquitur, ut dixit. Interrogata cuius etatis erat eo tempore quo arripuit eam illa furia sive morbus, respondit quod x an-

[1] Cod. *iuvarent*. [2] Sic.

norum * et ultra. Interrogata de tempore quo fuit curata, dixit quod sunt octo *f. 91 anni vel circa, ut sibi videtur. Dixit eciam quod ipsa credit quod dicta filia fuit miraculose curata et liberata a dicto furore sive morbo meritis beati Ludovici, et dixit quod fama est et vox publica de vita et miraculis beati Ludovici, sicut dixit Iohannes Olier supradictus. Interrogata si instructa vel informata, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, respondit ut idem Iohannes Olier proximo nominatus.

Super eodem miraculo.

Cap. clix.

Guillelmus de Grassa, civis Massilie, etatis xxv annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona dicte Guillelmine filie dicti Iohannis Olerii, que dicitur sensus amisisse et postea meritis beati Ludovici recuperasse, dixit quod ipse vidit dictam Guillelminam filiam dicti Iohannis Olerii rabiatam sive furiosam, et credebant gentes quod esset demoniata, et volvebat et revolvebat occulos et os et capud suum et discooperiebat se impudenter, et interdum ponebat dentes ad mordendum; et ipse vidit quod semel momordit patrem suum in brachio; et ponebat lutum et fimum et inmunda que poterat attingere in ore suo et frangebat ollas et alia vasa minuta patris sui (quia est figulus), et dicebat verba turpia et inhonesta. Et cum sic stetisset per diem et noctem, pater videns morbum dicte filie sue duxit eam et devovit beato Ludovico, sicut ipse vidit qui loquitur; tamen ipse non ivit cum eis ad beatum Ludovicum, set eadem die vidit quod pater reduxit dictam filiam suam ad domum suam curatam et liberatam a dicta furia perfecte. Et ex tunc non vidit quod dicta infirmitas sive furia teneret eam. Interrogatus cuius etatis erat dicta filia quando sibi contigit dicta infirmitas, dixit quod x annorum et ultra; et dixit quod antequam sibi contigeret illa infirmitas, ipsa filia erat et fuerat semper disposita et alias bene sensata et pacifica secundum etatem suam. Interrogatus quando sibi contigit dicta infirmitas, dixit quod sunt vij anni et plus. Interrogatus super fama sanctitatis et miraculorum beati Ludovici * et super aliis interrogacionibus factis in supraproximo circa hoc, *f. 91 dixit sicut Candia testis supraproximo.

Item aliud miraculum de quodam furioso curato meritis dicti sancti.

Cap. clx.

Raymundus Textoris de Sellone, etatis L^ta annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona Bartholomei filii sui, qui dicebatur extra sensum fuisse et meritis beati Ludovici curatus esse, dixit quod ipse habet unum filium Bartholomeum nomine, qui dum erat etatis xiiij annorum vel circa, quedam infirmitas invasit eum, ita quod ipsum patrem et matrem et alios ibi assistentes mordebat cum dentibus et invadebat quando appropiabant ei, et erat extra sensum, ut credit ipse qui loquitur, et multi alii hoc dicebant; et comedebat lapides, fustes et terram et quitquid cum manibus arripere poterat. Et hoc tenuit per unam septimanam. Et devovit eum pater suus qui loquitur sancto Romano de Carpentorata et beate Marie Magdalene, et non videbatur sibi quod ob hoc sanaretur, immo stabat semper in furia sua. Demum consultum fuit ei

quod devoveret eum beato Ludovico, quia multa miracula faciebat et multos curabat. Tunc cum intencione devota et affectu magno, sperans quod sibi beatus Ludovicus cum Deo impetraret sanitatem, devovit eum sibi et in presencia filii adhuc sic pacientis dixit sibi quod iu[n]geret manus et erigeret ad Deum rogando Deum et beatum Ludovicum quod liberaret eum ab illa infirmitate. Similiter et mater devovit eum una cum marito suo. Et tunc, voto facto, dictus Bartholomeus erexit manus et occulos ad Deum et incepit habere statum pacificum, nec ex tunc momordit nec signum fecit aliquod furiosum, immo fuit curatus et immediate post votum. Interrogatus qui erant presentes quando eum devovit, dixit quod Durandus Gros et Alaydis Grossa uxor sua et Dulcia Teulieyra et plures alii de vicinia, de quorum nominibus non recordatur, ut dixit. Et dixit quod ipse credit et tenet pro firmo quod dictus filius suus fuerit miraculose liberatus a dicta infirmitate per invocacionem et merita beati Ludovici. Dixit eciam quod de hoc est fama publica apud Sellonem et eciam est
f. 91c fama in Provincia quod sanctus Ludovicus fuit humilis et bone * et honeste conversacionis et quod propter sanctam vitam, quam ipse habuit et tenuit, Deus multa miracula operatus est et frequenter operatur pro eo, et ipse reputat eum sanctum, ut dixit. Interrogatus si prece, precio, instructus vel ab aliquo informatus ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clxj.

Iohanna uxor dicti Raymundi Textoris et mater dicti Bartholomei, etatis XLV annorum vel circa, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona dicti filii sui, dixit idem quod et maritus suus Raymundus supradictus, hoc addito quod in primis tribus diebus quibus arripuit dictum filium suum dicta furia, dixit quod multum ascendit dicta furia, et credit pro firmo quod nisi devovissent eum beato Ludovico, [1] dictus filius non fuisset a dicta furia liberatus. De fama et de vita et sanctitate beati Ludovici et de omnibus aliis respondit et dixit sicut dictus Raymundus in supraproximo.

Super eodem miraculo.

Cap. clxij.

Alaracia uxor Raymundi Codonelli de Sellone, etatis XL^ta annorum vel circa, ut dixit, testis iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona dicti Bartholomei, dixit quod quadam nocte post ignitegium, de qua non recolit, ipsa audivit clamorem in domo dicti Raymundi Textoris, cum esset vicina sua; et tunc surrexit de lecto suo et ivit ad domum dicti Raymundi, et tunc ipsa vidit dictum Bartholomeum filium dicti Raymundi in lecto vestitum, et dislaniabat vestes suas et faciem et se ipsum, et patrem et matrem et alios ibi assistentes mordebat cum dentibus et invadebat, et loquebatur verba extranea et aliena, et volvebat et revolvebat capud suum et occulos ad modum furiosi, et comedebat lapides et terram et omne inmundum quod arripere manibus poterat, ita quod ipsa

[1] Cod. repetit *quod*.

credit quod ipse esset penitus extra sensum, et multi alii qui * eum videbant similiter *f. 91 dicebant et credebant. Et audivit quod pater et mater predicti, qui eum multum diligebant quia unicus filius erat eis, dolentes et tristes quamplurimum et valde turbati devoverunt eum beato Ludovico implorando eius auxilium, quod ipse impetraret eis graciam cum Deo ut a dicta infirmitate seu furia curaretur et eciam liberaretur. Et post paucos dies audivit quod parentes dicti Bartholomei duxerunt eum ad beatum Ludovicum Massilie, et post septem dies a tempore voti emissi ipsa vidit dictum Bartholomeum sanum et a dicta furia liberatum et in sensu reductum, et quod ex tunc fuit et adhuc est in sensu suo. Et credit et tenet pro firmo ipsa testis que loquitur quod dictus Bartholomeus fuerit a dicta furia liberatus propter invocacionem et merita beati Ludovici, et dixit eciam quod ipsa credebat et multi alii eciam tunc credebant quod dicta infirmitas esset incurabilis et quod magis deberet mori quam vivere de infirmitate predicta. Interrogata de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt duo anni vel circa. Interrogata super fama sanctitatis et miraculorum beati Ludovici et super aliis circa hoc supraproximo tactis, dixit sicut Raymundus Textoris testis supradictus.

Item aliud miraculum de quadam muliere furiosa curata meritis dicti sancti.

Cap. clxiij.

Leo de Vesia, civis Niciensis, etatis xl^ta annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona Beatricis quondam uxoris sue que dicitur sensum amisisse et postea recuperasse per invocacionem et devocionem et merita beat Ludovici, dixit quod dicta Beatrix, audito quod mater sua, que iverat causa peregrinacionis Romam, ibi infirma remanserat et societas que cum matre sua iverat redierat sana, turbata fuit gravissime credens quod mater non infirma set mortua remansisset; et ex illa turbacione et tristicia inde conceptis supervenit iste casus quod ipsa amens facta fuit. Interrogatus ipse testis qui loquitur que signa amencie apparebant, respondit * quod cum ipsa ante illam amenciam esset inter ceteras circumvicinas tam *f. in verbo quam in facto quam in signis aliis sapiens et discreta, ita quod contra Deum vel contra vicinos aliquod verbum blasphemie vel iniurie vel contumelie de ore eius non egrediebatur, sed cuncta per eam dicebantur et fiebant honeste, tunc ex ista turbacione inmutata extitit et a moribus honestatis et discrecionis adversa, ita quod in Deum et eius Matrem et in sanctos et in quoslibet homines religiosos, vicinos et alios verba blasphemie, iniurie et contumelie multiplicium [1] proferebat, et commovebat et concuciebat capud et occulos, volvendo et revolvendo huc et illuc et currendo et discurrendo ubi libera dimittebatur et conando cutellos [2] et ligna et lapides recipere ut circumstantibus nocumenta inferret; propter que, ut pericula vitarentur, fuit ligata in manibus cum quadam corda, ut dixit. Demum ad suggestionem unius religiosi de Ordine Minorum post magnam instanciam quod ipsa se devoveret beato Ludovico quondam episcopo Tholosano, licet a principio ipsa restitisset et diceret: quid curabat ipsa de Ludovico?, finaliter ipsa, sicut testis qui loquitur dixit se credere, graciam a Deo talem habuit quod dicto sancto se devovit, et maritus qui loquitur fecit idem et promisit maritus unam ymaginem de una libra cere et unum cereum de alia

[1] Sic. [2] Sic.

libra, et quod venirent ad visitandum sepulcrum beati Ludovici. Et eadem die, post dictum votum et promissionem, cessavit insania seu amencia, et ipsa Beatrix sensum et discrecionem integre habuit sicut prius. Et in crastinum cum magno gaudio de salute predicta predicti coniuges arripuerunt iter et continuatis gressibus Massilie advenerunt visitantes sepulcrum beati Ludovici cum multa devocione, et ibidem predictam ymaginem et cereum obtulerunt. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt vij anni vel circa. Interrogatus quantum duravit sibi dicta amencia, dixit
92b quod duravit sibi per xv dies. Interrogatus qui sunt illi qui viderunt * predicta et sciverunt, dixit Arnoldus Lanerii mercator et P(etrus) de Alexandria panatarius et uxor eiusdem P(etri) et multi alii qui viderunt eam in dicta infirmitate seu amencia et postea curatam. Dixit eciam quod nunquam postea aliquid de motibus dicte amencie vel insanie sensit dicta uxor sua, set omnia cum maturitate et discrecione agebat. Et dixit quod dicta uxor sana et in bona discrecione vixit postea sex annis, et dixit quod ipse credit et tenet pro firmo quod dicta uxor sua fuit miraculose curata et liberata a dicta insania seu amencia per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus si est de hoc fama in dicta civitate Niciensi et eciam in Provincia quod, propter sanctam et perfectam vitam quam habuit et tenuit dictus beatus Ludovicus et propter merita eius, Deus plura miracula operetur et operatus fuerit et si in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et ipse hoc eciam credit et tenet pro firmo, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clxiiij.

Solia uxor P(etri) Alexandri[ni], habitatrix Niciensis, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona dicte Beatricis meritis beati Ludovici, dixit quod ipsa vidit dictam Beatricem bonam iuvenem et discretam et stantem cum viro suo et in domo sua sicut bonam mulierem et pacifice et honeste viventem et quod faciebat se diligi propter bonitatem suam ab omnibus vicinis et notis suis; et postea supervenit iste casus quod ipsa Beatrix, que prius erat ordinata et sobria in operibus suis et verbis, conversa fuit in talem demenciam vel furorem, quod sicut dessenata de Deo et sanctis eius blasphemias multas, et vicinis contumelias et iniurias, et verba inhonesta et turpia dicebat, et manualiter offendisset, set custodes assistebant qui refrenabant eam et detinebant, ita quod neminem offendebat actualiter; et in ista
92c amencia vel furore fuit xv diebus et ultra, ut dixit. Interrogata * quomodo venerit sibi hoc, respondit quod aliqui dixerunt quod, cum mater ipsius Beatricis ivisset Romam cum aliquibus peregrinis de civitate Nicie et dicta Beatrix vidisset alios et alias de peregrinacione reversos et non videret matrem, incidit in hunc casum; alii dicebant quod, cum maritus dicte Beatricis uno valde mane ivisset ad macellum ad emendas carnes et rediisset, tunc ipsa Beatrix dixit sibi: « Et venisti tu ad occidendum me cum cutello? » ; et tunc incepit predicto modo turbari; set dixit testis que loquitur quod ipsa de se nescit causam huiusmodi amencie vel furoris. Adiecit eciam testis que loquitur quod, cum ipsa dictam Beatricem sicut suam bonam vicinam diligeret et dilexisset, suadebat ei frequenter quod ipsa Beatrix devoveret se

beato Ludovico; et tunc dicta Beatrix aut faciebat sibi ficum cum pollice aut avertebat se ab ea et ridebat ultra quam posset dici, ut dixit. Et demum tociens et ipsa et frater *Guillelmus* Bernardi de Ordine fratrum Minorum et aliqui alii [h]ortati sunt eam de voto huiusmodi faciendo; quod ipsa, que multa verba inhonesta [1] et turpia dixerat de beato Ludovico, devovit se beato Ludovico. Et tempore facti voti dicta Beatrix sedebat in uno angulo. Et tunc incepit apertis occulis respicere ad unum locum domus, et non volvebat occulos nec claudebat nec mutabat [2] faciem. Et postmodum ipsa signum aliquod furoris vel demencie vel desenacionis [3] non ostendit, immo, sicut ipsa supponit et credit, propter invocacionem et merita beati Ludovici fuit tunc miraculose a dicta furia seu demencia perfecte curata et liberata. Et ipsa vidit eam postea quinque annis et plus, usque ad mortem, sanam et sensatam et bene conversantem et ad statum pristinum reductam, ut dixit. Interrogata de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt vii anni vel circa. Interrogata si est fama in dicto loco quod Deus hoc miraculum fecerit meritis beati Ludovici, dixit quod sic, et in Provincia eciam est fama quod Deus facit multa miracula pro eo.

Et ipsa testis que loquitur merito habet hoc dicere, sicut dixit, quia cum ipsa fuisset per quinque menses et plus febre quartana durissime afflicta, una die cum pateretur accessionem gravissimam invocavit beatum Ludovicum et devovit se sibi et promisit quod visitaret tumulum suum cum una ymagine * de cera; et statim, *f. 9 voto emisso, dimisit eam accessio, et nunquam postea sensit aliquid de infirmitate predicta, ut dixit. Interrogata de tempore quo ista fuerunt, dixit quod sunt septem anni vel circa, et credit et tenet pro firmo quod ipsa fuit curata et liberata a dicta febre per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, respondit sicut dictus Leo in supraproximo.

Super eodem miraculo.

Cap. clxv.

Petrus Alexandrini, habitator Nicie [4], etatis L^ta annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona dicte Beatricis meritis beati Ludovici, dixit quod dicta Beatrix fuit prudens, discreta et honesta et in factis et in verbis, et domus dicte Beatricis et domus ipsius testis qui loquitur erant vicine, ita quod ipse noverat eam in suis bonis moribus et honestis bene xiiij^cim annos et plus, et quod multum diligebatur ab omnibus vicinis suis. Et sicut Deus permittit in hoc mundo homines flagellari, subito supervenit dicte Beatrici iste casus quod facta fuit amens et dessenata, et habebat custodes qui custodiebant eam ne aliquid committeret contra venientes vel eciam in se ipsam; et istud duravit sibi per xv dies et ultra, ut dixit. Et ipse testis qui loquitur vidit eam frequenter in dicto statu furoris; et tota vicinia dolebat et compaciebatur ei propter bonitatem quam habuerat ante. Et demum per Leonem maritum dicte Beatricis et per Soliam uxorem testis qui loquitur fuit promissa et devota beato Ludovico; tamen ipse qui loquitur non fuit presens in voto, set ita audivit dici a marito dicte Beatricis et dicta Solia uxore sua. Et quod incontinenti,

[1] Cod. *et honesta.* [2] Vel *nutabat;* cod. *mittabat.* [3] Cod. *decenacionis.*
[4] Cod. *Nicio.*

sicut ipse audivit, ipsa fuit curata et reducta ad ordinacionem et prudenciam status primi; et ipse vidit eam postea per sex annos loquentem et agentem sapienter et sobrie facta sua, nec vidit nec audivit quod postea aliquid inordinatum quantum ad mentis disposicionem esset in ea, ut dixit. Et credit et tenet pro firmo quod per 93a invocacionem et merita beati Ludovici fuit mira-*culose a dicto furore curata et liberata. Interrogatus de tempore quo ista fuerunt, dixit quod sunt sex anni et ultra. De fama et de aliis circa hoc, respondit sicut Solia in supraproximo.

Et hoc habet credere maxime ipse testis, quia, cum dicta Solia uxor sua fuisset per quinque menses febre quartana gravissime afflicta et una die accessio gravissima affligeret eam, dicta uxor sua recursum habuit ad beatum Ludovicum et devovit se sibi promittendo quod, si eam curaret a dicta infirmitate, [1] eius tumulum cum una ymagine de cera visitaret; et testis qui loquitur maritus suus, qui erat presens quando fecit votum, ratificavit votum factum et devovit eam eciam per eundem modum beato Ludovico, ut dixit. Et incontinenti post votum dicta uxor sua incepit se melius habere et fuit perfecte curata, ita quod nunquam postea sensit aliquid de infirmitate predicta. Et credit et tenet quod ipsa fuit curata a dicta febre per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus de tempore quo fuit curata, dixit quod sunt vij anni vel circa. Interrogatus si instructus vel informatus, aut prece etc. ita deposuit, respondit ut dicta Solia in supraproximo.

Item aliud miraculum de quodam furioso curato et liberato meritis dicti sancti.

Cap. clxvj.

Raymundus Oliverii, clericus intelligens et litteratus, filius Raymundi Oliverii de Carpentorata, etatis xxv annorum et plus, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona ipsius per invocacionem et merita beati Ludovici, dixit quod cum ipse in forma pauperum a Domino nostro papa Clemente super provisione sibi facienda de beneficio pertinente ad collacionem Carpentoratensis episcopi litteras apostolicas impetrasset et quoddam beneficium ad collacionem predicti episcopi pertinens vacavisset et ipse vellet quod per exequutores [2] suos sibi provideretur de illo, quia dictus episcopus sibi impedimentum prestitit, ut sibi videbatur, iniuste, ex hoc ipse qui loquitur fuit turbatus in capite suo, ita 93b quod in furiam fuit conversus. * Et in illa furia sub diversis intervallis laboravit per unum annum vel circa, ita quod, propter aliena verba que dicebat et mala opera que diversimode cum lapidibus et aliis conabatur inferre, fuit per patrem suum et amicos suos ligatus [3] et incathenatus, et fuerunt sibi positi ferri in pollicibus et in brachiis et in pedibus suis, et in compedibus ferreis pedum erat cathena in medio ligata, et illa kathena ligabatur ad unum stipitem ligneum valde grossum qui erat profunde in terra fixus; et ibi stetit multis temporibus in pane et aqua. Set postea de consilio medicorum dabant sibi alia cibaria risi et amidum et interdum carnes arietinas; ita quod prope finem dicti anni pater et mater ipsius qui loquitur devoverunt eum beato Ludovico in Massilia sepulto, sicut dicti parentes postea dixerunt ei; ipse tamen non audivit votum quod fecerant pro eo. Et rogaverunt eum quod

[1] Cod. repetit *quod.* [2] Cod. *exequatores.* [3] Cod. *ligatos.*

se devoveret dicto beato Ludovico, quod ipse libenter fecit, sicut dixit. Et ex tunc inmediate invenit ipse qui loquitur suum cerebrum ordinatum et se in statu pacifico et quieto et se a predicto furore omnino curatum. Et multi dixerunt sibi postea quod communiter in civitate Carpentoratensi dicebatur quod ipse fuerat demoniatus. Parentes vero ipsius, videntes eum in bona disposicione et quod in eo per graciam Dei et merita beati Ludovici cessabant et verba et signa et opera amencie et furoris, solverunt eum a vinculis omnibus in quibus tenebatur ligatus; nec postea sensit aliquid de motibus predicti furoris, ut dixit. Interrogatus de tempore quo arripuit eum dictus furor, dixit quod in mense marcii proximo preteriti fuit annus elapsus; set non recordatur de die. Interrogatus de tempore quo fuit liberatus a dicto furore et solutus a vinculis, dixit quod prima die martis quadragesime proxime iam transacte; et credit et supponit et tenet pro firmo quod istud remedium et salutem impetravit sibi propter sua merita beatus Ludovicus et propter devocionem quam habuerunt parentes sui ad ipsum beatum Ludovicum. Dixit eciam ipse qui loquitur quod causa explendi votum predictum ipse venit modo apud Massiliam et visitavit sepulcrum beati Ludovici. * Dixit eciam quod fama est et vox *f. publica in civitate et dyocesi Carpentoratensi de isto miraculo, et in aliis locis et dyocesibus circumvicinis eciam quod, propter perfectam et sanctam vitam quam habuit et tenuit beatus Ludovicus, Deus multa miracula operatus est ac eciam operatur, et quod gentes dictorum locorum dicunt et reputant ipsum sanctum et devovendo et recommendando se eidem implorant humiliter eius auxilium in infirmitatibus et necessitatibus suis, et remedia salubria consecuntur, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clxvij.

Bertrandus Mostolli presbyter, civis Carpentoratensis, etatis XL^{ta} annorum, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona dicti Raymundi Oliverii meritis beati Ludovici, dixit quod ipse audivit dici et a patre et matre dicti Raymundi et ab ipso eciam Raymundo et a multis aliis quod dictus Raymundus impetravit litteras apostolicas super beneficio quod ad collationem Carpentoratensis episcopi pertineret, et cum vacavisset beneficium quod sibi deberi credebat et de quo sibi provideri petebat, dictus episcopus recepit litteras suas et retinuit. Et cum dictus Raymundus eas recuperare non posset, fuit propter hoc dessenatus et in furia conversus, immo communiter ab omnibus qui eum videbant demoniacus[1] credebatur, et verba eius inepta, turpia et signa que faciebat et mala opera que agebat hoc enunciabant de eo; nam et blasphemabat Deum et sanctos, et in patrem et matrem conabatur insurgere; lapides et lateres et fustes et quitquid poterat manu attingere, totum conabatur iacere et prohicere, et faciebat et prohiciebat in illos qui veniebant ad eum; pannos eciam suos disserpebat et lacerabat; ita quod ex istis talibus fuit positus in compedibus ferreis et in pollicibus et in brachiis et pedibus, et in compedibus pedum erat cathena ligata que iungebatur cuidam stipiti ligneo et magno; et ipse qui loquitur iuvit ad vincu-

[1] Sic.

93d landum dictum Raymundum modo * supradicto. Et fuit et stetit ita vinculatus per annum vel circa; et ipse testis frequenter visitabat eum et inveniebat eum in sua furia et iacentem in palea, quamquam alias esset filius divitis hominis, nec in hyeme quantumcumque gravi habebat aliud ad iacendum, nisi quod quandoque iactabatur sibi unus cotus et illum eciam cum manibus et dentibus disserpebat, ut dixit.

Dixit eciam testis qui loquitur quod, cum ipse vellet venire in peregrinacione pro eo quod ipse fuerat gravatus gravi gutta in femore dextro, ita quod ire non poterat nisi inclinatus et curvus ad terram cum baculo, et tenuerat eum dicta gutta per septem septimanas ita depressum et curvum in magno dolore; ipse devovit se beato Ludovico et promisit, si curaret eum a dicta infirmitate, quod ipse visitaret sepulcrum suum. Et incontinenti post votum invenit se a dolore predicto penitus liberatum et membrorum suorum compotem sicut fuerat prius, et recte ivit sine baculo vel alio iuvamento.

Et cum ipse vellet venire causa complendi votum suum, dixit patri dicti Raymundi quod ipse volebat venire apud Massiliam pro complendo dicto voto; et tunc pater rogavit eum quod dictum Raymundum filium suum duceret secum, quia habebat venire ad beatum Ludovicum propter votum complendum. Et dixit quod ipsi venerunt simul ut uterque votum suum compleret. Et dixit quod dictus Raymundus venit per viam sapienter et ordinate et in verbis et in gressibus et in aliis, ita quod nichil inordinatum invenit in eo. Dixit eciam testis qui loquitur quod ipse non fuit presens in voto, sed audivit dici a patre et matre dicti Raymundi quod ipsi devoverant eum beato Ludovico et quod statim, emisso voto, cognoverunt eum curatum. Et credit et supponit pro firmo quod dictus Raymundus fuit curatus et liberatus a dicto furore, et ipse eciam qui loquitur a dicta gutta, per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus de tempore quo dicto Raymundo contigit dictus furor, dixit quod sunt xvcim menses et plus, ut sibi videtur, quia non recordatur ad plenum.
94a Interrogatus de tempore * quo fuit curatus, dixit quod in mense marcii proximo preterito circa principium quadragesime. De sanctitate vero et de miraculis beati Ludovici et de fama [1], dixit sicut dictus Raymundus Oliverii supraproximo.

In nomine Domini, amen. Incipiunt capitula de inflaturis et ulcerosis curatis meritis beati Ludovici, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. clxviij.

Cestarona, uxor Guillelmi Clementis de Cistarico, etatis xxv annorum vel circa, ut credit, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur esse factum in persona ipsius, narravit et dixit quod in tybiis supervenit sibi infirmitas et inflatura in diversis locis ad similudinem unius amigdali; et erat illa inflatura rubea et dura, et postea crevit in tantum quod quasi totum corpus suum comprehendit dictus morbus usque ad faciem, et in facie eciam fuerunt alique inflature, ita quod multum angustiabatur et dolebat nec comode poterat se in lecto volvere nec de lecto surgere nec iuvare nisi cum maxima difficultate et dolore; quod socrus ipsius testis que loquitur, attendens et compaciens nurui sue, devovit eam beato Ludovico. Quo facto, statim dicta nurus sensit melioracionem suam, et infra xv dies fuit sine aliqua sanie et inflatura et apertura aliqua, predictis cessantibus inflaturis et doloribus, et to-

[1] Cod. repetit *et de sanctitate et de miraculis beati Ludovici.*

taliter liberata, ita quod vestigium aliquod non remansit. Interrogata quando supervenit sibi dicta infirmitas, dixit quod in festo Epiphanie Domini proximo preterito et duravit sibi per duos menses. Et per xv^cim dies ante festum ramorum Palmarum socrus ipsius testis devovit eam beato Ludovico, et in eodem festo ramorum Palmarum [1] fuit plene curata, ut dixit. Et credit et tenet pro firmo quod ipsa fuit miraculose curata et liberata a dicta infirmitate per invocacionem et merita beati Ludovici et propter votum * quod fuerat emissum et factum a socru ipsius testis que loquitur, ut dixit. * f. 94b Interrogata si est fama in dicto loco de Cistarico et communiter in Provincia quod Deus fecerit et faciat multa miracula meritis beati Ludovici, et si gentes dictorum locorum reputant eum et dicunt esse sanctum, dixit quod sic, et ipsa credit et tenet pro firmo quod sit sanctus, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio ita deposuerit, dixit quod non; set quia de predictis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clxix.

Dulcia Morruta socrus dicte Cesterone, etatis L^ta annorum vel circa, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona dicte Cesterone, dixit quod hoc anno circa festum Apparicionis Domini proximo preteritum supervenit predicte Cesterone nurui sue quedam infirmitas, de qua deposuit dicta Cesterona testis inmediate precedens, et duravit sibi usque ad xv dies ante ramos Palmarum; et ita gravaverat dictam Cesteronam dicta infirmitas quod non poterat se volvere nec revolvere nec iuvare nec se pascere nisi adiutorio alieno. Et dixit quod illa infirmitas et inflatura erat una rubea et alia nigra, et erant inflature ad grossiciem unius amigdali. Et tunc testis que loquitur compaciens affliccioni et miserie predicte nurus sue, cum magna devocione, lacrimis et suspiriis devovit eam beato Ludovico implorando eius auxilium et rogando et supplicando quod ipsam curaret et liberaret a morbo supradicto. Et post votum, infra ramos Palmarum fuit curata. Et testis que loquitur dixit se eam adduxisse ad tumulum beati Ludovici, et obtulit ibi candelas de cera et regraciata fuit sibi de gracia quam sibi impetraverat cum Deo de dicta nuru sua. Et dixit quod ipsa credit et tenet pro firmo quod dicta nurus sua fuit curata a dicta infirmitate per invocacionem et merita beati Ludovici. De fama vero et de aliis interrogacionibus factis supraproximo, respondit sicut dicta Cesterona in supraproximo.

* Item aliud miraculum de quadam filia curata a dolore et inflatura, quem paciebatur, meritis dicti beati Ludovici. * f. 9

Cap. clxx.

Ganthelma filia Petri Laguarda, civis Cistaricensis, etatis xv annorum, ut dixit, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona ipsius que dicitur passa fuisse gravem morbum in crure sinistro, dixit quod quadam nocte, cum ipsa crederet esse sana et intrasset lectum et dormivisset aliquantulum, postea excitata invenit se valde gravem et habentem

[1] Dominica Palmarum anno 1308 fuit die 7 aprilis.

in crure sinistro gravem et angustiosum dolorem, qui eam sic affligebat quod parum poterat se iuvare et vix surgere de lecto sine adiutorio alieno. Et successive crevit dolor et supervenit ibi inflatura gravissima, que ipsam tenuit et afflixit uno anno et dimidio, ut dixit. Post ista, videns mater ipsius que loquitur afflíccionem filie sue et actendens quomodo dicta filia multis lacrimis et dolore requirebat matrem suam quod devoveret eam beato Ludovico, in quo dicebat se habere magnam fiduciam et sperabat per eum a dicta infirmitate liberari, mater pietate commota dictam filiam devovit beato Ludovico quarta die post Nativitatem Domini proximo preteritam. Et inmediate post votum recepit dicta filia alleviamentum, sicut dixit, ita quod infra octo dies sensit se penitus curatam et cessavit penitus dolor et inflatura, nec postea sensit aliquid de predicto dolore. Et credit et tenet pro firmo quod ipsa fuit curata a dicto dolore per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata de personis que viderunt ipsam sic afflictam et postea curatam, dixit quod Guillelmina Canabassa et Francisca uxor Poncii de Rivo, que sunt vicine ipsius testis, et mater sua, ut dixit. Interrogata si est publica vox et fama in civitate Cistaricensi et in Provincia quod, propter sanctam et perfectam vitam quam habuit et servavit beatus Ludóvicus quamdiu vixit, Deus fecerit et faciat multa miracula, et si gentes in dictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic, et quod multum confidunt in eo, et in suis neces-
94[d] sitatibus et * infirmitatibus ad ipsum tamquam ad sanctum, et quem sanctum reputant et asserunt, et ad eius suffragia veniunt et recurrunt. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxj.

Cesterona mater dicte Gantelmete, etatis xl[ta] annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona dicte [filie] sue meritis beati Ludovici, dixit quod est annus et dimidius elapsus et ultra bene per tres menses quod, cum dicta filia sua quadam nocte, de qua non recolit, sana, ut credit, intrasset lectum et dormivisset per aliquam partem noctis, postea expergefacta sensiit gravissimum dolorem in crure suo sinistro, qui eam ita angustiosissime affligebat quod non poterat se iuvare nec surgere de lecto nisi auxilio alieno. Et successive incepit crescere dictus dolor, et supervenit ibi gravissima inflatura que ipsam tenuit et afflixit uno anno et dimidio, ut dixit. Post hec, videns ipsa mater afflíccionem et dolorem dicte filie sue, ad rogatum et suggestionem ipsius filie que, ut dixit, multam fiduciam habebat in beato Ludovico quod curaret eam, devovit eam beato Ludovico quarta die post Nativitatem Domini proximo preteritam. Et voto emisso, dicta filia senciit se alleviatam, ita quod infra octo dies post votum fuit a dicto dolore penitus curata et dicta inflatura recessit, nec postea habuit nec sensit aliquid de predicto dolore. Et credit et tenet pro firmo quod fuit curata per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata de personis que viderunt dictam filiam suam sic afflictam et de fama et de aliis interrogacionibus supraproximo factis, respondit ut dicta Ganthelmeta in supraproximo.

In nomine Domini, amen. Incipiunt miracula de curatis a malo * mortuo et de aliis infirmitatibus in tybiis meritis dicti sancti, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur. * f. 95

Cap. clxxij.

Ricardeta Bruna filia quondam Iohannis Bruni, civis Massilie, etatis xx^{ti} iiij^{or} annorum vel circa, ut dixit, iurata et diligenter interrogata super morbo qui dicitur contigisse in persona sua, videlicet in tibiis suis, et postea curata fuisse meritis beati Ludovici, dixit quod ipsa habuit morbum in tibiis suis et genibus usque ad cavillas, qui totas tibias suas occupaverat, et affligebat et vexabat eam et de nocte et de die; et erat ibi tantus pruritus quod non cessabat scalpere vel gratare tybias, et exibat inde sanies, putredo et magna corrupcio, ita quod videbatur sibi post ista quod arderet caro, et superveniebant ibi pustule et erant ibi eciam xij foramina profunda, sex videlicet in qualibet tibia, que quandoque claudebantur et quandoque in aliis locis in eisdem tibiis fiebant et superveniebant, et erant profunda et rotunda per unciam et dimidiam unius digiti; et erat tantus et talis morbus quod nullo modo credebat liberari nec sanari. Et ab infancia tenuit eam sic afflictam morbus predictus xij^{cim} annis vel circa, nec aliqua superposita ad medendum profuerunt ei. Demum, beato Ludovico de hac [1] vita subtracto, mater ipsius que loquitur habens devocionem ad eum devovit eam sibi, eadem filia sua presente ac eciam se ipsam devovente beato Ludovico; et post paucos dies de illo morbo seu mengassa (quia ita nominat) ipsa testis fuit plene sanata beneficio et meritis beati Ludovici, sicut ipsa supponit et credit pro firmo. Interrogata de tempore, dixit quod sunt x anni vel circa quod ipsa fuit a dicto morbo curata. Interrogata si credit quod Deus per invocacionem et merita beati Ludovici curaverit eam a dicto morbo, dixit quod sic. Interrogata * si est fama et vox publica * f. 9
Massilie et in Provincia quod propter bonam et sanctam vitam et merita beati Ludovici Deus operatus sit et operatur frequenter multa miracula, dixit quod sic. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur comuniter a multis. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, seu prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxiij.

Beatrix Bruna, civis Massilie, etatis L^{ta} annorum, mater dicte Ricardete Brune, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo supradicto quod dicitur Deus fecisse meritis beati Ludovici in persona dicte filie sue de morbo quod paciebatur in tybiis suis, dixit quod dicta filia sua passa fuit dictum morbum in tibiis suis a tempore nativitatis sue usque ad xiiij annum vel circa; et quanto dicta filia sua crescebat in etate, tanto morbus crescebat magis in ea; et ita videbat mater continue, et affligebat et vexabat eam cotidie predicta infirmitas, et erat diversorum colorum: quandoque erat ibi rubedo et quandoque lividitas, et habebat foramina multa in tibiis profunda ita quod ponebat ibi de iunco usque ad profundum unius uncie et dimidie digiti, et fluebat inde magna sanies et corrupcio, et quandoque superveniebant ibi pustule sive briole, de quibus cum curabantur exibat sanguis et sanies et putredo.

[1] Cod. *hoc*.

Dixit eciam quod eo anno quo beatus Ludovicus de mundo migravit et fuit portatus causa sepulture apud Massiliam, ipsa devovit dictam filiam beato Ludovico, et credit quod filia sua esset presens et gavisa fuit multum, sicut videtur sibi; et duxit eam ad sepulturam beati Ludovici. Et post paucos dies plene et integre curata fuit, nec postea aliquid habuit. Et hoc credit omnino contigisse meritis beati Ludovici. De fama et de aliis interrogacionibus supraproximo factis, respondit sicut dicta Ricardeta filia sua in supraproximo.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxiiij.

Gauffrida Rossa uxor quondam Bernardi Rossi, civis Massilie, etatis xl^{ta} anno-
f. 95c rum vel circa, ut dixit, testis producta, iurata * et diligenter interrogata super supradicto miraculo quod dicitur esse factum in persona dicte Ricardete que, ut supradictum est, gravem infirmitatem passa fuit in tibiis suis, dixit quod ipsa vidit dictam Ricardetam quando erat in etate iiij^{or} vel quinque annorum, et vidit tybias suas que erant cooperte sanie et videbantur esse venenose; et postea vidit eam curatam, et audivit dici quod hoc fuerat quia mater sua devoverat eam beato Ludovico. Interrogata a quibus audivit, dixit quod a matre dicte Ricardete et a dicta Ricardeta eciam, et ipsa credit quod fuerit curata meritis beati Ludovici; aliter nescit, ut dixit. De fama vero et de aliis interrogacionibus factis in supraproximo, respondit ut dicta Ricardeta superius nominata.

Item aliud miraculum de quodam homine qui passus fuit gravem morbum in tibiis suis, et postea curatus meritis dicti sancti.

Cap. clxxv.

Ferrarius Salvani, civis Carpentoratensis, etatis xl^{ta} annorum, iuratus et diligenter interrogatus super eo quod dicitur quod [1] fuit passus gravem morbum in tybiis suis et postea curatus meritis beati Ludovici, dixit quod ipse per octo annos continuos habuit horribilem morbum in tybiis, ita quod erant ibi multa et diversa foramina in quibus vermes concreabantur, et apparebant ossa tybiarum per multa foramina; et cum plures quesivisset et habuisset medicos pro cura tybiarum, non invenit aliquem qui curaret eum nec posset sibi dare remedium de infirmitate predicta, quamquam de suo plura dicti medici habuissent; et illis sex annis, quibus duravit sibi dicta infirmitas, non potuit se iuvare nec laborare sicut ante consueverat, quia super pedes stare non poterat. Et videns uxor testis qui loquitur afflictionem mariti sui et ineptitudinem, sperans (et ipse eciam qui loquitur) quod numquam posset de dicta infirmitate curari, optans [2] magis mori quam vivere, ad persuasionem uxoris sue devovit se beato Ludovico et promisit ei quod, si eum curaret a dicta infirmitate, [3] ipse veniret peregrinus ad tumulum suum et offerret ibi duas
95d tibias * de cera. Quo voto facto, fiducialiter sperans curari meritis beati Ludovici, fecit se deportari super unum asinum per aliquam partem vie. Et venit ad sepulcrum beati Ludovici et oravit ibi et obtulit dictas tibias cere. Et postea dictus morbus incepit paulatim [4] remitti et desiccari; et reversus est pedes ad domum suam.

---

[1] Cod. *esse*. [2] Cod. *obtans*. [3] Cod. repetit *quod*. [4] Cod. *paulatine*.

Et tunc sensit morbum predictum declinare, et incepit laborare, et infra dimidium annum fuit plene curatus, ita quod nichil remansit de dicta infirmitate in tibiis suis nisi cicatrices duntaxat, nec post aliquid sensit de dicto morbo. Interrogatus de tempore quo supervenit sibi dicta infirmitas, dixit quod sunt octo anni. Interrogatus quo tempore venit causa voti predicti solvendi ad tumulum beati Ludovici, dixit quod in vindemiis proximo preteritis fuit annus elapsus. Interrogatus de personis que sciebant dictam infirmitatem, dixit quod uxor sua et Raymundus Folcare, P(etrus) Riquet de Carpentorata et Guillelmus de Rosso sartor et uxor sua de Massilia et plures alii, ut dixit. Et ipse credit et tenet pro firmo quod per invocacionem et merita beati Ludovici fuit a dicto morbo curatus et liberatus. Interrogatus si est fama et vox publica in dicta civitate Carpentoratensi de hoc et eciam in locis circumvicinis quod Deus, propter bonam et sanctam vitam quam habuit et tenuit beatus Ludovicus, faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic, et quod reputant eum sanctum. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam ita deposuerit, dixit quod non; set quia de predictis veritas sic se habet.

In nomine Domini, amen. Incipiunt miracula de periculo et naufragio in mari facta meritis beati Ludovici predicti, super quibus deposuerunt testes infrascripti.

Cap. clxxvj.

Guillelmus Nielli, civis Massiliensis, etatis L^{ta} annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super periculo maris * in quo dicitur fuisse in mari et per in- *f. 96c vocacionem beati Ludovici evasisse, dixit quod una die (bene sunt quinque anni elapsi, set non recordatur que dies fuit) ipse erat in mari cum tribus aliis personis in quadam barca, et in dicta barca portabant frondes arborum que dicuntur nerta, et folia cuius natura talis est quod si aqua pluvialis vel alia cadat desuper ex tunc perdit virtutem et vigorem suum quos habet in parandis coriis, et frondes ille et folia valebant XL^{ta} libras et ultra, et tantum vendiderunt et plus, ut dixit. Et dum navigarent, supervenit tempestas valida in mari et fluctus gravissimi, ex quibus apparuit eis, sicut dixit, quod barca submergi et ipsi naufragium pati poterant et timebant (et merito, sicut dixit, quia illa tempestas in locis circumvicinis multa mala fecit in terra et in mari). Quo periculo seu naufragio imminente, dictus [testis] qui loquitur et alie tres persone que erant cum eo in dicta barca invocaverunt auxilium beati Ludovici et promiserunt quod, si Deus daret eis graciam evadendi et salvandi personas et ea que habebant in barca,[1] ipsi cum funibus in collis suis visitarent sepulcrum suum cum vigiliis suis quam cito intrarent Massiliam, antequam intrarent domos aliquas. Et dixit quod beatus Ludovicus fecit eis tantam graciam, voto emisso, quod quamquam in circuitu barche aqua et fluctus maris agitarent barcam et vis ventorum terribilis esset ibi et undantes pluvie, tamen nec eos tetigit pluvia nec ea que erant in barca, nec vestes nec personas eorum; et pro firmo supponit quod nisi esset adiutorium beati Ludovici nullatenus naufragium evasisset. Et dixit quod alias iuvit eum beatus Ludovicus in multis casibus terribilibus dum erat in mari et alibi, ut dixit. Dixit eciam quod ipse credit et tenet pro firmo quod, propter bonam et sanctam vitam * quam tenuit et habuit beatus Ludovicus dum *f. 96

[1] Cod. repetit *quod.*

vivebat, Deus meritis suis faciat et fecerit multa miracula, et quod de hoc est fama Massilie et in Provincia et alibi, ut dixit; et ipse credit pro firmo quod sit sanctus, et quod pro sancto habetur in locis memoratis, ut dixit. Interrogatus qui erant cum eo in barca, dixit quod ipse et P(etrus) Nielli filius suus et alii duo homines qui erant de Cabassa, de quorum nominibus non recordatur, ut dixit. Interrogatus de tempore quo istud contigit, dixit quod sunt sex anni vel circa. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur comuniter a multis. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, vel prece, precio, timore vel amore ita deposuerit, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Item aliud miraculum de periculo maris, super quo deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. clxxvij.

Guillelmus de Urgone, civis Massilie, etatis XL^{ta} annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur contigisse in persona ipsius in maris naufragio constituti, narravit et dixit quod illo anno quo beatus Ludovicus de hoc mundo migravit, ipso sabbato ante Natale Domini erat in mari eundo Ianuam, et portabat anguillas ad vendendum; et fuit ibi tanta tempestas quod multe barche rupte fuerunt, et barcha, in qua ipse erat, erat quasi semiplena aqua, ita quod ipse qui loquitur et alii qui erant cum eo in barca desperantes de salute expectabant naufragium et mortem. Et tunc ipse testis qui loquitur invocavit auxilium beati Ludovici cum multo timore et cordis contricione et devocione; et, eo invocato, ad tempus modicum salvi cum omnibus suis rebus pervenerunt ad portum. Et completo itinere quod decreverant se facturos, redierunt ad propria. Et cum testis qui loquitur fuisset in domo, quesivit ab eo uxor sua quomodo fuerat sibi in dicto sabbato 96c ante Natale, et ipse dixit ei quod illo sabbato * intraverat mare cum bono tempore et sereno, et postea supervenit tempestas in mari gravissima et procelle, et fluctus maris intraverunt barcam et repleverunt quasi mediam partem barche in qua ipse erat, et post videns periculum seu naufragium quod imminebat, ipse invocavit auxilium beati Ludovici; quo invocato, ad modicum tempus salvi venerunt ad portum. Et tunc uxor sua rec[i]tavit sibi quod ipsa sompniaverat seu panteyzaverat quod eodem sero dictus maritus suus et illi qui erant cum eo in barca omnes fuerant submersi, et in crastinum dicta uxor promisit beato Ludovico quod, si reduceret maritum suum salvum et alios qui erant cum eo in barca, ipsa offerret sibi unam barcam de cera cum tot ymaginibus de cera quot homines erant in ipsa barca. Quod fecit et complevit, ut dixit. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt x anni vel circa.

Miraculum de frenesi.

Adiecit eciam quod ipse qui loquitur fuit IX diebus in frenesi gravissima, ita quod non poterat conmedere nec dormire; bibere tamen poterat; nec erat spes quod ipse nunquam posset curari. Tunc tamen ipse, memor beati Ludovici, invocavit eius auxilium, rogando et supponendo quod impetraret sibi cum Domino remedium sanitatis. Et hoc facto, obdormivit. Et cum evigilaret, invenit se totaliter et perfecte curatum. Interrogatus quot anni sunt quod dicta frenesis sive infirmitas sibi contigit, dixit quod sunt quinque anni vel circa.

Dixit eciam quod ipse credit et tenet pro firmo quod a praedictis naufragio et infirmitate per auxilium et invocacionem beati Ludovici fuit miraculose liberatus et curatus, et dixit quod publica vox et fama est Massilie et in Provincia et alibi quod, propter bonam et sanctam vitam et perfeccionem quam habuit et tenuit beatus Ludovicus dum vixit, Deus facit frequenter et fecit multa miracula; et credit pro firmo quod ipse sit sanctus. Interrogatus quid est fama, dixit quod illud quod dicitur communiter a multis. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, seu prece, precio, timore vel amore * ita deposuerit ut dictum est, dixit quod non; set quia ita se habet veritas de predictis. * f. 96v

Super eodem miraculo.

Cap. clxxviij.

Mathedera uxor dicti Guillelmi de Urgone, civis Massilie, etatis XL annorum vel circa, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona predicti mariti sui, qui dicitur maris naufragium evasisse meritis beati Ludovici, dixit quod nocte precedenti dictum naufragium seu periculum ipsa sompniavit quod dictus maritus suus et illi qui erant cum eo in barca omnes erant submersi, et quod ipsa in crastinum expergefacta et reminiscens de sompn[i]o quod fecerat et timens de marito suo propter sompnium, recommendavit maritum suum beato Ludovico et promisit sibi quod, si reduceret eum et salvaret et alios qui cum eo erant in barca, ipsa sibi offerret unam barcam de cera cum tot personagiis seu ymaginibus de cera quot erant homines in barca. Quod fecit postea et complevit, ut dixit. Et postea cum dictus maritus suus complevisset dictum viagium et ad domum propriam revenisset, ipse recitavit dicte uxori sue quomodo sibi contigerat in eodem viagio in mari et quomodo in naufragio invocaverat auxilium beati Ludovici, et dicebat quod per invocacionem eius et merita ipse fuerat a dicto periculo liberatus. Et tunc, hoc audito, ipsa narravit ei sompnium quod fecerat supradictum. Et ipsa credit et tenet pro firmo quod dictus maritus suus et alii qui cum eo erant per invocacionem et auxilium beati Ludovici fuerunt a dicto naufragio liberati. Interrogata eciam eadem testis super morbo frenetico quem dictus maritus suus passus fuerat, dixit idem quod dictus maritus suus in miraculo proximo supradicto, et credit firmiter quod ipse fuerit curatus a dicto periculo maris et morbo frenetico per invocacionem beati Ludovici, quia ipsa non credebat quod ipse posset a dicto morbo aliquo medicamine * curari. Interrogata de fama et de aliis interrogacionibus predictis, respondit sicut dictus Guillelmus maritus suus in supraproximo. * f. 97

Super eodem miraculo.

Cap. clxxviiij.

Petrus Burgundi, civis Massilie, etatis xxx^{ta} annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto facto in persona dicti Guillelmi de Urgone, qui per invocacionem et auxilium beati Ludovici dicitur de maris naufragio evasisse, dixit quod una die ante Natale Domini, de qua non recordatur, ipse una cum dicto Guillelmo de Urgone ibant Ianuam in una barca et portabant anguillas ad vendendum, et erant IIIJ^{or} persone in dicta barca dumtaxat;

et supervenit tempestas gravissima et procelle maris, et credebant omnino debere submergi. Et tunc invocaverunt auxilium beati Ludovici et promiserunt sibi quod, si eos a predicto periculo liberaret, ipsi darent sibi vigilias. Et paulo post invocacionem, ipsi una cum rebus suis salvi pervenerunt ad portum. Et credit pro firmo quod nisi intervenisset gracia beati Ludovici apud Deum pro evasione dicti periculi, [1] ipsi perissent. Interrogatus de tempore quo istud contigit, dixit quod sunt octo anni vel circa. De fama et de aliis interrogacionibus predictis, respondit sicut dictus Guillelmus de Urgone superius nominatus.

Item aliud miraculum de periculo maris, super quo deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. clxxx.

Gauffridus de Serveriis [2], civis Massilie, etatis XL^{ta} annorum vel circa, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super eo quod ipse una cum pluribus aliis dicitur maris periculum evasisse per invocacionem beati Ludovici, narravit et dixit quod cum ipse una cum CL^{ta} hominibus tam marinariis quam mercatoribus et aliis essent in una navi sua iuxta unam civitatem que vocatur Heleas in Armenia, et dicta na- f. 97b vis esset * onusta multis rebus et mercibus preciosis ad valorem, sicut dixit, centum milium librarum bone monete, flante vento [3] prospero erexerunt velam [4] sicut homines desiderantes ad propria remeare. Postea, sicut Deo placuit, vento mutato, veniebant sicut poterant, multum, ut asserit, desolati; et cum XL^{ta} sex diebus in adversitate stetissent, venerunt ad mare Trapane iuxta Siciliam, et ibi crevit adversitas et tempestas et fortuna maris, ita quod ipse qui loquitur et ceteri qui erant cum eo in navi, tam de personis quam de rebus fuerunt totaliter desperati: nedum eciam habebant ventum validum sibi contrarium, immo erant positi ex una parte in posse adversa[n]cium Siculorum, quia tunc erat guerra gravis et aspera inter regem Sicilie et illos qui Siciliam detinebant; ex alia vero parte habebant Barbariam et unum locum qui est in mari qui inter loca cetera periculosissimus reputatur, qui nominatur *Lo Quel*, alias *Quelmus*. Adtendentes ergo cum devocione cordium, sicut dixit, calamitates et pericula supradicta et credentes omnino perire et se pati naufragium ex predictis, invocaverunt beatissimum Ludovicum qui iacet in Massilia, ut eos de imminentibus et presentibus tunc periculis erueret et de salutari et felici remedio provideret, et promiserunt sibi dare unam navim XX^{ti} librarum de cera, et mercatores et marinarii et alii qui erant ibi promiserunt duos brandones magnos de cera; set non recordatur de quo pondere. Et his factis, eadem die in vesperis cessavit maris tempestas, et ventus qui adversus fuerat in prosperum fuit mutatus, ita quod continuatis gressibus sine aliqua adversitate, octava vel nona die voti et promissionis emissorum, applicuerunt ad portum de Domes prope Massiliam ad duo miliaria salvi et incolumes cum omnibus rebus et mercimoniis suis, sicut dixit. Et eadem die testis qui loquitur cum multis aliis personis intraverunt civita- * 97c tem Massilie cum multa exultacione et gaudio, et * postea beato Ludovico navem de cera et brandones predictos, sicut promiserant, obtulerunt. Adiecit eciam quod postquam applicuerunt in dicto portu de Domes, ventus validus et adversus incepit, qui

---

[1] Cod repetit *quod*. [2] Sic. [3] Cod. bis *vento*. [4] Sic.

duravit xv diebus, ita quod si invenisset [1] eos in mari magno, vix periculum evasissent. Et dixit ipse qui loquitur quod ipse credit et tenet pro firmo quod propter invocacionem et merita beati Ludovici ipse et illi qui erant in navi cum mercibus suis fuerunt a dicto periculo liberati. Interrogatus de hiis qui erant cum eo in dicta navi, dixit quod Petrus Rotgerii, Oggerius de Lamar, Iohannes Rotgerii et multi alii de Provincia et aliis regionibus, ut dixit. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt octo anni. Interrogatus si est fama Massilie et in Provincia et alibi quod propter sanctam et perfectam vitam et merita beati Ludovici Deus faciat et fecerit multa miracula et si in predictis locis tenent eum pro sancto, dixit quod sic; et ipse credit et tenet pro firmo quod sit sanctus, et de istis est publica vox et fama in locis memoratis. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod communiter gentes dicunt. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxj.

Petrus Rotgerii, civis Massilie, etatis Lta annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto de periculo maris, dixit quod ipse presens fuit una cum dicto Gauffrido de Serveris [2] in navi predicta, iuxta civitatem predictam que vocatur Heleas, et eadem navis erat onusta mercibus et aliis rebus preciosis, sicut testis deposuit inmediate precedens. De numero vero personarum et de valore mercium que erant in navi et de voto et de promissione et periculo quod evaserunt, dixit ut dictus Gauffridus in supraproximo; hoc excepto, quod nona die * post emissionem voti predicti applicuerunt ad portum de Domes supradictum. * f. 97 Interrogatus de nominibus personarum que erant in dicta navi cum eo, dixit quod Gauffridus de Serveris, Oggerius de Lamar, Iohannes Rotgerii et multi alii provinciales et de aliis regionibus, de quorum nominibus non recordatur, ut dixit. Dixit eciam quod eadem die testis qui loquitur et plures alii qui cum eo fuerant in dicta navi intraverunt Massiliam leti et cum gaudio et visitaverunt sepulcrum beati Ludovici et promissionem et votum quod fecerant compleverunt, ut dixit. Interrogatus de tempore quo ista fuerunt, dixit quod sunt octo anni vel circa. Dixit eciam testis qui loquitur quod ipse credit et tenet pro firmo quod, propter invocacionem et merita beati Ludovici, ipse et alii qui erant in dicta navi predictum maris periculum evaserunt. De fama et de aliis interrogacionibus [3], respondit ut dictus Gauffridus supraproximo.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxij.

Oggerius de Lamar, civis Massilie, etatis xxxta annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super eodem miraculo proximo supradicto de periculo maris, dixit quod iuxta civitatem que vocatur Heleas in Armenia ipse qui loquitur et Gauffridus de Serveriis, Petrus et Iohannes Rotgerii fratres et plures alii tam de Massilia

---

[1] Cod. *invenissent.* [2] Sic. [3] Cod. potius *interrogatus.*

quam de Provincia et aliis regionibus usque ad CL[ta] numero erant in una navi, que erat dicti Gauffredi de Serveris, et cum erexissent vela sua pro redeundo ad propria, et vento contrario flante, fuerunt in maris periculo per tantum temporis, sicut testis deposuit inmediate precedens. De mercibus vero que erant in navi predicta et de valore mercium et de voto et de promissione et de die qua applicuerunt ad
98a portum de Domes, et postea quomodo * intraverunt Massiliam et de complemento voti et de promissione et de tempore quo predicta contigerunt, et de fama et de aliis interrogacionibus superius factis, respondit ut dictus Gauffridus superius nominatus.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxiij.

Iohannes Rotgerii, civis Massilie, etatis XL[ta] annorum vel circa, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super eodem miraculo proximo supradicto de periculo maris, dixit quod ipse una cum Gauffrido de Serveris et Petro Rotgerii fratre suo et Oggerio de Lamar testibus supradictis et cum multis aliis hominibus usque ad CL[ta] fuit in una navi prope unam civitatem quae vocatur Heleas in Armenia, et eadem navis erat onerata multis mercibus ad valorem C[m] librarum, ut dixit. De voto vero et de promisione et de die qua ipse et alii qui erant cum eo in dicta navi applicuerunt ad portum de Domes et quomodo intraverunt apud Massiliam ipse et testes supradicti, et de tempore et de fama miraculorum et sanctitate beati Ludovici, et si instructus vel informatus ab aliquo, aut precio aut prece, timore vel amore ita deposuerit in predictis, respondit ut dictus Gauffridus de Serveris superius nominatus.

Item de periculo maris habes in depositione Bertrandi Massolli capitulo de mortuis suscitatis: quere retro [1].

In nomine Domini, amen. Incipiunt capitula de incredulis iam punitis, super quibus deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. clxxxiiij.

Guillelmus de Moyssaco lapidicinarius, civis Massilie, etatis LX[ta] annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super eo quod dicitur dixisse derrisorie et contemptibiliter aliqua contra beatum Ludovicum, narravit et dixit quod quadam die dominica ipse venit ad ecclesiam fratrum Minorum Massilie de mane, eo tempore
98a quo Fratres * consueverunt dicere missas suas; et audita missa, ipse recedebat. Et occurrit multitudini gencium venienti in medio ecclesie; et aliqui portabant candelas, alii ymagines integras, alii capita, alii diversa genera scandalium et figurarum de cera ad honorem beati Ludovici. Quo viso, ipse qui loquitur dixit derrisorie tale verbum: « Ex nunc parum habent facere alii sancti qui sunt in paradiso, quia Sanctus Ludovicus portat totum ». Quo verbo prolato, inmediate os suum et labia fuerunt transversata et oculus suus a parte sinistra turpiter, sicut ipse dominis inquisitoribus ostendit, et mutus est effectus et nichil sentiebat, quousque unus compater suus, qui erat cum eo et vidit eum ita deformatum, dixit ei: « Heu, compater, et quomodo

[1] Idest cap. xxxiiij, p. 123.

est hoc quod facies vestra sit talis, ita deformis et ita transversata? » Et multi alii idem dixerunt ei; set ipse non poterat respondere. Deinde ipse plenus verecundia et dolore accepit capucium suum et super illam partem ita deformatam et lesam posuit et cum eo fricabat, credens illam deformitatem ad statum pristinum reducere, et ivit domum suam et ibi stetit per tres dies inclusus pre verecundia; quarta vero die exivit et ivit ad opus suum et laborabat de lapidibus sicut consuevit, et alii collaboratores qui erant ibi cum eo, faciebant de eo derrisiones suas dicendo sibi: « Alia vice dicas malum de beato Ludovico, si vultis! » Et ipse fortiter erubescebat et loqui non poterat. Nec pre verecundia audebat sumere cibum vel potum sicut alii nec modo consueto; set sumebat multum deformiter et turpiter capite inclinato ad partem * sinistram lesam et transversatam. Tunc tertia die qua fuerat in opere, id est sexta die qua casus iste sibi contigerat, unus qui vocatur Raymundus de Solario, qui laborabat in dicto opere cum eo, dixit ei: « Hey, Guillelme, quomodo contigit istud vobis? » Et tunc ipse non potuit sibi respondere. Et ille Raymundus persuasit sibi quod faceret unum caput de cera quod portaret ad sepulcrum beati Ludovici. Et ipse, hoc audito, complosit manus suas et elevavit sicut potuit caput et oculos ad celum et posuit cubitos suos ita complosis manibus supra murum in quo edificabant, et in corde suo habuit contricionem et dolorem magnum, et imploravit cum magna devocione auxilium et remedium beati Ludovici, ut dixit. Et in crastinum, scilicet die sabbati, multum mane venit ad sepulcrum beati Ludovici cum uno capite cere et obtulit ibi; et frater qui custodiebat sepulcrum quesivit quare obtulerat, et ipse non potuit respondere stans mutus sicut prius, contritus tamen et dolens remanens. Et cum rediret ad domum suam et esset in illo loco in quo verbum contemptus emiserat in ecclesia predicta, ibi recuperavit verbum, et facies sua et occuli ad statum pristinum sunt reducti. Et tunc apparuit sibi quidam conpater suus vocatus Romoeus [1], et ipse dixit sibi hoc verbum: « Conpater, bene veneritis ». Et tunc visa gracia quam assecutus fuerat per beneficium beati Ludovici, rediit ad sepulturam et regratiatus est, et flevit ibi. Et postea fratri qui custodiebat sepulcrum narravit quomodo sibi contigerat. Hec omnia iuravit a[d] sancta Dei Evangelia esse vera, et dixit quod ipse fuit curatus solum, ut credit et tenet pro firmo, per contricionem quam habuit de eo quod male dixerat contra beatum Ludovicum et per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus de tempore quo sibi hoc contigit, dixit quod secundo mense quo fuit sepultus beatus Ludovicus in ecclesia fratrum Minorum Massilie. Interrogatus de testibus, respondit quod quando casus iste sibi contigit, erat cum eo quidam compater suus * qui vocabatur Geraldus de Albana, set ille mortuus est, sicut dixit, et nullus alius; sed multi alii viderunt eum illa die in bono statu et postea ita mutatum, defiguratum et deformatum. Interrogatus de illis qui viderunt eum ita mutatum, defiguratum et deformatum illis diebus et postea reformatum, dixit quod Raymundus de Solario, Romeus de Dierio [2], Petrus Bevaygna, Hugo Rodulphi et Raymundus Terrini et uxor ipsius testis qui loquitur et plures alii, de quorum nominibus dixit se non recordari. Interrogatus si est fama Massilie et in Provincia et in aliis locis circumvicinis quod Deus fecerit et faciat miracula meritis beati Ludovici, dixit quod sic. Dixit eciam quod ipse credit quod, propter humilitatem et caritatem et propter bonam, perfectam et sanctam vitam et conversacionem

*f. 9[illegible]

*f. [illegible]

[1] Sic. [2] Sic.

quam habuit beatus Ludovicus, beatus Ludovicus sit sanctus; et ipse tenet eum pro sancto, ut dixit. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod dicitur comuniter a multis. Interrogatus si instructus vel informatus, aut prece etc. ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set pro eo solum quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxv.

Romeus de Ydier[1], lapicidinarius de Massilia, etatis L^ta^ annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona Guillelmi de Moyssaco, dixit quod ipse frequenter audivit ubi operabantur et operati erant multis diebus insimul ipse et dictus Guillelmus in opere Philippi Corderii, quod dictus Guillelmus de Moyssaco multum contemptibiliter et frequenter eloquebatur de beato Ludovico dicendo: « faceretne Loys virtutes et miracula, faceret sicut unus asinus », et dicebat in presencia multorum; et ipse qui loquitur dicebat ei quod male dicebat et male accideret sibi. Et post paucos dies ipse testis qui loquitur vidit dictum Guillelmum, qui prius erat homo composite facie[i], et in occulis et in aliis, ita diffiguratum, et in ore et in occulo et in facie transversatis[2], quod non poterat loqui. Dixit eciam quod post paucos dies testis qui loquitur et multi alii dixerunt sibi quod cognosceret errorem suum et
99a converteret se ad beatum Ludovicum et rogaret eum bono corde * quod iuvaret eum. Et tunc ipse, sequens consilium testis qui loquitur et aliorum, recepit unum caput cerē et una cum teste qui loquitur ivit ad sepulturam beati Ludovici gemendo et flendo, et obtulit illud caput et flexis genibus diu stetit et oravit iuxta sepulcrum beati Ludovici, et postea in eadem ecclesia recuperavit loquelam, et facies et occuli sunt reducti ad rectitudinem primi status. Et incontinenti miraculum fuit scriptum per fratres qui erant ibi. Et dixit ipse testis quod ipse credit firmiter quod dictus Guillelmus fuit curatus a dicta deformitate et tortuositate occulorum et facie[i] per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus si cognoscit aliquos qui sciant de isto miraculo et qui viderint dictum Guillelmum in deformitate predicta, dixit quod Raymundus de Solario et uxor dicti Guillelmi et plures alii de quorum nominibus dixit se non recordari. Interrogatus si est fama Massilie et in Provincia quod Deus meritis beati Ludovici miracula fecerit et faciat frequenter, dixit quod sic, et quod in persona sua propria fecit.

Quia cum ipse graviter pateretur et esset ita graviter infirmus quod medici desperabant de convalescencia ipsius, ipse convertit se ad beatum Ludovicum et imploravit eius auxilium et devovit se sibi, et statim senciit se alleviatum et perfecte curatum; et credit et tenet pro firmo quod ipse fuit miraculose curatus meritis beati Ludovici.

Et credit firmiter quod ex hoc et propter bonam et honestam conversacionem, sanctam et perfectam vitam quam ipse habuit quandiu vixit, ipse sit sanctus et sicut sanctus debet adorari ac eciam honorari. Et dixit quod de bonitate et perfeccione sua et sanctitate vite quam habuit et quod Deus faciat et fecerit miracula pro eo, est Massilie et in Provincia et in aliis regionibus publica vox et fama. Interrogatus quid sit fama et de aliis, respondit sicut dictus Guillelmus de Moyssaco supraproximo.

---

[1] Sic. [2] Sic.

De eodem miraculo.

Cap. clxxxvj.

Raymundus de Solerio[1] lapicidinarius, civis Massilie, etatis LXX^la annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto * quod dicitur esse factum in persona dicti Guillelmi de Moyssaco, dixit * f. 9 quod una die, de qua non recolit, ipse una cum dicto Guillelmo operabantur de arte sua in carreria de Cordis, et ipse qui loquitur respiciens dictum Guillelmum vidit quod ipse habebat faciem diffiguratam et os suum et occulos transversatos; et cum ante semper vidisset eum bene compositum in ore et in occulis et in facie, et modo vidisset eum ita diffiguratum in facie et predictis, interrogavit eum quomodo istud sibi contigerat. Qui pre dolore et verecundia sibi non potuit respondere; et tunc ipse qui loquitur dixit ei quod devoveret se beato Ludovico qui tunc incipiebat facere miracula et quod iret ad locum ubi sepultus erat et ibi rogaret eum quod inpetraret sibi graciam cum Deo, quod eum a dicta infirmitate et deformitate faciei liberaret. Quod et fecit. Et ipse qui loquitur vidit quod statim dictus Guillelmus ivit ad sepulcrum beati Ludovici et in crastinum dictus Guillelmus reversus[2] ad locum ubi operabantur, ipse testis vidit eum perfecte a dicta deformitate faciei curatum; et tunc dictus Guillelmus dixit testi qui loquitur quod beatus Ludovicus curaverat eum et quod ipse obtulerat sibi unum capud cere et unam candelam. Testis vero qui loquitur dixit quod ipse quando vidit eum primo ita deformem, nesciebat quomodo sibi illud contigerat; set credit pro firmo quod per invocacionem et merita beati Ludovici ipse fuit miraculose a dicta deformitate faciei curatus et liberatus. Interrogatus de tempore quo istud accidit, dixit quod bene sunt octo anni, ut credit. Interrogatus de fama et de aliis interrogacionibus superius factis, respondit sicut dictus Guillelmus de Moyssaco superius nominatus.

Item aliud miraculum de quadam muliere punita pro eo quod non credebat quod Deus faceret miracula meritis beati Ludovici, super quo deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. clxxxvij.

Gauffrida Rossa uxor quondam Bernardi Rossi, civis Massilie, etatis XL^ta annorum vel circa, ut dixit, iurata et diligenter interrogata super verbis contemptus et blasphemie quibus * usa fuit contra beatum Ludovicum et casu qui postea dicitur * f. contigisse in ea, dixit quod in die beati Michaelis ipsa que loquitur et Beatrix Bruna consanguinea germana sua veniebant de ecclesia beati Michaelis de Massilia, ubi fuerant peregrine, et cum intrassent civitatem Massilie dicta Beatrix dixit quod volebat visitare ecclesiam fratrum Minorum et sepulcrum beati Ludovici, qui dederat sanitatem filie sue de morbo que passa fuerat longis temporibus et multis annis in tybiis suis, et offerre unam candelam. Et tunc ipsa que loquitur in ingressu ecclesie fratrum Minorum dixit dicte Beatrici: « O bona domina, creditis vos quod iste filius domini regis sit ita cito factus sanctus? Hoc predicant fratres Minores et dicunt, ut habeant emolumentum cere ». Et nichilominus ipsa que loquitur et dicta Beatrix intraverunt ecclesiam ubi iacet beatus Ludovicus, et dicta Beatrix obtulit sibi cande-

---

[1] Sic. [2] Sic.

lam, ista que loquitur dicente quod non haberet beatus Ludovicus suam candelam; sed benedixit corpus ipsius sicut alterius mortui et dixit sibi aliquid de Septem psalmis, ut dixit. Post hec, dum essent in egressu dicte ecclesie, ista que loquitur incepit penitere et dolere de hiis que dixerat et fecerat; et eodem sero inceperunt tumescere et inflare et capud et collum suum gravissime; et licet alias inflaturas huiusmodi aliquales habuisset, non tamen in illa grossitudine nec in illa angustia nec in tanto dolore in quanto habebat et habuit illo sero. Dixit eciam quod in aliis inflaturis nunquam consuevit perdere visum; in ista tamen passione, que sibi contigit, perdidit visum per tres dies omnino. Et tunc cogitans quod ex lapsu illorum verborum et contemptus beati Ludovici huiusmodi eidem contigisset, cum cordis dolore et devocione conversa ad beatum Ludovicum, recognoscens reatum suum et quod male dixerat et egerat in illis verbis contemptus, invocavit et imploravit auxilium beati Ludovici et promisit quod offerret sibi unam ymaginem de cera et quam
99d cito quod [1] posset confiteretur de illo reatu et iret ad sepulcrum. * Et post triduum, facto voto, cessavit inflatura et tumor, et recuperavit visum in parte sinistra integre; in occulo autem partis dextre, de quo videbat ante illud, accidens set non plene macula de novo orta fuit, que continuo postea remansit et est, ita quod nunc de eo occulo nichil videt, ut dixit. Et credit ipsa testis quod propter peccatum suum et mala verba que dixerat et contumeliosa, illa macula nata fuit in occulo sibi ad signum et penam. Requisita si credit quod propter merita beati Ludovici fuerit curata de illa inflatura et recuperavit visum de occulo sinistro, dixit quod sic; et quod in alio occulo contigerit macula et visus privacio propter illa que male dixerat, dixit quod sic. Interrogata de tempore, dixit quod bene sunt IX anni. Interrogata si est vox et fama quod Deus faciat meritis beati Ludovici miracula multa, dixit quod fama est Massilie et in Provincia et in aliis regionibus circumcirca. Dixit eciam quod habent eum pro sancto et sanctum reputant eum propter sanctam et bonam vitam quam duxit et propter miracula que Deus facit frequenter pro eo. Interrogata quid est fama, dixit quod fama est quod a pluribus comuniter dicitur. Interrogata si informata vel instructa ab aliquo, seu precio vel prece, amore vel timore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxviij.

Beatrix Bruna, civis Massilie, etatis L[a] annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super miraculo supradicto quod dicitur esse factum in persona Gauffride Rosse, que propter verba contemptus quibus usa fuit contra beatum Ludovicum morbum gravissimum in capite, facie et collo dicitur passa fuisse, dixit quod ipsa et filia sua una cum dicta Gauffrida Rossa veniebant de ecclesia sancti Mi-
100a chaelis predicta ubi fuerant * causa peregrinacionis, sicut ipsa dixit, et cum intrassent civitatem Massilie testis que loquitur dixit: « Ego volo ire ad ecclesiam fratrum Minorum ut faciam ibi vigilias in honorem beati Ludovici propter graciam quam fecit filie mee que curata est eius beneficio de egritudine tybiarum suarum ». Et dicta Gauffrida dixit: « Domina Beatrix, ego associabo vos libenter usque ad ecclesiam

---

[1] Sic.

fratrum Minorum, set ego non faciam ibi vigiliam nec ponam ibi luminare, quia non credo ipsum sanctum, set dabo sibi signum crucis sicut uni alii mortuo; et credo quod fratres Minores hoc invenerunt propter lucrum et emolumentum habendum. Et ex eo non credo quod sit sanctus, quia erat homo carnalis sicut et unus alius ». Et tunc filia testis que loquitur, que fuerat tybiis curata, dixit illi Gaufride [1]: « O bona domina, et nonne Apostoli, qui fuerunt homines carnales et piscatores, faciebant miracula? Quare non ita faceret miracula iste qui est filius regis et fuit tam sancte et bone vite sicut eciam beatus Petrus qui habuit uxorem et aliqui alii Apostoli? » Tunc dicta Gauffrida dixit: « Non possetis michi tantum dicere, quod ego crederem aliud ». Post hec recesserunt de ecclesia et iverunt domos suas. Et infra modicum tempus, de quo non recordatur, ut dixit, arripuit dictam Gauffridam tumor et inflatura maxima in capite, facie et gutture, ita quod nichil videre poterat pre nimia inflatura que tegebat occulos suos, de quibus bene viderat, sicut videtur sibi. Et audito quod ita erat afflicta dicta consanguinea sua, visitavit eam; et quando vidit eam, obstupuit de tali morbo et tanta inflatura. Et dixit ei: « Consanguinea, quod hoc fecerunt verba contemptus que dixistis de illo sancto viro domino Ludovico ». Et ipsa Gauffrida respondit quod tota nocte invocaverat * auxilium eius. Et ipsa Beatrix que *f. loquitur suasit ei quod devoveret se beato Ludovico; et ipsa fecit votum et promisit sibi portare ymaginem ceream, et quod nunquam transiret ante ecclesiam in qua erat sepultus quin discalcearet se, si daret sibi sanitatem. Post hec autem infra paucos dies cessavit illa egritudo et recuperavit visum in occulo qui est in parte sinistra perfecte, in occulo vero dextro quadam macula remanente, que ante dictum morbum in eodem occulo nunquam fuit. Dixit eciam ipsa que loquitur quod credit firmiter et multi alii credunt, ut predixit, quod propter illa [2] verba predicta que dicta Gauffrida in contemptu beati Ludovici dixit, supervenit sibi illud accidens et ille morbus, et illa macula fuit ibi nata, ut dicti contemptus vestigium hominibus appareret; et credit ipsam esse curatam duntaxat, non ope hominis, set propter devocionem quam habuit et dolorosam contricionem et invocacionem quam faciebat et fecit pro habendo auxilio beati Ludovici; et multi hoc dicunt et credunt. Interrogata de fama et de aliis interrogacionibus superius expressis, respondit sicut dicta Gauffrida supraproximo.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxix.

Ricardeta Bruna filia quondam Iohannis, civis Massilie, etatis $\mathrm{xx}^{ti}\mathrm{iiij}^{or}$ annorum vel circa, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super [verbis] contemptus quibus usa fuit dicta Gauffrida Rossa, sicut in sua deposicione superius continetur, dixit quod ipsa testis que loquitur et mater sua Beatrix Bruna una cum dicta Gauffrida Rossa quadam die, de qua non recolit, veniebant de peregrinacione, et cum essent prope ecclesiam fratrum Minorum Massilie, ubi iacet corpus beati Ludovici, dixit dicta Beatrix Bruna quod ipsa volebat intrare ecclesiam et facere vigiliam et offerre unam candelam ibi ad honorem beati Ludovici propter graciam quam sibi impetraverat * cum Deo de infirmitate quam passa fuerat in tybiis dicta *f.

[1] Sic. [2] Cod. bis *illa*.

filia sua. Et tunc dicta Gauffrida Rossa dixit eidem Beatrici, presente dicta Ricardeta filia sua, hec verba: « O bona domina, et creditis vos quod iste dominus Ludovicus, qui fuit homo carnalis, sit sanctus? Offeratis sibi, si vultis, candelam vestram, quia ego non offeram nec ponam manum ad bursam meam: sufficit michi quod ego signem eum et benedicam eum sicut unum alium mortuum ». Et ita fecit. Et tunc ipsa Ricardeta testis que loquitur dixit sibi: « Domina, et nunquid vos creditis quod ita bene possit iste esse sanctus sicut sanctus Petrus, qui fuit homo carnalis et piscator, et multi alii? Et maxime iste, qui fuit filius regis et fuit ita sancte et laudabilis vite! » Et tunc dicta Gauffrida respondit: « Vos dicetis quitquid volueritis, quia ego nichil aliud crederem ». Et hiis dictis, recesserunt et iverunt domos suas. Et post paucos dies, ipsa que loquitur audivit dici quod dicta Gauffrida in facie graviter paciebatur, et visitavit eam et vidit quod dicta Gaufrida habebat faciem, capud et collum et occulos ita inflatos quod videre non poterat. Et stupefacta valde ipsa testis que loquitur dixit dicte Gauffride: « Hey, domina, et quomodo accidit vobis istud? » Et tunc dicta Gauffrida respondit: « Certe, domina, ego credo quod istud michi accidit propter illa verba que ego dixi de beato Ludovico quando dicebam vobis eum non esse sanctum. Unde multum peniteo me dixisse, et per totam istam noctem rogavi eum humiliter et devote quod michi parceret de hiis que male dixi de eo et quod impetraret michi cum Deo de morbo isto, quem pacior in capite et in facie, sanitatem ». Et de hoc, eciam ipsa presente que loquitur, multum devote rogabat beatum Ludovicum. Et tunc recessit dicta Ricardeta. Et post paucos dies audivit dici ipsa Recardeta quod
70d dicta Gauffrida fuerat * curata per invocacionem et merita beati Ludovici. Quo audito, ipsa visitavit iterum dictam Gauffridam Rossa[m], et vidit et invenit curatam a dicta infirmitate et eciam inflatura, et quod recuperaverat visum in parte occuli sinistri; in occulo autem dextro vidit quod habebat magnam maculam de novo ibi natam, quam antea non habebat, et adhuc habet, ut dixit. Et dixit sibi dicta Gauffrida quod ipsa erat curata a dicta inflatura et recuperavit visum in parte sinistra propter invocacionem et merita beati Ludovici, et quod propter verba contemptus que ipsa dixerat de beato Ludovico Deus dederat sibi in occulo dextro illam maculam in signum et in penam. Et dixit quod de hoc est fama in vicinia sua. De fama vero et de aliis interrogacionibus superius factis, respondit sicut dixit superius dicta Gauffrida Rossa.

Et merito hec habet credere, quia beatus Ludovicus in persona sua propria miraculose operatus est, ut superius, capitulo de malo mortuo et de infirmitatibus in tybiis, ipsa eadem testis que loquitur deposuit [1].

In nomine Domini, amen. Incipiunt capitula de liberatis et curatis de passionibus seu periculis que incurrerant propter casum vel lapsum eorum, per invocacionem et auxilium dicti sancti Ludovici.

Cap. clxxxx.

Reynalda uxor Raymundi Enuezat, civis Massilie, etatis xix annorum vel circa, ut dixit, iurata et diligenter interrogata super casu vel lapsu qui dicitur contigisse in persona cuiusdam filie sue Huguete et in persona eciam ipsius que loquitur, dixit quod semel, cum ipsa haberet in brachio dictam filiam suam et descenderet

[1] Cf. cap. clxxij, p. 226, l. 4 ss.

de domo patris sui per quendam [1] scalarium [2] ligneum ubi erant xx^{ti} gradus, sicut dixit; cum esset in medio, in uno clavo qui erat in dicto scalario fuit vestis sua utcumque involuta, et cum ipsa teneretur ibi, volens dissolvere dictam vestem, posuit manum ad clavum * ut dissolveret dictam vestem; et tunc dicta filia sua, que habebat * f. unum annum et dimidium, cecidit de brachio super scalerium [3], et tunc volvendo et revolvendo cecidit usque ad terram, et ipsa mater eciam que loquitur corruit postea similiter super eam. Et tunc ipsa mater, licet esset gravata de casu, incepit clamare: « Sancta Maria, custodi michi infantem meum [4]! » Et puer non vagiebat nec plorabat nec signa vitalia ostendebat. Et statim pater testis que loquitur, qui erat evicinus [5], audito clamore venit et levavit dictam infantem de terra; que habebat omnia signa mortalia et mortua dicebatur, et pater dicebat quod mortua erat, sicut ipsa testis que loquitur dixit. Et tunc pater portavit eam ad lectum. Sed prius recommendaverat eam beato Ludovico, supponendo quod redderet sibi vitam. Post testis que loquitur, mater dicte filie, venit ad lectum ubi erat posita illa filia et tunc invocavit auxilium beati Ludovici, quia invenerat eam sine signo vitali et totam frigidam et sine aliquo vagitu et suspirio et sine anelitu et motu, ita quod mortua videbatur; et promisit quod si redderet ei vitam, ipsa portaret eam sibi cum una ymagine unius libre cere. Et voto emisso, ipsa mater tetigit filiam suam per nasum, et incepit respirare. Interrogata qua die fuit hoc, dixit quod in festo beati Iohannis Baptiste proximo preterito [6]. Interrogata de hora, dixit quod circa vesperas. Interrogata si postquam incepit respirare dedit sibi lac, respondit quod ita in nocte, et tunc suxit bene et sic paulatim [7] incepit convalescere et convaluit. Et postea dicta mater portavit eam ad beatum Ludovicum cum una ymagine cere. Et mater ipsius testis que loquitur, avia dicte filie, portavit sudarium quod promiserat se daturam in eo casu si neptis sua vite redderetur. * Requisita si credit hoc aliquo medicamine contigisse vel ope medici, respondit quod non, set solummodo ope et auxilio beati Ludovici, et hoc firmiter tenet et credit. Interrogata qui fuerunt presentes in casu dicti pueri et ipsius testis que loquitur, respondit quod nullus; set pater predictus qui supervenit et multi alii, audito clamore. Interrogata si est fama et vox publica Massilie et in Provincia quod propter bonam et sanctam vitam, quam habuit beatus Ludovicus, Deus faciat et fecerit miracula, et si credit quod sit sanctus et habeatur pro sancto in locis predictis, dixit quod sic. Interrogata quid sit fama, dixit quod illud quod communiter dicitur a pluribus. Interrogata si prece, precio, instructa vel informata ab aliquo sic deposuerit, dixit quod non; set quia sic se habet veritas in predictis. * f.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxxj.

Berenguaria [8] Reynalda uxor Petri Reynaldi, civis Massilie, etatis xl.^{ta} annorum, ut dixit, testis producta, iurata et diligenter interrogata super proximo miraculo quod dicitur esse factum in persona dicte Huguete filie dicte Reynalde, filie eiusdem testis que loquitur, dixit quod ipsa non fuit presens in predicto casu, quia erat infra

[1] Sic. [2] Sic. [3] Sic. [4] Sic. [5] Sic. [6] Idest, 24 iunii 1307.
[7] Cod. *paulatine.* [8] Cod. *Herenguaria* cum littera initiali *H* pennicillo exarata, loco litterae *B* quam amanuensis minuto charactere in spatio ad hoc reservato indicaverat.

domum suam, set bene audivit casum et venit statim et voluit descendere sicut desperata; set devovit eam beato Ludovico. Vidit tamen quod maritus suus testis que loquitur tenebat dictam infantem in brachio capite inclinato, occulis et ore clausis ad modum mortui et nullum vitale signum apparebat in illa. Et maritus testis que loquitur portavit eam ad lectum, et ipsa venit ad lectum ad videndum eam et palpavit et tetigit dictam filiam et invenit eam totam frigidam in omnibus membris suis et ita tenentem collum, os et occulos clausos sicut supra scriptum est. Et credit et tenet pro firmo quod esset mortua. Dixit eciam quod iste casus contigit ante vesperas
101c in festo beati Iohannis Baptiste proximo preterito, * et stetit in illo casu usque ad crepusculum, ut dixit, et in crepusculo, post invocaciones multas factas ad beatum Ludovicum, dicta filia incepit respirare et labia movere. Et circa mediam noctem mater eiusdem filie dedit sibi mamillam et suxit [1]. Et credit ipsa que loquitur pro firmo quod dicta filia fuerit miraculose liberata et vite restituta per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogata super fama sanctitatis et miraculorum beati Ludovici et super aliis superius expressis, scilicet si prece, precio etc., respondit ut dicta B[e]renguaria in supraproximo.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxxij.

Petrus Reynaldi, civis Massilie, etatis L^ta annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super supradicto proximo miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona Huguete filie dicte Reynalde, dixit quod ipse non fuit presens in casu supradicto, set dixit quod bene audivit casum et clamorem matris dicte filie, et statim venit et accepit dictam filiam et tenuit eam inter brachia sua et respexit eam et visum fuit sibi quod esset mortua, et erat, ut ipse credit pro firmo, pro eo quia non vagiebat et tenebat caput inclinatum, os et occulos clausos, nec aliquid signum vitale apparebat in ea, nec credit quod posset aliquo medicamine liberari. Quo viso, ipse tristis et dolens devovit eam beato Ludovico et promisit ei quod, si redderet eam vite [2], daret sibi unam ymaginem cere. Et tunc post votum dicta filia incepit respirare et paulatim [3] recuperavit vires, ita quod adhuc vivit, ut dixit. Et credit et tenet pro firmo quod per invocacionem et merita beati Ludovici dicta filia fuerit miraculose liberata et vite restituta. Interrogatus super fama et super aliis interrogacionibus superius factis circa sanctitatem et miracula beati Ludovici, respondit ut testis proximo supradicto.

*Item aliud miraculum de casu vel lapsu, super quo deposuit testis subsequens, ut sequitur.

(*91d)

Cap. clxxxxiij.

Galterius de Sancto Laurencio iurisperitus, civis Aquensis, etatis L^ta annorum, ut dixit, textis productus, iuratus et diligenter interrogatus super casu vel miraculo quod contigit in persona Bertrandi quondam filii sui, narravit et dixit quod cum semel ipse esset Perpiniani et haberet dictum filium secum, contigit casus quod dum

[1] Cod. *sugxit.* [2] Cod. repetit *quod.* [3] Cod. *paulatine.*

ipse exiret de domo regis Maioricarum et intraret domum quam inhabitat testis qui loquitur, dictus filius suus cecidit ad terram et totaliter amisit loquelam, et deportatus fuit ad lectum et stetit ibi per duos dies et unam noctem quasi mortuus, nec comedit nec bibit. Hoc viso, pater dolens de dicto filio suo, suadente Gerardo famulo suo, devovit eum beato Ludovico, promittens quod si curaret eum, ipse discalciatus singulis annis et filius suus venirent ad sepulturam ipsius. Et dum quodam mane pro quibusdam ordinis [1] et urgentibus negociis vellet equitare, filius quem ipse habebat pro derelicto et mortuo dixit patri suo: « Domine, et quomodo surrexistis ita mane? quid vultis facere »? Et pater ipsius audiens eum loquentem, gaudens consolatus est, quia credebat eum perdidisse. Et dixit ei: « Fili, tu quiescas hic, et ego dimittam tibi aliquos qui remanebunt tecum ». Et tunc dictus puer respondit: « Certe, domine, ego non remanebo, quia ego nullum malum sencio nec habui, set fui cum domino Ludovico Ianue, qui dabat michi cinerem in capite. Set rogo vos quod permittatis me ire recte ad sepulturam beati Ludovici ». Et pater volens * complacere *f. 11 filio, voluit quod veniret Massiliam et visitaret sepulcrum beati Ludovici. Et pater remansit ibi pro negociis suis expediendis. Et filius suus predictus post hec vixit IX annis vel circa, ut dixit. Interrogatus qui erant presentes quando ipse fecit votum predictum pro dicto filio, dixit quod dictus Gerardus et P(etrus) Bernardi. Et credit et tenet pro firmo quod, propter sanctam vitam quam habuit et tenuit beatus Ludovicus dum vixit et propter invocacionem et confidenciam ipsius et meritis [2], dictus filius suus Bertrandus a dicto casu seu lapsu fuerit curatus et liberatus. Interrogatus si est fama Aquis et in Provincia quod, propter bonam et sanctam vitam quam habuit beatus Ludovicus et propter merita sua, Deus faciat et fecerit plura miracula, dixit quod sic, et quod non solum est de hoc fama in predictis locis, set eciam in Cathalonia et Sicilia et multis aliis regionibus.

Dixit eciam per suum iuramentum iterato ab eodem receptum, quod ipse habet quendam alium filium vocatum Iohannem, etatis trium annorum, et ille paciebatur idropisim, qui ex[c]essive comedebat et frequencius bibebat [3], et erat valde inflatus in ventre et ventrem durum habebat, ita quod non sperabant ipse nec mater dicti pueri de convalescencia ipsius. Et tunc devoverunt eum beato Ludovico. Et facto voto, in crastinum incepit evacuari venter dicti pueri et tumor cessare et inordinatus appetitus seu actus comedendi et bibendi cessavit; et infra triduum curatus et liberatus fuit a predictis. Et morbus predictus duraverat sibi per mensem. Et credit firmiter et supponit quod idem puer liberatus et curatus est propter devocionem parentum suorum quam ipsi habuerunt ad beatum Ludovicum, et propter merita ipsius dictus * puer fuit curatus et penitus liberatus. *f. 1

Dixit eciam quod ipse tenet et credit pro firmo quod beatus Ludovicus sit sanctus, et dixit quod in locis predictis multi hoc dicunt et eum reputant esse sanctum. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod communiter dicitur a pluribus. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

[1] Sic. [2] Sic. [3] Cod. *libebat*.

In nomine Domini, amen. Incipit capitulum de curatis a doloribus in capite, super quo deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. clxxxxiiij.

Bermundus Alegre de burgo Castri de Porcile [1], Aquensis diocesis, etatis L^{la} annorum vel circa, ut dixit, iuratus in facto proprio et diligenter interrogatus, dixit quod anno Domini millesimo ccc^{mo} septimo, in mense augusti proximo preterito, post messes [2] ab eo recollectas, credebat esse sanus et in bono statu; et una die, de qua non recolit, arripuit eum tantus dolor in capite quod vix poterat audire nec intelligere, vix quiescere, vix occulos aperire, nec cibum capere qui proficeret, ita torquebat eum ille dolor, quem passus fuit per tres septimanas et amplius, ut dixit. Et propter vehementem dolorem timens mori, confessus et comunicatus fuit et ordinavit testamentum suum. Et postmodum, ad suasionem cuiusdam mulieris vocate Saurina, devovit se beato Ludovico, promittens se visitaturum ipsius tumulum et oblaturum unum capud de cera, si eum ab illo dolore capitis liberaret. Quo voto emisso, cum esset in lecto incepit dormire, et post aliquam quietem excitatus a sompno senciit se a dolore illo penitus liberatum; et postea portavit capud sicut voverat ad
102c sepulcrum beati Ludovici. Interrogatus an esset liberatus * ope vel adiutorio vel meritis predicti beati Ludovici, dixit ipse quod firmam fidem habet quod sic. Interrogatus idem testis si est fama in Provincia et in castro ubi idem testis moratur, quod Deus faciat miracula propter merita beati Ludovici, dixit idem testis quod sic, et quod innumera et magna miracula Deus operatur pro eo et frequentissime, ut dixit. Interrogatus quid sit fama, dixit quod fama est illud quod a pluribus dicitur. Interrogatus de personis sibi assistentibus et qui eum viderunt quando tantum dolorem paciebatur in capite et quando vovit se beato Ludovico, dixit quod Aycarda eius uxor et dicta Saurina et Andreas Rastel et Hugua soror uxoris ipsius Bermundi. Interrogatus idem testis qui loquitur si prece vel precio, timore vel amore dixit aliquid de hiis que supra dixit vel aliquid obmisit que dicere vel obmittere non debuit, dixit quod non; set quia sic est veritas de predictis.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxxv.

Aycarda Alegra, uxor dicti Bermundi Alegre, de burgo Castri de Porcile, Aquensis diocesis, testis iurata et diligenter interrogata de dicenda veritate super miraculo inmediate predicto, dixit quod in augusto proximo preterito, factis messibus, una [3] die, de qua non recolit, predictus Bermundus Alegre, maritus ipsius testis que loquitur, incepit pati maximum dolorem in capite suo, sicut ille dicebat et signis evidentibus et torsionibus videbatur, adeo quod vix audire poterat vel quiescere aut suos occulos apperire, nec cibum nec potum petebat; set interdum quando siciebat movebat labia frequenter, et tunc uxor sua testis que loquitur ponebat sibi zuccarum in ore cum aqua; et quia propter predictum dolorem timebat mori, et ipsa testis que loquitur hoc credebat, fecit ipsum confiteri et sibi ministrari ecclesiastica sacramenta

[1] Cod., hic et infra, *Porcil'*. [2] Cod. *messos*. [3] Cod. bis *una*.

in principio antequam invalesceret infirmitas, et post octo dies testamentum suum incepit facere; quod tamen, propter dolorem quem tunc in capite paciebatur et defectum memorie quem ex predicto dolore incurrerat, non potuit adinplere. Interrogata * per quantum tempus duravit sibi dicta infirmitas sive predictus dolor, dixit eadem testis que loquitur quod per tres septimanas continuas. Verum est quod in primis octo diebus non fuit ita gravis dolor sicut fuit in quindecim diebus inmediate subsequenti[bu]s, sicut apparebat ex modo et signis que videbantur in eo. Interrogata si ipsa testis fecit votum beato Ludovico quod predictus maritus suus visitaret eius tumulum, si Deus redderet sibi sanitatem, dixit quod sic, et hoc audito maritus suus elevavit manus ad Deum et dixit quod ipse eodem modo se devovebat et promittebat votum complere. Quo voto facto, statim obdormivit; et post suum sompnum excitatus dixit quod curatus erat et quod libenter comederet. Interrogata de astantibus, dixit quod ipsa testis que loquitur et dicta Saurina de Massilia et Andreas maritus ipsius Saurine. Interrogata si credit quod predictus Bermundus maritus suus propter merita beati Ludovici fuerit a predicto dolore liberatus, dixit quod sic. Interrogata si est fama de miraculis beati Ludovici, dixit quod sic, et quod Deus multa miradula operatur pro eo, ut multi dicunt. Interrogata si instructa etc. ita deposuit, respondit ut dictus maritus suus supraproximo.

*f. 10

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxxvj.

Huga Nugalessa de Rosseto, Aquensis diocesis, etatis xxxta annorum vel circa, ut dixit, testis iurata et diligenter interrogata de veritate dicenda super miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona dicti Bermundi Alegre, dixit quod cum ipsa staret apud Rossetum audivit quod sororius suus Bermundus de quo agitur erat infirmus graviter de dolore capitis et venit ad videndum eum apud Porcilem [1], qui locus distabat ab alio per duas leucas, et visitavit eum in domo sua et invenit eum in lecto, nec ipse cognovit eam, ut dixit eadem testis que loquitur, nec dictus Bermundus loquebatur, nec videbatur videre, immo * credebatur quod deberet mori magis quam vivere de illa infirmitate. Et statim illa que loquitur recessit et reversa est apud Rossetum. Audivit tamen dici quod Aycarda soror sua et uxor dicti Bermundi devoverat eum beato Ludovico, et ipsemet devoverat se; et post votum a dicto dolore fuerat liberatus. Et credit, per illa que vidit et audivit ab aliis, quod meritis beati Ludovici ipse de dicto dolore fuerit liberatus. Dixit eciam quod fama est in regione illa, videlicet in valle de Tria in qua ipsa moratur, et in Provincia quod Deus operatur multa miracula propter merita beati Ludovici. Interrogata super aliis interrogacionibus sibi factis ut supra, respondit ut dicta Aycarda supraproximo.

*f. 1

In nomine Domini, amen. Incipit miraculum de quadam filia que habuit morbum qui vocatur lippia in naso et curata est per invocacionem et merita dicti beati Ludovici, super quo deposuerunt parentes dicte filie, ut sequitur.

Cap. clxxxxvij.

Guillelmus de Sellone, etatis xLa annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo in quo continetur quod ipse habet filiam que

[1] Cod. *Porcil'*.

dum erat etatis unius anni et dimidii habuit deformitatem in naso suo propter excrescenciam carnis que in capite nasi erat, que in tantum creverat quod fere attingebat usque ad labium superius et acuendo [1] augebatur et reddebat dictam filiam sibi deformem. Una autem vice, cum dictus pater teneret dictam filiam suam super genu suum et fleret super eam, quia videbat eam in tali statu, et unus homo qui operabatur cum eo dixisset sibi: « Qualem filiam habetis! habet nasum ad instar cugule! », id est illius signi quod portant Iudee in anteriori parte capitis; tunc pater magis dolens devovit eam cum lacrimis beato Ludovico, promittens ei quod, si curaret eam a dicta deformitate nasi, ipse portaret dictam filiam suam ad sepulcrum suum cum
105b uno naso cere. Et incontinenti, voto emisso, dicta filia sua posuit ma-*num suam ad nasum ac si vellet tergere et mungere nasum suum, et caro illa omnino evanuit, ita quod non fuit visa licet diligenter quesita, nec vestigium aliquod sanguinis nec alterius cicatricis remansit in naso. Et dicta filia fuit exhibita dictis dominis inquisitoribus in etate IX annorum, et bene apparebat quot haberet tot annos, et viderunt nasum eius bene compositum et sine aliqua deformitate, licet prius durasset sibi illa deformitas per septem menses, sicut pater suus dixit. Interrogatus de hiis qui sciebant, dixit quod Dulcia, uxor testis qui loquitur et mater dicte filie, et pauci alii, quia non permittebat eam apparere in publico, propter deformitatem quam habebat in naso. Et dixit idem testis quod ipse credit et supponit pro firmo quod dicta filia sua fuit curata a dicta deformitate nasi per invocacionem et merita beati Ludovici. Interrogatus si est fama in castro de Sellone et in Provincia quod Deus meritis beati Ludovici faciat et fecerit multa miracula, dixit quod sic.

Aliud miraculum.

Preterea de novo iuratus asseruit quod cum ipse fuisset vulneratus graviter cum ense in genu sinistro, ita quod intumuerat et genu et tybia et caro totaliter facta nigra, ita quod cirurgici dicebant ipsum non posse curari nisi genu et tybia resecarentur; et tunc ipse dixit quod magis volebat mori quam quod pateretur illam abscisionem. Quo audito cirurgicus ducis Calabrie inscidit eum in parte inferiori genu, ita quod ex illa inscisura, quia non fuit adhibita cura diligens, tybia et pes et nervi fuerunt ita restricti quod tenebat pedem et tibiam elevatos usque ad femur, nec aliter poterat tibiam extendere nec inclinare ad terram. Et cum nullum remedium videret et esset positus in desperacione, devovit se beato Ludovico cum multa devocione et fiducia, sicut dixit. Et in sero ivit ad lectum et dormivit; et cum excitatus fuisset a sompno, extendit libere tybiam et sine dolore, que fuerat ita elevata et restricta tribus mensibus continuis, quod non poterat eam extendere, ut dixit.
105c Et hoc dixit sibi contigisse non remedio * medicorum vel cirurgicorum, quia nullum [2] habebat, set ope et gracia beati Ludovici dumtaxat. Et dixit et credit pro firmo quod, propter bonam et sanctam vitam quam habuit beatus Ludovicus, Deus faciat miracula, et quod sit sanctus, et quod de hoc est fama in locis predictis, ut dixit. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod gentes dicunt communiter. Interrogatus si instructus vel informatus, aut prece, precio ita deposuit, dixit quod non; set solum quia veritas sic se habet.

[1] Sic. [2] Cod. *nullus*.

Super eodem miraculo.

Cap. clxxxxviij.

Dulcia uxor Guillelmi de Sellone, etatis xxx^la^ annorum, ut dixit, testis iurata et diligenter interrogata super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona Katherinete filie sue, dixit quod cum dicta filia sua esset etatis trium annorum vel circa, supervenit sibi a casu in capite nasi sui una verteca, que successive crevit in tantum quod reddebat eam deformem; et cum sic stetisset septem mensibus vel circa, maritus dicte Dulcie, pater ipsius Katherinete, tristis [de] deformitate nasi dicte filie sue, convertit se ad beatum Ludovicum et devovit dictam filiam suam beato Ludovico, promittens sibi quod, si eam curaret et liberaret a dicta deformitate ita quod nasus suus restitueretur ad statum debitum,[1] ipse duceret dictam filiam suam apud Massiliam et visitaret sepulcrum suum cum uno naso cere et una candela de cera. Et voto facto, incontinenti dicta filia dixit patri suo qui erat ibi prope: « Domine, ego sum curata ». Quo audito, pater accessit et respexit filiam suam, et vidit eam curatam a dicta deformitate et infirmitate nasi sui [2], et admiratus valde, ipse reddidit gracias Deo et beato Ludovico de gracia sibi facta in persona dicte filie sue, et infra octo dies a tempore dicti voti pater duxit dictam filiam apud Massiliam et complevit votum suum, ut dixit. Interrogata testis que loquitur si ipsa fuit presens quando dictus maritus suus fecit votum predictum, dixit quod non; sed postea eodem die, quo fuit curata dicta filia, idem maritus * dixit testi que [3] lo- *f. 10 quitur quod sic devoverat filiam suam beato Ludovico; et quod incontinenti post votum fuerat curata, et ipsa vidit eam curatam eodem die, ut dixit. Dixit eciam eadem testis que loquitur quod illa verteca seu excrescencia que erat in naso dicte filie sue evanuit ita quod non potuit inveniri, licet pater diligenter quesivisset iuxta locum ubi fuerat curata, sicut audivit dici a patre dicte filie sue. Dixit eciam quod ipsa non ivit apud Massiliam quando dictus maritus suus duxit dictam filiam ad sepulcrum beati, sed bene vidit quando iverunt, et postea audivit a marito suo quomodo iverat et compleverat votum suum predictum, ut dixit. Interrogata [4] si credit quod per invocacionem beati Ludovici et devocionem quam dictus maritus suus habuit ad eum dicta filia fuerit curata et liberata ab illa deformitate nasi sui predicta, dixit quod sic. Interrogata cuiusmodi infirmitas dicebatur esse illa deformitas nasi filie sue, dixit quod nescit nec audivit nominari. Interrogata de tempore voti et curacionis predictorum, dixit quod sunt vij anni vel circa. De fama et de sanctitate beati Ludovici, et si prece, precio, aut instructa vel informata ita deposuit, respondit sicut dictus Guillelmus maritus suus in supraproximo.

In nomine Domini, amen. Incipit capitulum de curatis ab infirmitate que dicitur squinancia meritis beati Ludovici predicti.

Cap. clxxxxix.

Petrus Rostanni filius Petri Rostanni de Massilia, etatis xxij annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super eo quod dicebatur morbum squinancie passus

---

[1] Cod. repetit *quod*. [2] Cod. repetit *sui*. [3] Cod. *qui*. [4] Cod. *Interrogatus*.

fuisse, dixit quod nescit quis morbus est squinancia, set medicus qui curabat eum nominabat morbum squinanciam. Ipse tamen qui loquitur dixit quod ita graviter
104ª passus * fuerat in gutture suo, quod vix aut nunquam poterat loqui nec comedere, immo per violenciam ei in ore panem et amigdalatum ponebant, et ascendebat infirmitas ad capud et affligebat eum multum. Et pater suus, videns in eo infirmitatem ita gravem, devovit eum beato Ludovico; quod placuit sibi multum et habuit fiduciam magnam quod liberaretur per eum. Et dixit quod dicta infirmitas tenuit eum per multos dies, et tunc erat in castro de Bonilis quod distat a Massilia per dietam, et pater suus erat ibi cum eo, et [1] quod una cum dicto filio suo veniret apud Massiliam et visitarent tumulum beati Ludovici si curaret filium suum a dicta infirmitate. Quod et fecit, ut dixit. Et postquam venerunt Massiliam, prius visitaverunt sepulcrum beati Ludovici; quo visitato, ex tunc predictam infirmitatem non habuit nec senciit. Et dixit quod sperabat ante, magis mori quam vivere; et credit quod pro eo quod pater suus devovit eum beato Ludovico et propter fiduciam quam pater et ipse habebant in eo, fuerit a dicto morbo liberatus. Et multi sciunt hoc, ut dixit. Dixit eciam quod fama est in civitate Massilie et in Provincia et circumcirca quod Deus meritis beati Ludovici multa miracula fecit et facit, et quod multi reputant ipsum sanctum et habent pro sancto, propter miracula que vident cotidie de eo. Interrogatus si prece, precio, instructus vel informatus, timore vel amore ita deposuit, dixit quod non; set quia ita est veritas de predictis.

Super eodem miraculo.

Cap. cc.

Petrus Rostanni de Massilia, etatis Lª annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in persona dicti
104ᵇ Petri Rostanni filii sui, qui dicebatur passus fuisse squinanciam, * dixit quod dictus filius suus graviter paciebatur in capite et in gutture in castro de Bonilis ubi erant, et dicebatur quod erat squinancia, quam per tres dies passus fuit, et fuit confessus et comunicatus quarta die sequenti et elegit sepulturam dicto filio in ecclesia de Bonilis, et magis sperabatur de morte quam de vita. Et tunc ipse pater devovit filium suum beato Ludovico, et promisit quod ipse adduceret eum apud Massiliam et visitaret ibi tumulum beati Ludovici; ita quod post votum curatus fuit, et postea pater suus deduxit eum Massiliam ad tumulum beati Ludovici et ibi reconmendavit filium suum beato Ludovico et oravit pro eo. Et credit firmiter quod dictus filius suus curatus fuerit meritis beati Ludovici. Interrogatus si erant aliqui presentes quando fecit votum, dixit quod sic, bene usque ad decem. De fama super hoc et de sanctitate et miraculis beati Ludovici, et si instructus vel informatus, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit, respondit sicut dictus filius suus supraproximo.

Item aliud miraculum de quodam qui incurrerat squinanciam, et curatus est meritis dicti sancti.

Cap. ccj.

Petrus Lengerii de Blanzaco [2], dyocesis Carpentoratensis, etatis XLª annorum vel circa, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod

[1] Sic. Deest forsan hic *promisit*. [2] Sic.

dicitur esse factum meritis beati Ludovici in persona Guillelmi filii ipsius testis qui loquitur, qui dicitur morbum squinancie incurrisse, dixit quod ipse habuit unam uxorem, matrem dicti filii sui, que vocabatur Alays, et subito venit sibi una inflatura in facie et gutture et collo, et duravit sibi per duos dies, et tercia die, sicut ipse dixit, de illo morbo decessit. Successu temporis, postquam dictus puer pervenit ad etatem quinque annorum vel circa, casus contigit, sicut pater qui loquitur dixit, quod dictus filius similem morbum vel inflaturam in * facie, gutture et collo passus fuit (* f. 10) subito, et dicebant homines qui videbant quod squinancia erat; tamen non fuit ibi medicus. Tunc pater considerans mortem dicte uxoris sue, que eodem morbo dicebatur subito decessisse, et metuens quod dictus filius ex dicto morbo subito moreretur, devovit dictum filium suum beato Ludovico. Et post votum emissum, ad modicum tempus cognovit quod morbus, qui crescebat ante votum, incepit declinare, ita quod ipse supponit firmiter et credit quod propter invocacionem et adiutorium beati Ludovici filius suus a dicto morbo liberatus fuit et perfecte curatus, ita quod per graciam Dei postea nullum vestigium dicte infirmitatis remansit in eo. Interrogatus de tempore dicti morbi filii sui et voti facti, dixit quod sunt IIIJ^or anni vel circa, ut sibi videtur. Interrogatus si est fama de isto miraculo in dicto loco de Blansaco [1], dixit quod sic. Dixit eciam quod in dicto loco et in diocesi Carpentoratensi et in Provincia est publica vox et fama quod Deus meritis beati Ludovici fecit et facit multa miracula, et quod gentes dictorum locorum tenent eum pro Sancto, et ipse credit pro firmo quod sit sanctus. Interrogatus quid sit fama, dixit quod illud quod gentes comuniter dicunt. Interrogatus si prece, precio, timore vel amore, aut instructus vel informatus ita deposuit, dixit quod non; set quia de predictis veritas sic se habet.

In nomine Domini, amen. Incipit iramculum de illo homine qui habuit lapidem in vesica et fuit liberatus et curatus per invocacionem et merita dicti sancti Ludovici.

Cap. ccij.

Anthonius Sparroni de Curbanno [2], Yapnicensis dyocesis, etatis LX^la annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo facto in persona Iohannis quondam filii Eymeniardis Iuliane [3] dicti loci de Curbano [4], qui dicitur habuisse lapidem in vesica qui eum affligebat et ducebat quasi ad mortem, qui lapis emissus fuit per invo-*cacionem beati Ludovici, dixit quod ipse vidit dictum Iohannem (* f. 1) quando erat etatis XVJ annorum vel circa, de quo dicebat mater sua quod ipse affligebatur gravissime in vesica, nec poterat urinare propter lapidem qui dicebatur esse intus, et in isto dolore et afflictione fuerat sex annis et ultra, ut dixit. Et audivit eciam hoc dici a dicto Iohanne, quod ipse habebat lapidem in vesica, et audivit eum eciam multociens plangentem, quia erat vicinus suus. Demum mater, dicto filio conpassa, devovit eum beato Ludovico, secundum quod ipse qui loquitur audivit dici a matre et a dicto filio suo, et votum predictum fecit in die Cene Domini, et in crastinum dicitur quod lapis qui erat in vesica dicti Iohannis exivit et fuit inventus in solo, sicut testis qui loquitur audivit dici a matre et fratribus Iohannis predicti; set presens non fuit nec in voto nec in emissione lapidis, ut dixit. Ipse tamen qui loquitur postea vidit dictum lapidem et venit cum matre dicti Iohannis et cum ipso

---

[1] Sic. [2] Sic. [3] Sic. [4] Sic.

Iohanne apud Massiliam et visitaverunt tumulum beati Ludovici et portabant illum lapidem qui erat ad grossitudinem unius ovi columbi vel perdicis, et dimiserunt eum ibi, et fratres Minores retinuerunt eum. Et ipse tenet et credit pro firmo quod propter invocacionem beati Ludovici lapis predictus exivit, et predicti, scilicet mater et ipse Iohannes, affirmabant quod erat lapis ille qui exiverat de vesica ipsius Iohannis. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt IX anni et ultra. Interrogatus si est fama in dicto loco de Curbano et in Provincia quod, propter perfectam et sanctam vitam quam habuit et tenuit beatus Ludovicus dum vixit et propter merita sua, Deus fecerit et faciat multa miracula, dixit quod sic, et quod gentes in dictis locis tenent eum pro sancto et in suis necessitatibus et infirmitatibus
105a recursum habent ad ipsum * tanquam ad sanctum, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. cciij.

Guillelmus Iuliani dicti loci de Curbano, etatis XXXV annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo proximo supradicto quod dicitur esse factum in persona dicti Iohannis quondam fratris sui, dixit quod ipse vidit dictum Iohannem fratrem suum, quando erat etatis XVJ annorum vel circa, multum afflictum et plangentem propter unum lapidem quem habebat in vesica. Ipse tamen qui loquitur non vidit vesicam sive locum in quo dicitur fuisse dictus lapis, sed sirurgici et medici qui eum habebant in cura dicebant quod habebat in vesica lapidem qui erat ad grossitudinem unius ovi perdicis et quod eum non poterant curare, ut ipse testis audivit dici ab eis. Et cum sic stetisset afflictus per quinque annos et ultra, ipse testis qui loquitur et mater sua devoverunt dictum Iohannem beato Ludovico, et promiserunt sibi unam ymaginem de cera et quod visitarent tumulum suum. Et votum et promissionem predictos[1] fecerunt in die Cene Domini. Et in crastinum summo mane dictus Iohannes dixit testi qui loquitur et matri sue, quod ipse minxerat et emiserat ipsum lapidem, et quod erat curatus. Et tunc ipse testis qui loquitur et mater sua invenerunt predictum lapidem in solo, et ipse testis tenuit eum in manu sua, et erat ad grossitudinem unius ovi perdicis seu columbe. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt, dixit quod sunt IX anni et ultra, ut credit. Dixit eciam quod ipse credit et tenet pro firmo quod propter invocacionem et merita beati Ludovici dictus Iohannes frater suus fuit miraculose curatus et liberatus a predicto dolore
105b et afflictione lapidis predicti, qui aliter per medicos * seu sirurgicos curari non poterat, ut credit et supponit pro firmo. Interrogatus de fama, sanctitate et de miraculis beati Ludovici, et si instructus vel informatus, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, dixit quod non; set solum pro eo quia de eis veritas sic se habet.

In nomine Domini, amen. Incipit capitulum super miraculo de ruptura, facto in persona Guillelmi Romei, qui deposuit super ipso miraculo, ut sequitur.

Cap. cciiij.

Guillelmus Romei de Arcis, Tholonensis diocesis, etatis XXX[ta] annorum, ut dixit, iuratus et diligenter interrogatus super miraculo quod dicitur esse factum in propria

[1] Sic.

persona sua de ruptura sive de crepatura quam dicitur incurrisse, dixit quod cum esset xii annorum vel xiiijcim, sicut dixit, supervenit sibi in suis genitalibus, in parte sinistra, ruptura seu crepatura, ita quod tumor et inflatura creverunt ibi; et duravit illud sibi per x annos, ita quod in illis x annis portabat lumbare et ligaturam et stringebat se, ne descenderet intestinum. Postea nunc ipse qui loquitur incepit laborare et ducere bestias, mulos et alia animalia et onerare lapidibus, ita quod una die contigit quod ipse voluit supponere in mulo unum angularem sive magnum lapidem, ita quod erat nimis magni ponderis, et ex imposicione super mulum ita gravatus fuit quod intestinum descendit et illa inflatura intumuit multum et magis solito. Quo viso, ipse incepit desperare et contristari, et fle[x]is genibus incepit invocare beatum Ludovicum quondam Tholosanum episcopum, devovendo se et promittendo ei quod, si curaret eum a dicta crepatura et inflatura,[1] daret sibi unum lumbare de cera et quod eius tumulum visitaret. Et eodem momento ipse tam ab illo tumore primo et ab isto ita gravi postea subsequuto fuit plene et integre curatus et liberatus. Interrogatus de testibus qui sciebant eius infirmitatem, dixit quod nemo nisi ipse dumtaxat, nec aliquis erat presens quando devovit * se beato Ludovico, quia secreto *f. 1… tenebat, ut dixit. Interrogatus de tempore quo ista contigerunt sibi, dixit quod sunt octo anni vel circa. Et credit et tenet pro firmo quod propter invocacionem et merita beati Ludovici ipse fuit a dicta ruptura curatus et liberatus, ut dixit. Dixit eciam quod ipse postea venit aput Massiliam et votum et promissionem quam fecerat complevit.

Dixit eciam per iuramentum suum idem testis qui loquitur quod ipse habuit unum filium qui incepit habere, dum erat in cunis, unam inflaturam in genitalibus in parte sinistra, et continuo crescebat dicta inflatura dum puer crescebat, ita quod in tercio anno sue etatis fuit ita illa inflatura grossa quod ipse testis non poterat includere in manu sua illum tumorem, ita quod et pater qui loquitur et mater dicti pueri multum erat dolentes. Et ipse pater devovit dictum puerum beato Ludovico et promisit sibi dare unum lumbare de cera; et incontinenti dictus puer, qui vocabatur P(etrus), fuit perfecte curatus a dicta inflatura, ita quod nullum vestigium illius inflature remansit in eo, et vixit postea sanus duobus annis, ut dixit. Interrogatus qui scit hoc, dixit quod uxor ipsius testis, mater dicti pueri, et Maria Guarota et P(etrus) Capdeycharra et plures alii dicti loci, ut dixit. Interrogatus de tempore quo puer fuit curatus, dixit quod sunt quinque anni. Dixit eciam quod ipse postea quam cito potuit venit ad sepulcrum beati Ludovici et regraciatus fuit ei de gracia quam sibi fecerat, et promissionem complevit, ut dixit. Et credit et tenet pro firmo quod dictus filius suus fuit miraculose curatus a dicta inflatura per invocacionem et merita beati Ludovici.

Dixit eciam quod fama est et vox publica in dicto loco de Arcis et in Provincia quod Deus operatur et operatus est frequenter multa miracula meritis beati Ludovici, et quod gentes dictorum locorum tenent eum pro * sancto; et ipse eciam *f. 1… credit et tenet pro firmo quod sit sanctus et quod Deus propter eius merita multa miracula fecit et facit, ut ipse in persona propria et in suo predicto filio probavit, ut dixit. Interrogatus si instructus vel informatus a quoquam, aut prece, precio, timore vel amore sic deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

---

[1] Cod. repetit *quod*.

Jn nomini Domini, amen. Incipit capitulum de periculo partus, super quo deposuerunt testes infrascripti, ut sequitur.

Cap. ccv.

Eymeniardis uxor Raymundi Tauliera, civis Narbonensis, etatis xxxv annorum vel circa, ut dixit, iurata et diligenter interrogata super miraculo quod dicitur fuisse factum per invocacionem et merita beati Ludovici in persona sua, dixit quod cum ipsa esset pregnans et portasset suum pregnatum per vij menses et dimidium et nondum venisset ad tempus pariendi, supervenit ei febris gravis et anxia et continua que duravit et afflixit eam xj diebus adeo graviter, quod tres medici quos habebat dimiserant eam, de vita et convalescencia sua penitus desperantes, et fuit comunicata et inuncta, ut dixit. Et tunc Iohannes frater ipsius testis que loquitur, habens magnam fiduciam in beato Ludovico, devovit eam beato Ludovico, promittendo sibi quod, si dicte sorori sue sanitatem daret et a partu ipsam liberaret,[1] ipse discalciatus adduceret eam apud Massiliam ad sepulcrum beati Ludovici. Tamen ipse testis que loquitur dixit quod non audivit nec intellexit quando fuit factum votum propter
106a infirmitatem quam tunc paciebatur; set postea intellexit per dictum fratrem * suum, qui dixit sibi quod eam ita devoverat beato Ludovico. Quo voto emisso, ipsa eadem die fuit a partu et a febre penitus curata et liberata, et partus editus fuit baptisatus, quamvis per unum mensem et dimidium secundum tempus debitum deberet eum adhuc portare, ut dixit. Et credit et tenet pro firmo quod, propter invocacionem et merita beati Ludovici, ipsa fuit a partu et febre curata et liberata, ut dixit. Interrogata de tempore quo ista fuerunt, dixit quod in messibus proximo preteritis. Interrogata de personis que hoc sciunt et fuerunt presentes, dixit quod predictus Iohannes frater suus qui devovit eam et multi alii, sicut audivit dici. Interrogata si est fama in civitate Narbonensi et in locis circumvicinis quod Deus fecerit et faciat multa miracula propter sanctam et perfectam vitam quam habuit et servavit beatus Ludovicus, dixit quod sic, et quod gentes in dictis locis tenent eum pro sancto et multi confidunt in eo et quod recursum habent ad eum inplorando eius auxilium in necessitatibus suis, ut dixit. Interrogata si instructa vel informata ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia de eis veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

[Cap. ccvj].

Iohannes Seguier[2], civis Narbonensis, etatis xxv annorum et ultra, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo facto meritis beati Ludovici in persona dicte Eymeniardis sororis sue, dixit quod cum dicta soror sua multis diebus febre continua dura et anxia fuisset infirma, et esset pregnans, et
106b medici desperarent de ea * et dereliquissent eam sicut illam cuius morbus incurabilis sine divino miraculo videbatur, ut tres medici solempnes qui erant in cura ipsius dicebant, et recepisset omnia ecclesiastica sacramenta, ipse testis qui loquitur de

[1] Cod. repetit *quod*. [2] Vel *Segnier*.

statu sororis et langore et periculo dolens et anxius, habens, sicut dixit, magnam fidem in meritis beati Ludovici quondam episcopi Tholosani, sibi devovit eandem, promittens quod, si beatus Ludovicus et a febre et partu liberaret eandem, discalciatus adduceret eam cum sudario et cereo unius libre apud Massiliam ad sepulturam ipsius beati Ludovici. Et facto huiusmodi voto, accedente vespere eiusdem diei in qua votum fecerat ipse testis, dicta soror partum edidit vivum, quamquam de uno mense et dimidio nondum tempus pariendi venisset, sicut dixit. Et fuit totaliter liberata a febre, et partus eciam baptisatus. Et medici et omnes alii qui dictam sororem suam in illo statu videbant, dixerunt quod hoc fuerat divinum miraculum et non humanum secundum naturam. Et credit idem testis quod per invocacionem et merita beati Ludovici soror sua fuit a partu et febre predicta penitus liberata et curata, ut dixit. Interrogatus de tempore quo ista fuerunt, dixit quod in messibus proximo preteritis. Interrogatus de personis qui hoc sciunt et audiverunt votum predictum, dixit quod Stephanus Cigarii consanguineus suus et mater ipsius testis qui loquitur; set plures alii postea sciverunt per eum, ut dixit, quod ita eam devoverat beato Ludovico. Dixit eciam de fama, de sanctitate et miraculis beati Ludovici, et si instructus aut informatus [1] sic deposuerit, sicut dicta Eymeniardis in supraproximo.

Super eodem miraculo.

Cap. ccvi[j].

Stephanus Ciguarii, civis Biterrensis, etatis xxviii annorum, ut dixit, testis productus, iuratus et diligenter interrogatus super proximo miraculo quod dicitur esse factum meritis beati Ludovici in * persona dicte Eymeniardis, dixit quod in messibus *f. 1
proximo preteritis predicta E[y]meniardis apud Narbonam fuit graviter infirma de fe[b]re continua que ipsam graviter per xv dies vel circa vexavit, et tunc ipsa erat pregnans et portaverat pregnatum suum per septem menses et dimidium; et ita graviter paciebatur quod tres medici de Narbona, qui eam habebant in cura, de eius sanitate et convalescencia omnino desperabant; et fuit confessata et comunicata et extrema Unctione iniuncta propter predictam infirmitatem. Et tunc cum Iohannes frater ipsius E[y]meniardis videret ipsam sic graviter afflictam, habens devocionem ad beatum Ludovicum, prout idem Iohannes testis immediate precedens deposuit in suo testimonio proximo supradicto, et ipse qui loquitur audivit et presens fuit quando dictus Iohannes fecit votum predictum. Et dixit quod, dicto voto emisso, dicta Eymeniardis eadem die peperit infantem vivum qui fuit baptizatus, et fuit ipsa Eymeniardis ex tunc a dicta febre penitus liberata. Et credit et tenet pro firmo quod ipsa fuit liberata et curata a partu et febre predictis per invocacionem et merita beati Ludovici. De fama vero et de sanctitate et miraculis factis meritis beati Ludovici, et si instructus, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuit in predictis, respondit sicut predicta Eymeniardis que primo super isto miraculo deposuit.

---

[1] Cod. *instructa aut informata.*

In nomine Domini, amen. Incipit capitulum de voto coniugum qui xij annis fuerant et non poterant habere prolem, et habuerunt per invocacionem et merita beati Ludovici, ut patet per deposiciones subscriptorum, ut sequitur.

Cap. ccvi[i]j.

Guido Malafayda [1] de Noalays, Lemovicensis diocesis, etatis xxx^{la} annorum vel circa, ut dixit, qui dicitur stetisse cum Marguarita uxore sua per xij^{cim} annos continuos et cum non possent habere liberos, devoverunt se beato Ludovico et promiserunt
106^{d} sibi quod, * si impetraret eis cum Deo quod daret eis prolem [2], ipsi venirent ad sepulcrum beati Ludovici et adducerent ad dictum sepulcrum puerum quem Dominus meritis beati Ludovici daret eis; iuratus et requisitus et diligenter interrogatus super premissis, dixit quod ipse et dicta Marguarita uxor sua steterunt in coniugio per xij^{cim} annos et plus, nec poterant habere prolem; et fuit eis persuasum quod ipsi supplicarent et rogarent beatum Ludovicum et eius auxilium, ut sibi placeret impetrare cum Deo quod Deus daret eis prolem; et devoverunt quod, si Deus precibus beati Ludovici qui iacet Massilie daret eis puerum vivum [3], ipsi adducerent eum apud Massiliam in ecclesia ubi iacet corpus beati Ludovici et offerrent ibi unam ymaginem ceream de pondere et longitudine pueri quem Deus daret eis. Et post votum emissum, infra annum dicta uxor sua concepit et peperit filium nunc habentem septem annos. Et credit firmiter quod propter preces beati Ludovici Dominus respexit eos et fecit eis graciam de puero predicto. Et puerum predictum adduxerunt Massiliam et presentaverunt eum beato Ludovico, iuxta votum emissum, cum ymagine supradicta, regraciando Deo et beato Ludovico de gracia supradicta. Interrogatus de tempore quo emisit votum predictum, dixit quod illo anno quo puer predictus natus fuit. Et credit firmiter quod propter invocacionem et confidenciam beati Ludovici dicta uxor sua concepit et peperit puerum supradictum. Dixit eciam quod fama est in Lemovicinio et in multis aliis locis quod Deus multa facit miracula meritis beati Ludovici, et credit pro firmo quod ipse sit sanctus et quod multum confidit in eo. Interrogatus quid est fama, dixit quod id quod comuniter gentes dicunt. Interrogatus si instructus vel informatus ab aliquo, aut prece, precio, timore vel amore ita deposuerit in predictis, dixit quod non; set quia veritas sic se habet.

Super eodem miraculo.

Cap. xxvii[i]j.

107^{a} * Marguarita de Malafayda, uxor dicti Guidonis de Malafayda, iurata et diligenter interrogata super eo quod dicitur stetisse cum dicto marito suo per duodecim annos [4] et non habuissent prolem et postea per invocacionem beati Ludovici habuerunt, dixit quod ipsa stetit cum dicto marito suo per duodecim annos et plus, quod [5] non potuerunt habere liberos sive prolem, et postea fuit eis persuasum quod devoverent se beato Ludovico; quod et fecerunt ipsa et maritus suus, sicut in supraproximo dixit dictus maritus suus. Et dixit quod sunt vj anni quod dictum votum emiserunt, et illo anno ipsa concepit et peperit filium supradictum, cum quo venit et visitavit

---

[1] Sic. [2] Cod. repetit *quod.* [3] Cod. repetit *quod.* [4] Cod. *annis.* [5] Sic.

sepulcrum beati Ludovici una cum viro suo predicto. Et dixit quod ipsa credit pro firmo quod, propter merita et invocacionem beati Ludovici, Deus eis dederit puerum supradictum. Interrogata de fama et de sanctitate et miraculis beati Ludovici et de aliis super quibus in supraproximo deposuit dictus maritus suus, et si prece, precio, instructa vel informata ita deposuerit in predictis, dixit et respondit idem quod et maritus suus supraproximo.

Finis attestacionum et dictorum testium productorum super miraculis factis meritis beati Ludovici quondam episcopi Tholosani et in domo fratrum Minorum de Massilia sepulti.

* *Et ego Bernardus Salagnac clericus Lemovicensis, publicus auctoritate imperiali notarius, examinacioni predictorum testium productorum super vita, moribus, meritis et miraculis dicti domini Ludovici presens interfui; et eorum deposiciones, que continentur a septimo folio usque ad tale signum* ↄ—+—c *in lij*[1] *folio, et a quinquagesimo secundo, ubi incipiunt deposiciones testium productorum super miraculis prefati domini Ludovici usque ad tale signum* |—θ—| *supra in presenti pagina scriptum*[2], *propria manu scripsi et de mandato dictorum dominorum Inquisitorum seu Commissariorum in hanc publicam formam redegi signoque meo solito consignavi rogatus*[3]. * f.

Et sic est finis huius operis, pro quo Deus gloriosus sit benedictus in secula seculorum. Amen.

[1] Idest ab huius editionis pag. 20, linea 33 ad pag. 121, lin. 40. [2] Idest a pag. 122, lin. 1 ad pag. 254, lin. 6. [3] Cod. *rogomus* vel *rogamus*.

07c

* Incipit vita beati Ludovici quondam episcopi Tholosani.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam [1].

Vergente mundi vespere, *lux orta est iusto et rectis corde leticia* [2], cum beatus Ludovicus Christi confessor et episcopus velud stella nove claritatis, exemplo vite mundum illuminans, signis et prodigiis corruscans, cepit ante oculos fidelium mirabiliter radiare. Hic [3] siquidem regis Sicilie filius regnum, mundi pompam et omnem ornatum seculi contempsit, ipsi regno, cuius erat heres legitimus, sponte et libere renuncians: Ordinem fratrum Minorum ingrediens, Christi sequi [4] vestigia tamquam verus eius discipulus preelegit. Et quamvis, ex regali natus prosapia, eius fulgeret nobilitas, morum tamen claritate et virtutum varietate excedebat sui generis dignitatem; quem profecto videtur Ysayas vaticinio suo premonstrare: *Egredietur*, ait [5], *virga de radice Yesse et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapiencie et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus sciencie et pietatis, et replevit* [6] *eum spiritus timoris Domini.*

Vere in Christi confessore beato Ludovico videtur hec prophecia mirabiliter adimpleta. Ipse quidem *de radice Yesse*, de regali scilicet ex utroque parente propagine genitus, *ascendit*, quia de virtute in virtutem continue processit. *Virga* siquidem fuit alta contemplacione, recta sancta intencione, firma et infrangibilis in tribulacione. *Ascendit* eciam ad perfectionis apicem velud flos lilii, candore virginitatis refulgens, odore suavitatis devotos post se trahens [7]. *Super* quem requievit *spiritus* gracie septiformis: *spiritus sapiencie*, quo velut prudens mercator commutavit temporalia pro eternis; *spiritus intellectus*, quo eum ad agnicionem et contemplacionem celestium illustravit [8]; *spiritus consilii*, quo doctus non solum Christi precepta sed et evangelica consilia adimplevit; *spiritus fortitudinis*, quo mente et corpore roboratus carcerem, vincula et adversitates varias, sicut probant exempla annotata inferius, pacientissime toleravit; *spiritus sciencie*, qui eum in humanis scripturis quasi ultra

107d modum * humani ingenii celeriter informavit; *spiritus pietatis*, quo ad pauperes manus liberaliter et large extendit eisque humiliter ministravit; *spiritus timoris Domini*, quo non solum peccata sed eciam occasiones peccatorum cum omni diligencia evitavit.

Quamquam [9] autem singula preclara opera lucide vite sue paucis verbis [10] enarrari non possint, aliqua tamen de quampluribus [11] ad utilitatem legentium referamus [12], ut ex hiis Deum Patrem glorificent et in hiis reperiant vivendi regulam quam sequantur.

---

[1] Inter Bullas Ioannis XXII nulla de S. Ludovico, *Vergente mundi vespere* incipiens, invenitur. Concordat tamen haec, post initium, cum Bulla canonizationis: vide infra notam 8. [2] Ps. 96, 11. [3] Postillas, quas cod. in margine ad hanc vitam praebet, altera ut videtur manu exaratas, hic quoque in margine retinemus. [4] Cod. *sequens*. [5] Isai. 11, 1-3. [6] Sic; Vulgata *replebit*. [7] Cf. Cant. 1, 3. [8] Cod. *illustraret*. [9] Hic incipit et usque in finem procedit textus Bullae canonizationis *Sol oriens mundo*, diei 7 aprilis 1317: *Bullarium Franciscanum* (BF) V, 112a sq. Eius variantes ad calcem apponimus. [10] BF *verbis paucis*. [11] BF *quamplurimis*. [12] BF *referemus*.

Sanctus iste, sicut probatum est testimoniis fide dignis, in etate existens tenera sub magistri religiosa [1] diligencia cum suis fratribus tenebatur. Ipse tamen maturis intendendo moribus, sub tenello pectore [2] senilem animum ostendebat. Ductus autem in Cathaloniam cum duobus de [3] suis fratribus, datus obses pro liberacione antedicti regis, tam ferventer dedicavit se studio, quod infra septennium quo ibi [4] obses fuit sub instructione [5] fratrum Minorum, quos secum habebat in socios, in primitivis scienciis sacre Pagine [6] sic profecit, quod vir Dei pollens ingenio [7] non solum publice ac [8] private subtiliter disputare valeret, sed eciam [9] solempniter clero et populo proponere verbum Dei, ut putaretur sciencia hec infusa sibi magis divinitus quam humanitus acquisita.

In oracionibus autem sedulus et devotus [10] mentem ad Deum elevatam tenuit, profecto sciens quod *oracio humiliantis se* [11] *nubes penetrat, pro exaudicionis suffragio Deum adit.* In tempore namque dicto [12], sacramentali confessione premissa, Missas audiebat devote. In magnis vero festivitatibus cum preparacione multa corpus sumebat [13] Dominicum. Factus autem sacerdos, diebus quasi singulis celebrabat, audiencie Dei verbi [14] insistebat attente; pro pastu vero anime in Scripturis sanctis [15] devotus studens, habebat ad hoc speciales libros sanctos [16].

Castitatis autem amor puram [17] effecerat eius mentem, adeo quod [ob] [18] ipsius fidam [19] [custodiam] mulierum consorcia vitabat omnino, in tantum quod, nisi forsam cum matre vel [20] sororibus, solus cum sola nullo unquam tempore loquebatur. * *Mulierem* namque *amariorem morte* [21] reputabat. Verba inhonesta horrebat audire ac loquentes talia graviter arguebat, attendens prudenter quod *corrumpunt mala colloquia bonos mores* [22]. Fratres nichilominus duos, et interdum quatuor, in sua camera habebat in testimonium sue [23] nitide puritatis. Et [24] cum apostolo Paulo sobrietate cibi et potus corpus suum castigabat assidue [25], seque frequenter manu sua, quandoque alterius [26] fratris consocii cathenis ferreis disciplinabat [27]; vestiendo pro camisia rudem staminiam et [28] deferendo ad nudam carnem pro cingulo cordam grossam, ipsam carnem *in servitutem* spiritus redigebat.

Summo eciam [29] studio terrena cuncta calcare studuit ex desiderio eternorum. Considerans etenim sanctus [30] quod *mundus totus* sit *positus in maligno* [31] quodque *concupiscencia* sua *transit* [32], ipsum fugiendo deseruit totaliter et contempsit. Nam rediens de Cathalonia cum rege predicto, votum quod de intrando Ordinem fratrum Minorum fecerat in obsidione [33], in conventu eorumdem fratrum de Monte Pessulano voluit adimplere. Sed videns quod timore dicti regis ipsum fratres recipere [34] non audebant, votum ipsum solempniter iteravit. Et quia voventibus preceptum datum a Deo noverat de reddendo [35], suadente Bonifacio predecessore nostro papa quod [36]

Nota … tiam moriger… | Nota d… pore qu… in Cat… nia qui… | Nota … scienti… que do… | Nota … oratior… devotic… ca Mis… | Nota … ctione … turae. | Nota … castita… cautel… ipsa … da. | *f. 1… | Nota … sobrie… victu, … gore … tie. | Not… temp… rever… de … nia, … cit.

1 BF *religiosi.* 2 BF add. *gestare.* 3 BF *e.* 4 BF *inibi.* 5 BF *institutione.* 6 BF *et sacra Pagina.* 7 BF add. *de praedictis scientiis.* In Cod. *sacre Pagine ... ingenio* est additio in margine. 8 BF *et.* 9 BF *et.* 10 BF *sedulis et devotis.* 11 BF om. *se.* Eccl. 35, 20. 12 BF *ipso.* 13 BF *sumebat corpus.* 14 BF *verbi Dei.* 15 BF *divinis;* om. *devotus.* 16 BF *ad hoc solatio sacros libros.* 17 BF *a puero.* 18 Cod. om. *ob,* et sic deinceps inter uncos inclusa. 19 Cod. *fidem.* 20 BF *et.* 21 Eccl. 7, 27. BF *amariorem noverat esse morte. Verba etiam inhonesta.* 22 I Cor. 15, 33. 23 BF *Fratres ... duo, interdum quatuor, in sua iacebant camera, in suae testimonium.* 24 BF om. *Et.* 25 Cf. I Cor. 9, 27. 26 BF *quandoque autem alicuius.* 27 BF *disciplinans.* 28 BF om. *et.* 29 BF *autem.* 30 BF *enim sanctus iste.* 31 I Ioan. 5, 19. BF *positus sit.* 32 I Ioan. 2, 17 33 BF *in obsidione fecerat.* 34 BF *accipere.* 35 Cf. Eccl. 5, 4 36 BF *suadenti fel. rec. papa Bonifatio praedecessore nostro quod.*

assensum preberet provisioni de se facte ecclesie Tholosane, respondit se hoc facturum nullatenus quoadusque votum dictum quod fecerat complevisset. Cuius devocioni annuente Predecessore predicto, habitum Ordinis predicti recipiens [1] in presencia bone memorie Iohannis episcopi Portuensis, tunc eiusdem Ordinis generalis Ministri [2], expressam professionem flexis genibus in manibus suis fecit; sicque provisioni predicte suum prebendo assensum, mandatis apostolicis obedivit. Et quamquam de iussu Predecessoris eiusdem dictum habitum velatum portaverit usque ad festum beate Agathe virginis [3] * tunc vicinum, in dicto tamen festo in presencia duorum Cardinalium recepit publice ac sic ex tunc portavit continue, atque ipsa die usque ad Sanctum Petrum patenter detulit peditando.

Miranda res et alias [4] insueta. Vir namque hic virtutum positus in sublimi, iuri [5] primogeniture renunciavit et regno, regalis solii spreta pompa, atque [6] pro regno corruptibili eternum ac plenum deliciis regnum mercans.

Mira vero compassione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam privatas quam publicas elemosinas faciebat. Unde factus [7] episcopus Tholosanus, per unum suum familiarem secretarium mandavit inquiri de suorum quantitate reddituum, quantum [8] sibi sufficeret pro moderatis expensis et racionabilibus faciendis, volens quod totum residuum in substentandis pauperibus poneretur, quantumcumque esset prelatus tam magnus, episcopus [9] ac filius tanti regis. Cum autem Parisius iret [10], pauperi, quem quasi nudum reperit, multum compaciens, abscondite [11] cappam contulit quam portabat, sibique secrete fecit aliam portari [12]. Certus erat etenim quod *misericordes* viri *misericordiam* beatitudinis *consequentur* [13].

In hoc eciam Christi imitatore vero humilitas vera fulsit. Attendit namque quod Deus, *qui merentes sospitate erigit, ponit humiles in sublimi.* [14] Ipse enim viginti quinque pauperibus, quos in domo sua reficiebat cotidie, aquam infundebat manibus, manuque sua ipsis fercula apponebat ac panem [15] scindebat eisdem, eciam genu flexo. In ipsis Christo servire ac ipsum recipere se delectans, hospitalia pauperum aliquociens visitabat.

Sciens denique quod *qui vestiuntur mollibus* [16] in hoc a Domino non laudantur, post dyaconatus susceptum ordinem semper veste humili fuit usus. Post ingressum vero dicti Ordinis vili habitu et [17] bruno colore in tapetis et cortinis ac lecti cohopertoriis [18] utebatur.

Pontificatus eciam officium cum * diligencia exercebat [19] *servus* hic Christi *fidelis et prudens* [20], Missas dicendo assidue, devotissime ordines celebrando, clericos quibus de beneficiis providere volebat examinando de articulis fidei, vita et moribus diligenter. Iudeos et Gentiles zelo fervens fidei inducebat sedule ad baptismum et [21] quosdam eorum de sacro [22] fonte levavit.

Demum gloriosus iste sanctus, vite sue cursu fideliter consumato [23], *ad Deum fontem vivum,* quem avide sicierat [24], migraturus de carnis ergastulo et de valle

---

[1] BF *suscipiens.* [2] BF *Ministri gen.* Fr. Ioannes de Murrovalle; Minister generalis O. F. M. 1296-1304, deinde Cardinalis creatus an. 1302, obierat 1313. [3] Idest 5 februarii. BF om. *virginis.* [4] BF *aliis.* [5] Cod. *matris.* [6] BF om. *atque.* [7] BF add. *iam.* [8] BF *quantumque.* [9] BF *quamquam praelatus tam magnus esset ac.* [10] BF *iret Parisios.* [11] BF *in abscondito.* [12] BF *secrete f. a. apportari* [13] Cf. Matth. 5, 7. BF *beatitudinis misericordiam;* Cod. *consequantur.* [14] Iob 5, 11. [15] BF *panes.* [16] Matth. 11, 8. [17] BF *ac.* [18] BF *coopertorio.* [19] BF *exercebat cum diligentia.* [20] Cf. Matth. 24, 25. [21] BF *ac.* [22] BF *sacro de.* [23] BF *cursu consummato feliciter ad.* [24] Cf. Ps. 41, 2. Vulgata *fortem vivum.*

miserie, in[1] infirmitate decubans[2] ultima, devotissime sumpsit corpus Dominicum; quamvis summe debilis, nichilominus de lecto exurgens[3] in occursum Domini Salvatoris, memorando illud Evangelii verbum: « Beati qui parati sunt occurrere illi »[4]; cruce eciam sibi data per quemdam ex sociis, genuflexit se[5] in lecto ut potuit ac in oracione devota et silencio postmodum diu mansit. *In cruce* namque *Domini nostri Iesu Christi,* et non in alio, didicerat se *gloriari*[6]. Tandem resolutus in gloriosam[7] mortem, qui hic vivens ambulavit *in innocencia in domus* sue *medio*[8], ad Deum suum contemplandum in gaudio, facie ylarata[9] *in* sua *innocencia* est *ingressus*[10]. Nota de ... tione fus... te crucer... lecto.

Verum quia decebat multum divine bonitatis magnitudinem[11] quod ille, quem in terris[12] adornando virtutibus sue ymagini fecerat tam conformem, ipsum[13] secum regnare in [celis] certis virtutis sue testimoniis probaretur, multis eum magnisque miraculis post eius obitum clarum fecit, quorum quedam certis probata testimoniis ad sancti huius gloriam declarandam[14] presentibus duximus annotanda. Quom... post mo... multis cl... miraculi...

Quedam namque duorum annorum puella, que vi febris quam passa fuit duobus mensibus expiravit, facto voto per patrem isti sancto[15] quod ipse ymaginem de cera offerret si vitam a Deo sue filie impetraret, resuscitata, ubera matris suxit[16]. Amen[17]. Nota ... culum.

* In Translacione sancti Ludovici episcopi et confessoris Ordinis fratrum Minorum[18]. * f. 1(

[G]loriosus Dei confessor et pontifex illustris et inclitus Lodovicus, Christi fidelissimus imitator, humilisque Francisci discipulus, vere *lucerna super candelabrum*[19] posita et *quasi stella matutina* preclarissime radiavit et *refulsit in templo Dei.* Ipse siquidem sanctus, quoad vixit *in medio nebule* sue carnis, tamquam lilium candidum quod est *in transitu aque,* sic virginitate sua purissime[20] floruit et quasi rosa rubens et *thus ardens in igne,* sic arsit incendio ferventissime caritatis, ut esset cunctis fidelibus in[21] exemplar et speculum currendi post ipsum *in odorem unguentorum suorum,* essetque in ornamentum[22] Ecclesie sacrosancte tamquam *vas auri solidum, ornatum omni lapide precioso*[23].

---

[1] BF om. *de carnis ... miserie, in.* [2] BF *decumbens.* [3] BF *debilis de lecto exiens.* [4] BF om. *memorando ... illi.* Cf. Luc. 12, 37. [5] BF om. *se.* [6] Gal. 6, 14. BF om. *se.* [7] BF *gloriosam resolutus in.* [8] BF *in medio domus suae.* [9] BF *revelata.* [10] Cf. Pss. 100, 2, et 25, 1. Alia nota in margine: « Nota quod mortuus est in xxiij anno et dimidio. Nam in xiiij° anno erat obses Catalonie, ibidem per septem annos mansit, scilicet usque ad xxj^m vel circa. Postea factus sacerdos et episcopus Tolosanus (credo dispensatione apostolica) vixit duobus annis et mensibus decem, ut habetur in sua Translatione in alia carta ». [11] BF *magnitudinem bonitatis.* [12] BF add. *ipsum praeclaris.* [13] BF om. *ipsum.* [14] BF *declarandam gloriam.* [15] BF *sancto isti.* [16] Cf. supra, p. 126-8. [17] BF p. 143a, linea ultima om. *Amen,* et Bulla prosequitur usque ad p. 144b. [18] Prior huius legendae pars, in forma ad chorum accomodata, edita est apud *Analecta Ord. Min. Capuccinorum,* XIV, 1898, pp. 156-158, cuius variantes (AC) in notis referimus. [19] Matth. 5, 15. [20] AC *virginitate purissima.* [21] AC om. *in.* [22] AC *et essel ornamentum.* [23] Eccli, 50, 6-10 et Cant. 1, 3.

Hunc Deus volens eripere de presenti seculo nequam ac celestium Sanctorum collegio sociare, pie disposuit cursum sue [vite] sanctissime sub brevi spacio finire et [1] feliciter consumare. Appropinquante igitur tempore quo spiritum redderet celo, quasi continue [2] oracioni et contemplacioni vacabat, et Sacramenta divina cum maxima [3] devocione suscipiens, ad sacre mortis transitum se diligentissime preparavit. *Dilectus* igitur *Deo et hominibus* [4] Lodovicus, cunctis in eum completis divinis [5] misteriis, debitum humanitatis exsolvens [6], anima eius sanctissima carne soluta et celestibus amicta splendoribus cum angelis et sanctis feliciter sublimatur in conspectu maiestatis *glorie magni Dei* [7]. Facies autem eius post mortem pulchior quam ante apparuit; circumstantibus [8] ipsumque intuentibus non mortuus sed dormiens videbatur.

In ipsa sui transitus hora, quidam frater Minor devotus et bonus [9], officio predicator, in oracione existens in quodam loco devoto [10] et nesciens de obitu eius, vidit animam ipsius a multitudine angelorum [11] deferri, voce magna dicencium: « Sic fiet [12]
109[a] servienti Deo in mundicia et puritate ». * Dominus quoque Ugo de Vicinis, tunc senescalcus Provincie, miles utique bonus et verax, dum fierent exequie pro eo a Fratribus Marsilie, vidit eum [13] in capite chori cum habitu, corda et mantello stantem cum pulcra et leta facie; vidit autem eum tamdiu [14] quam[diu] exequie duraverunt, et cum fletu magno peciit a fratre *Raymundo* Gauffredi, qui fuit generalis Minister, si eum videret sicut ipse videbat [15]. Consimili eciam modo vidit eum dominus Raymundus de Baucio vicarius Marsilie; et dicto *Requiescat in pace* disparuit.

Iuvenis quidem etate sed antiquus maturitate obiit [16], canus non crinibus [17], senex non diuturnitate temporum set gravitate morum [18]. Tocius autem vite ipsius decursus fuit viginti trium annorum et sex mensium. Quartumdecimum quippe annum attigerat [19] cum Cathalonie obses pro patris sui liberatione [20] ductus fuit, septemque annis in custodia mansit; per duos vero annos [21] et prope decem menses post liberacionem a custodia supervixit. Et recte, sicut nomen suum fuit future virtutis presagium, ita numerus vite ipsius extitit virtutis consumate signum atque misterium [22]. *Consumatus* ergo [23] *in brevi, explevit tempora multa* et cumulavit merita plurima, sicut et beatus Stephanus, Agapitus et Grisantus [24] multique alii utriusque sexus Sancti [25], qui licet hic [26] parum vixerint, tamen quamplurima precelsorum meritorum culmina aggregabunt [27]. Non enim curandum est quam diu vivatur, sed quam bene vivatur, secundum sentenciam Sapientis [28].

Transiit autem ex hoc mundo ad celum vir beatus, scilicet Ludovicus episcopus [29], in loco qui Brinçola dicitur, anno Domini millesimo c°c° nonagesimo nono [30], quarto

---

[1] AC om. *finire et.* [2] AC *continuo.* [3] AC *magna.* [4] Eccli, 45, 1. [5] AC *divinis completis.* [6] AC *excludens.* [7] Ad Tit. 2, 13. [8] AC om *circumstantibus.* [9] AC om. *et bonus.* [10] AC *remoto nesciens.* [11] AC add. *in paradisum.* [12] AC *fit.* [13] AC *beatum Ludovicum.* [14] AC om. *vidit autem eum tamdiu.* [15] AC om. *videbat.* [16] AC *obiit b. Ludovicus sed antiquus maturitate.* [17] AC add. *sed sensibus.* [18] AC *morum gravitate.* [19] Cod. *attingerat;* AC *attingebat.* [20] AC *cum in Cathaloniam pro patris sui liberatione obses.* [21] AC om. *annos.* [22] AC om. *Et recte ... atque misterium.* [23] AC om. *ergo,* quod post *multa* add. Cf. Sap. 4, 13. [24] AC *sicut b. Stephanus, Chrysantus et Agapitus.* [25] AC *sancti u. sexus.* [26] AC om. *hic* et paulo post *precelsorum.* [27] AC *congregarunt.* [28] AC *sententiam prudentis Salomonis.* Cf. Sap. 4, 8 sqq. [29] AC *caelum beatissimus Lud. ep. Tholosanus.* [30] Sic; sed revera an. 1297.

decimo kalendas septembris [1], media nocte ferie secunde [2] infra octavam Assumptionis, videlicet beate Virginis genitricis Dei Marie, et sepultus infra eandem octavam [3] in regia civitate Marsilie in ecclesia fratrum Minorum, prout ipse iam [dum] viveret ordinaverat [4]; ut beata Virgo, cui sanctus devotissimus iste semper fuit, infra sue Assumptionis solempnia, hora qua Christum pep[er]erat, * hunc purissimum virginem * f. 10 Virgo assumeret et intromitteret ad superna convivia in perpetuum permansura.

Statim ut sacrum eius corpus [5] traditum fuit sepulture, in [6] tantum devocio populi inardescere cepit ad eum [7], ut turmatim venientes ad tumulum ibique devote in oratione prostrati [8], sancti suffragia cum lacrimis flagitabant [9]. Plurimi vero nudis pedibus ac induti ciliciis [10] sua vota sancto [11] solventes cum diversis muneribus veniebant. Ibi videres [12] ecclesiam in qua iacet totam cereorum et facularum luminibus ruttilantem, multorumque Cardinalium, Episcoporum, regum, principum et baronum aliorumque plurim[or]um ymaginibus adornatam [13]. Ibi laudes et gracie pro sui Sancti honore altissimis Deo vocibus resonabant [14].

Volens igitur sibi Dominus ostendere quam placita sibi erat electi sui anima Lodovici, statim post ipsius obitum fecit eum signis et miraculis corruscare. Ad invocacionem siquidem nominis eius, claudi rectificati, paralitici consolidati, febricantes curati et leprosi mundati quamplurimi extiterunt. Sed et pluribus surdis auditus, mutis affatus et cecis visus, amentibus sensus fuit per eum mirabiliter restitutus. In partu vero periclitantibus salubris felicitas pariendi, et naufragantibus in mari portus optatus extitit a Deo huius sancti meritis condonatus. Similiter et quamplura alia beneficia ac varia in necessitatibus remedia ipsum devote invocantibus per Dei clemenciam sunt exhibita et concessa. Et quod maius est omnibus, pluribus mortuis est per eum vita et incolumitas plenarie restituta. Nam, sicut probatum est testimoniis fide dignis, duodecim mortuos ad vitam divinitus revocavit. Hoc autem pretermittendum non est de huius sancti virtutibus, quod accedentes ad sacrum ipsius sepulcrum non sine stupore, qui sibi hoc asserunt accidisse in quadam insolita et mira immutatione [h]actenus inexperta sepe inveniuntur divinitus immutati; quasi ipsa ossa felicia sanctitate redolencia vim divinam haberent sibi animos modo quodam mirabili [in] melius alterandi.

Miraculorum ergo gloria sublimatus, sanctitatis eius excelsa fama veridica procedente et per diversa mundi climata divulgata, canonicacionem eius dignissimam fidelium populi * cum desiderio expectabant. Omnes eum sanctum atque cum Christo regnantem * f. fide certissima testabantur. Nec mirum si ipse vir sanctus, qui tantum se humiliaverat, regnum mundi et omnem ornatum seculi pro amore Domini contempnendo, [15] tanto devocionis affectu tantoque dignitatis honore in benedictionis memoria colebatur. Acclamantibus igitur tam factorum quam populorum linguis solempnibus, ex parte ecclesiarum Provincie nunciis missis, ad aures summi Pontificis, domini

---

[1] Idest 19 aug. [2] AC *feria secunda*, et postea om. *videlicet*. [3] AC *sepultus fuit in eadem octava*. [4] AC om. quod sequitur *ut beata* usque ad *perpetuum permansura*. [5] AC *Statim autem dum sacrum corpus*. [6] AC om. *in*. [7] AC *populi crescere coepit ut*. [8] AC *ad tumulum venientes sancti* [9] AC *flagitarent*. [10] AC *nudipedibus ac cilitiis induti*. Cod. *sciliciis*. [11] AC om. *sancto*. [12] AC *vidisses*. Statim om. *ecclesiam ... rutilantem*, et sequitur *multorum*. [13] AC add. *eius tumbam*. [14] AC *gratiae ad sancti honorem altissimae voces Deo devote resonabant*. Et sic expliciunt AC. [15] Cod. repetit *si*.

scilicet Bonifacii pape octavi, que per servum suum Lodovicum Deus operabatur magnalia sunt prolata, supplic[ac]ioque instanter exhibita, ut quem Sanctorum felici collegio [1] sociaverat in celis, hunc eciam Christi Vicarius Sanctorum ascribi cathalogo iuberet in terris. Licet autem supradictus Pontifex de viri beati sanctitate, quam oculis viderat et manibus contrectaverat [2], ac de miraculorum varietate, quam tam publica fama quam iam rei evidencia lucide declarabat, minime dubitaret, distulit tamen ut maturius faceret quod obnixe et importunius petebatur, ne forsitan diceretur quod in hac parte immature foret processum, magisque delatum esset nobilitati [3] sanguinis vel generis quam virtutis, et prosapie regie dignitatis quam eminentie sanctitatis. Cum itaque negotium ita penderet, antequam ad hoc manum predictus apposuisset Antistes, de presenti vita Deo vocante migravit [4].

Cui felicis recordacionis Benedictus papa undecimus in pontificatu succedens, hoc ipsum propter brevitatem vite attemptare nequivit [5]. Sed dominus Clemens papa quintus eius successor [6] per solempnes nuncios ecclesiarum Provincie cum devotione et instantia maxima requisitus, habita matura deliberacione et diligenti consideracione cum fratribus suis, decrevit commictere duobus venerabilibus episcopis, scilicet Sanctonensi et Lectorensi [7], viris quidem famosis et prudentibus ac multum sufficientibus in scientia pariter et in vita, ut de miraculis inquirerent diligenter. Qui, mandatis apostolicis humiliter obedire curantes, ad civitatem Marsilie personaliter accesserunt, 109a et exequentes inquisicionem huiusmodi mature, fideliter * ac diligenter, tandem longo tractu temporis perfecerunt. Quam cum sigillis suis munitam domino summo Pontifici presentassent, ab eodem fuit quibusdam de Cardinalibus tradita ut [8], examinacione diligenti premissa, per eos sibi et universo Cardinalium collegio quod eis videretur super negocio fideliter refer[r]etur. Verum, pendente relacione predicta, ipse dominus Papa fuit de hac luce a Domino evocatus [9]. Cui cum papa Iohannes vicesimus secundus divina providentia successisset [10], qui [11] eiusdem sancti Ludovici sanctitatem certitudinaliter expertus fuerat, utpote qui fuerat ipsius socius et magister ac eciam quando sanctus obiit presens erat, solicitus et devotus fuit ad Dei et sancti eius honorem perficere quod fuerat a suo Predecessore inchoatum. Ne autem propere procedere videretur, ipsam inquisicionem iterum examinari fecit per plurimos Cardinales. Qua diligenter discussa et examinata, ab omnibus Cardinalibus approbata, de fratrum suorum et omnium prelatorum, qui tunc erant in Curia, concordi consilio et assensu beatum Lodovicum canoniçandum decrevit.

Anno igitur Incarnationis Dominice millesimo tricentesimo sexto decimo, septimo idus aprilis [12], pontificatus sui anno primo, ipsum sanctum Ludovicum Sanctorum cathalogo fecit ascribi cum maximis que longum esset ennarrare solempniis, in civitate Avinionis, ubi tunc romana Curia residebat. Anno vero Domini millesimo tricentesimo decimo nono, sexto idus novembris [13], presentibus pluribus Cardinalibus per summum Pontificem ad hoc missis et pluribus prelatis et aliis presentibus, eciam domino Roberto Ierusalem et Sicilie rege, ipsius sancti uterino fratre, cum consorte sua regina Sancia, et regina Francie ipsius sancti nepte, pluribus eciam principibus et baro-

---

[1] Deest forsan, hic vel paulo ante, verbum *Deus*. [2] Cod. *contractaverat*. [3] Cod. *nobilitale*. [4] Scil. 11 oct. 1303. [5] Electus die 22 oct. 1303, † 7 iulii 1304. [6] Electus die 5 iunii 1305. [7] Cod. *Latoianensi*. Cf. supra p. 10. [8] Cod. *et*. [9] Scil. die 14 apr. 1314. [10] Electus die 7 aug. 1316. [11] Cod. *et*. [12] Bulla *Sol oriens* data est die 7 aprilis 1317. [13] Idest, 8 novembris.

nibus aliisque personis solempnibus et immensa populi multitudine, qui omnes ad translacionis ipsius sancti festum honorandum eiusque vultum cum muneribus deprecandum convenerant, sacrum corpus ipsius translatum et in precioso sepulcro ad eius gloriam * preparato cum honore debito reconditum est in ecclesia fratrum * f. 11 Minorum Marsilie, in qua eciam pridem fuerat tumulatum.

Nec pretereundum est quod in huius translacionis solempniis ad eius sancti gloriam Deus ostendere voluit. Nam cum per decem et octo annos corpus eius iacuisset sub terra, dum ossa illa felicia de tumulo levarentur, inventum est in eius capite cerebrum ita intemeratum et recens, ac si sanctus ipse adhuc in corpore viveret. De quo miraculo omnes qui aderant stupefacti Deum magnifice laudaverunt. Quod dictus dominus rex Robertus reverenter accipiens et secum Neapolim deferens, in quadam ymagine de argento et auro, quam ad honorem eius fecit opere mirifico fabricari, cum gemmis et lapidibus preciosis ornari, illud honorifice collocavit.

Non solum autem in loco in quo iacet vel ubi eius sacre habentur reliquie, sed eciam in diversis mundi partibus usque in presens ipsum sanctum pie invocantibus beneficia divina meritis eius exuberant, prestante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Et sic est finis.

Incipit Epistola

Lectio libri Sapiencie, capitulo octavo [*vv. 10-20*].

[I]uvenis [1] et acutus inveniar in iudicio, et in conspectu potencium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me... [2] sed leticiam et gaudium. Hec [3] cogi-*tans * f. 1 apud me... Puer autem eram ingeniosus et sortitus sum animam bonam, et cum essem magis veni ad corpus coinquinatum.

Incipit Evangelium

Secundum Marcum, capitulo decimo [*vv. 14-21*].

[I]n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Sinite parvulos venire ad me... vade et vende omnia que habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo; et veni et sequere me.

[1] Hic et infra, initialis deest parvo spatio, vacuo tamen reservato ad eam pingendam. [2] Omissis. [3] Cod. *Nec*.

[Initium Monasterii S. Ludovici episcopi Tholosani Venetiis anno 1388] [1].

[O]ptimo [2] et prestantissimo sacerdoti Thome Cremonensi Paulus Pancratius Maffeus plurimam dicit salutem.

Tuis sepe suavissimis ex[h]ortationibus me accuratius monuisti ut visionem illam f. 110c divinam de instituendo monasterio sancti pontificis Ludovici de-*scriberem, quam recens nostra memoria tulit effectam esse hac in florentissima civitate Venetia. Eam postulationem tuam cum tuo sermone tum amicissimi et probatissimi viri Gasparini presbiteri repetisti ea quidem cura, sedulitate, instantia, ut tuo desiderio honestissimo nequiverim prorsus negare operam meam. Certe potui, si voluissem, laborem istum subterfugere, potui dissimulare, ingentes crebrasque occupationes valui in excusationem adducere quibus quotidie magis necessario implicor quam libenter, denique ipsam ignorantiam meam in medium afferre licebat tamquam oportunissimam causam qua ne id presumeretur a me, absque amicitie iniuria, huiuscemodi negotio me facerem absolutum. Ceterum, mi peramantissime Thoma, non sum ratus omnino sanctam christiane amicitie legem ita debere nobis esse neglectui, ut quicquam pretermittamus honestum aut officio plenum, quamvis laboriosissimum videatur, quando illud imperatur vel exigitur ab amico. Tua plane erga me sunt multa merita, precipue quod me amas indignum, set et nichil ullo tempore michi negasti, quod ad rem meam pertinens, instituto meo videretur tibi conducere. Ita quidem ego sentio, unde et te non dubito amicum meum et arbitrari et dicere. At vero si de ignorantia agitur, tibi et omnibus qui me norunt liquido perspecta est. Nam et parva michi in dicendi sive scribendi arte facultas est, sapientie vero minimum. Quod si quid studiorum huiuscemodi ipsa in adolescentia sumus [3], id longa dicendi dissuetudine ac nulla penitus artis exercitatione totum ferme cessit e memoria atque collabiit. Quo fit ut vehementius mirer te virum prudentissimum, cui nota sit imperitia mea, me unum delegisse precipue, qui rem istam, sempiterna memoria dignam, scribere et nostra oratione illustrare debuissem. Ita ne tibi defuerunt scriptores egregii atque oratores eloquen-

---

[1] Quae hic longo sermone referuntur, eadem brevius refert Flaminius Cornelius in suo opere *Venetae ecclesiae illustratae*, decade prima, tom. I, Venetiis 1749, pp. 305-314, monasterii huius historiam cum nonnullis documentis protrahens usque ad ann. 1736. Monasterium sub regula S. Augustini a primordiis ipsis receptum est. — Scriptor: Paulus Pancratius Maffeus, idem probabilius est ac « Paulus de Mapheis de Verona, Prior de Caritate de Venetiis, Ordinis S. Augustini, Canonicus Regularis Castellane Diocesis, de Congregatione B. Marie de Frisonaria », cuius est documentum a citato Cornelio allatum, op. cit., decade XII, tom IX, pp. 243-5, diei 7 maii 1433; cf. quoque tom. I, pp. 19, 175. [2] Litterae verborum *ptimo et prestant*, ad capitalium modum exaratae in columnae forma altera sub altera sunt positae, maximo spatio reservato litterae initiali *O*, quam tamen nemo depinxit. Sic pictori reservatae frustra fuerunt minores initiales cuiuscumque inferioris paragraphi. Manus quae hanc historiam minutiori charactere scripsit in codice est penitus nova. [3] Sic; deest verbum *adepti* vel simile.

tissimi, quorum Venetiis feruntur et plurimi et magni, ut me volueris, nescio an sine quadam iniuria, iura et partes illorum usurpare? Ego itaque ut ioco tecum aliquid dicam: si me sapientes aut malivoli quique (nam duo hec hominum genera iudicare de rebus volunt) ambitiosum aut temerarium appellaverint, quod rem michi usurpaverim peritissimorum virorum, agam tecum ipse iniuriarum, libere clamabo coram iudice et adversariis te unum fuisse qui pro mutua inter nos et singulari benivolentia in hoc me volueris impingere tocius existimationis nostre periculum. Unde et par erit atque equum valde, ut qui nos impuleris in hanc importune cause necessitatem, partes nostras agas et constanti animo defendas innocentiam nostram. Tibi enim prorsus causam delegam tutandam. Nobis certe precavere debueras quid de me et te forent homines arbitraturi, priusquam [h]istoriam tam insignem michi homini ineloquenti ac minus docto prebuisses exarandam. Hec idcirco premisserim, quasi necessarium apolegeticum nostrum contra illos ipsos qui de nobis ferre sententiam volent, quo prius intelligant tuo me magis provocatum amore ad scribendum quam ulla mea voluntate aut bene dicendi confidentia.

[S]ed et aliud unum ad rem istam non mediocre michi dedit incitamentum, quod nec volo nec debeo ulla ratione preterire. Scio plane et pia percogito existimatione, grate admodum et iocunde susceptum iri conatum nostrum ab ipso preclaro collegio feminarum sanctarum, que tuo consilio, cura, studio, eruditione utuntur. Gaudebunt sane et congratulabuntur michi, ut puto, quod rem que sue glorie atque monastice discipline exordium fundamentumque contulerit plurimos iam annos tenebris quibusdam obsitam atque pene in oblivione omnium obvolutam, in lucem quamdam effuderim et memoriam sempiternam. Item quia habebit illustris ille conventus * et *f. 110
eque sanctissimus sacrarum virginum in posterum tempus quibus se quasi stimulis virtutum ac desideriorum calcaribus pungat ad omnem religionis sectandam integritatem, quotiens s[c]ilicet lectione huiuscemodi oraculi ad memoriam revocabit quam certis, quam sanctis, quam divina voluntate firmatis initiis cepit forma ipsa vivendi in qua propitio immortali Deo nostros usque in dies perseverant honestissimis moribus.

[C]eterum in mercedem nostri laboris hoc singularissimum munus ab eis summa cum affectione deposco, ut pro me Christum optimum orent et placatum reddant ardentissimis precibus; quod cum meruero impetrare ab eis, que pietate sunt predite, satis michi et copiose factum esse cogitabo. Quare, mi humanissime Thoma, te per omnem tuam fidem obsecro plurimum et obtestor ut me illis commendatum facias crebro atque preceris quatenus, suarum orationum presidio, peregrinationis mee cursum ac bonum animi propositum, quod institui ab ineunte etate, tueantur. Nam his fretus veluti validissimis deprecationum armis, tutissimo receptus municipio religionis, nullo pacto timere potero que humani generis adversarii contra me quotidie parant. Hactenus ista perstrinximus. Demum iam rem ipsam incipiamus.

[A]nte hos igitur ferme non multos annos fuisse quandam nobilem matronam Antoniam nomine in ipsa clarissima urbe Venetia ferunt plurimi, quorum fides ea est existimatione perdigna ut nulla ratione de testimonio ipsorum a quovis bono et probato viro debeat omnino dubitari; plerique etiam honestissimi viri et femine etiam diebus nostris affirmant hanc se oculis pervidisse atque cum ea familiariter satis quotidiana confabulatione fuisse coniunctos [1]. Erat vero nobilissimis orta natalibus, cui

[1] Anno 1411 Antonia Veneria iam obierat: Cornelius, op. cit., tom. I, p. 307.

familia ipsa, quam Veneriam appellant, egregium valde et spectatum cognomen dedit. Hec a primeva etate sua etiam sub maritali lege constituta in annis ipsis adolescentie, que solet in multis esse lascivior, cepit religiosissime vivere Christo Domino, a quo profecto se nimis amatam sciret, item vero innocentissimi sanguinis pretio cognosceret se redemptam speraretque ab eo immortalitatem beate vite consecuturam, si eius semper monitis obtemperaret atque sanctissimis preceptionibus. Postremo post viri mortem cum coniugali copula soluta foret, viduali pudicitie dedicata, cepit sese prestantius atque religiosius Deo dedere. Unde cum multis èsset divinis exornata muneribus, flagraretque incendio quodam admirabili caritatis, tum vero maxime donum revellationum sanctarum studio longe orationis fuerat consecuta adeo, ut summus ille et optimus pater Deus, cui se totam carne et spiritu consecrarat, incredibili benivolentia plura sibi frequentius sue sapientie secreta manifestarit. Iam annos iuventutis excesserat et post etatem sexagenariam grandeva degebat, quando in eadem vite et lucis integritate perseverans, habuit istam de qua loqui policitus sum certissimam visionem.

111a * [Q]uadam [1] enim nocte, illuscente gloriosissimi Ieronimi natalitio die, pridie kallendarum octubrium, dum in matronam istam, post ritum orandi usitatissimum sibi, levissimus sopor irruisset, uti postea ipsa dicebat, visum est illi in quempiam deferri spatiosum campum satis incultum, in quodam ipsius urbis confinio constitutum. Quem cum humano ex more diligentius intuetur, videt ibi iuvenem formosissimum atque ipso aspectu gravissimum: nigro erat collobio pervestitus, fimbriis vestimenti ipsius ad talos usque defluentibus. Hunc virum cum ipsa non absque admiratione et pudore quodam femineo verecunde contuetur, audit ad se precepta ordine isto ad se mandantem: « Heus tu, inquit, religiosissima femina, hoc quod spectas territorium precio dato tibi comparare non differas, quo in ius tuum redacto, dabis operam ut ibidem meo nomine monasterium fabricetur ». Ipsa vero, ut sibi in somno stupenti videbatur, mortalis hominis verba existimans, cum parvipenderet prorsus ac omni responsione arbitraretur indigna, oculos statim et faciem avertit ab eius aspectu, intra se tacita cogitatione pertractans: « Quid sibi vult, inquit, homo iste purissimus? Quale michi consilium prestat? Eme, inquit, predium istud et monasterium construe super illud. Numquid ego divitiis illis referta sum aut copiis tantis, ut fundum istum amplissimum meo iuri subiicere queam, quod vix ere ingenti ac multa auri distractione comparari valeret? Puto quia, falsa deductus oppinione, arbitratur me feminam pecuniosissimam esse. Sed fallitur oppido ac multum errat, si hanc de me animo suo sententiam gerit. Verum et quid est opus, nunc hac ipsa in urbe nova extruere monasteria, cum iam multorum sint iacta fundamenta firmissima, maximis sumptibus preparata, que nostris temporibus ad sui perfectionem adduci [n]ullo modo potuerunt? »

[H]ec secum tacite repetentem religiosam viduam iuvenis iterum memoratus iterum vocat, ut ad se pergat illico. Quam proprio appellans nomine et amplissima auctoritate precipiens: « Velim, inquit, Anthonia, summi Principis serva, ut, isto fundo terre comparato, edifices sacrum locum ubi sanctimoniales degant, que divinis insti-
111b tute * doctrinis ac celestibus imbute virtutibus cultum perpetuum cerimoniamque afferant magno Deo. Titulus vero sacrarii velim abs te meo nomine dedicandum.

[1] Hic quoque, primis litteris, capitalium forma exaratis, in arctissima columna laterali dispositis, reliquum spatium litterae initiali adhuc depingendae reservatum fuit.

Sum enim profecto Ludovicus olim episcopus Tholosanus [1], regia stirpe progenitus et educatus summa parentum cura, qui in divinam quamdam assumptus sortem ministerii sancti inter predestinatos Dei servos et iustos presules gregis Christi, immortali et optimo Deo pro servata virginitate complacui. Idcirco ipse rerum omnium maximus princeps pro sua disposuit ineffabili providentia ut, sicuti in plerisque aliis terrarum regionibus, ita et Venetiis memoria mea dignis concelebretur honoribus ». His dictis, ille disparuit; ipsa vero somno soluta est.

[C]eterum hoc apparitionis genus prefata mulier sepenumero secum reputans, satis et multum deterrebatur, ne quicquam illusionis fuisset suis sensibus presentatum, quo vel eam dyabolus sua arte antiqua deciperet aut moliri rem frustra niteretur, que ab omnibus eruditis civibus impossibilis iudicata risum de se moveret cunctis irreligiosis et impuris hominibus. Erat enim gravissimo atque inviolabili quodam senatus consulto decretum et publicis tabellis exceptum, ne ullo quidem modo circumcirca confines ipsius urbis quispiam nova monasterii septa aut fani menia presumeret a solo deducere sive etiam oratorium edificare. Cuius consilium ratio in promptu redditur, ut vetustissima templa immortalium martirum ceterorumque sanctorum, que reparatione indiguissent, prius ad integritatem suam redigerentur, quam illis omissis nova delubra et loca sacra constituerentur a populo, qui semper pro sui inconstantia studet novis rebus ac curis. Hec porro res prudentissime mulieri rationabiliter satis omnem auferebat spem conficiendi quod sibi in visione preceptum erat.

[S]tatuit igitur ex cogitato consilio supersedere penitus ab omni tocius structure studio, donec vel, si illusio esset, manifestius sese prodiret, aut, si fuisset quid divinum, emigraret certiorem in lucem. Plurimum autem mulier et plusquam dici possit admirabatur, si oraculum divinum istud esse constaret, se pre multis aliis illustribus feminis delectam esse a Ludovico sanctissimo, cum et multas alias iudicaret se pro sua humilitate sanctiores, certe autem opulentiores in urbe ipsa, que et nominis eius affecte essent devotione mirabili, et plenissime noscerent eius [h]istoriam. Ipsa enim se prorsus ignorare fatebatur et quis fuisset is Sanctus in terris, quibusque moribus vixisset ac placuisset Deo nostro. Verum plus multo potuit gratiosissima electio Dei atque huius Sancti voluntas benivolentissima, que precipue delegit istam, quam in plerisque mulieribus aliis quevis devotio singularis ad Sanctum sive oportunitas divitiarum.

[E]rgo cum pigrior et quasi insolentior redderetur mulier ad negotium gerendum quam res petebat, non cessat ab nocte ipsa visionis prime prefatus antistes miris modis somno quotidie viduam admonere, ne tantum negotium Deo pergratum deducat in moram: rumpat omnem dilationem, corrigat negligentiam, fidem accomodet veritati, discat oraculis obtemperare divinis. Set et sepe et iterum ostendit ei locum ipsum edificandi sacrarii, et ubi singule sint officine monasterii statuende mirabili ei ordine dipingit in mente. Quemdam insuper quadratum lapidem demonstrat ei, satis artificiose limatum, nigro colore pariter et quodam lucis splendore perfusum simillimum vitro, quem manibus ipse suis visus est accipere atque ad designatum ecclesie locum proicere, dicens: « Age, mulier, ut lapis iste, quem vides, huic * sanctissimo fano * pro fundamenti initio iuxta ritum antiqu[u]m recondatur ».

---

[1] Cod. *Tholesanus*.

[H]unc postea quadratum lapidem ibidem, defossa terra, repertum a cementario et pro sacrarii exordio venerabiliter collocatum multi absque dubitatione confirmant; quod, uti ego sentio, misterio non parvo est deputandum. Lapis enim quadratus, qui in edificii fundamento locatur, indicio meo videtur significare quadripartitum genus honesti, a quo secundum sententiam sapientum derivatur atque deducitur omnis bene vivendi ratio, officii decor atque virtutis. Nam cum virtus sit cunctis ad beatam vitam pernecessaria, multo perfectius ab illis est excolenda personis que vite monastice omne studium contulere, ut ab eis iuste prudenter, fortiter temperanterque vivatur. Quam rem voluit pontifex optimus, ut ego credo, illi prudentissime vidue hac ostensa quadrangulari figura declarare, quamquam et sacratius quiddam[1] non absurde fides christiana in hac re cogat intelligi. Profecto omnis vite integritas in evangelicis litteris continetur, que quoniam a quatuor divinissimis viris singulariter concepte sunt et in quatuor mundi partibus summa cum auctoritate vulgate, quaternarium numerum consecravere. Arbitror itaque beatum virum in lapidis huiuscemodi ostensione liquido voluisse monstrare quanta deberent ipsius loci sacre cultrices evangelica perfectione fulgere, que omne sanctarum virtutum culmen a quadrato quodam superducerent fundamento.

[S]ed revertamur brevi ad propositum narrationis locum. Mulier, ut fit in somno, cum locum sibi videretur videre, set in qua esset urbis parte expositus, quoniam quidem amplissima est et magno ambitu circumsepta, discernere omnino nequiret, constanter rogat Sanctum quis foret locus in civitate aut quo vulgato nomine appellaretur ubi fabricam istam extrui elevarique iussisset. Cui ille presto respondit: « Locus quem ellegi, inquit, est ille ubi corde conficiuntur ». Eo accepto responso, urbem ipsam circuire statuit diligenter, si locum premonstratum forte invenire queat ac recognoscere. Omnis civitatis oras regionesque perlustrat, ubi corde plicantur et funes. Nullam presignati loci perpendit ymaginem, nullum vestigium animadvertit; tamen bono animo et spe concepta mirabili non cessat omnino studiose perquirere divinis admonitis inflammata. Venit igitur ad ipsum confinium civitatis: prope quidem beati Ieronimi monasterium est constitutum. Ibi quippe, ipsa nesciente, artifitium cordarum exercebatur magnopere, non quibus utuntur homines ad ligandum quicquam vel trahendum, sed quarum est omnis usus in musicis organis instrumentisque canoris. De isto certe cordarum genere, sicuti postea patuit manifeste, sanctus Ludovicus vidue locutus intellexerat. Igitur eo loci perducta ad mulierem quamdam suorum sotiam studiorum: « Heus, inquit, soror carissima, vicum istum directo calle ingrediamur, videamus porro si forte iste sit locus in quo Sanctus ipse delegit sibi monasterium fabricari ». Continuo illuc impulsibus dellata celestibus, locum omnem recognoscit ad plenum totiens sibi ostensum in visu, quem nunquam se meminerat antea oculis pervidisse corporeis. Tum ait illa maximo affecta gaudio ad sotiam suam: « Ecce, soror, locus delectus a Sancto, in quo expostulat dedicari sibi sacrarium ». Abscedunt proinde iocundissimis mentibus, cum prius non mediocres egissent gratias Deo, qui sibi locum de-
111[d] monstrarat ubi non iam corde ad musicam apte fierent pro gignenda nutriendaque * in hominibus vanitate perditissimis instrumentis, sed ubi sancta tenderentur desideria in Deum de mentibus profecta purissimis monacharum cum incredibili concord[i]a sanctorum morum.

---

[1] Cod. *quicdam*.

[I]taque Anthonia illustris femina non iam incerta de oraculo nec dubia de loco, sed magis religiosa pro officio, studiosa pro gaudio deliberat tandem divine morem gerere voluntati. Archanum tamen celeste prius revellat honestissimo cuidam viro Leonardo presbytero. Is plane erat clarissima de familia urbis Venetiarum, quam Pisanam dicunt. Hic sancta profecto exstitit preditus vite moderatione et sanctitate, ut facile etate illa tenuerit sanctorum sacerdotum in civitate ipsa principatum. Tam vero copiosum munus consecutus fuerat perorandi in ecclesiis ad plebem Christi iuxta orthodoxe fidei regulas, ut tempora posteriora usque ad dies nostros nundum quempiam pepererint illius ordinis virum, qui sibi palmam illam persuadendi divina de manu, uti aiunt, potuerit evellere. Hunc igitur ad virum accedit supra morem humilis femina, secum de visione quam familiariter confert, consilium postulat accurate, quid facto opus sit, ne iuxta Pauli sermonem [1] in vanum fortasse curreret aut cucurrisset. Sacer[do]tis optimi sententia fuit rem, ut sibi videbatur divinam, nullo modo pretermittendam, divinis prorsus obsequendum esse preceptis, nichil negligendum, tollendam omnem de diaboli fallatia suspitionem, postremo adhibendum studium quo perficiantur iussa celestia.

[I]lla ubi gravissimi patris est usa consilio, nondum illo sane contenta, etiam atque etiam consulit eruditissimos viros qui possent satis de rebus eiuscemodi d[i]iudicare, quorum omnium summa cum assensione iudicium fuit, uti velit quamtocius potest preceptionibus certis e celo delapsis sese obtemperantem accomodare: nulla ratione fieri posse ut res tam ingenti studio viri sanctissimi perquisita integrum non adipiscatur atque consequatur effectum; opinandum esse profecto pii et magni Christi providentiam hunc locum sibi parare ad fructum inde mirabilem sanctitatis ac iustitie comparandum.

[H]uiuscemodi igitur bonorum hominum et sapientum multo amplius animata confirmataque sententiis, statuit rem ad senatum deferri, patribus conscriptis supplicandum quo sibi concedatur novum monasterium a fundamentis institui, quod sanctus presul Ludovicus suo nomini hac in civitate opulentissima dedicandum elegerit. Ea tempestate ducatum urbis administrabat clarissimus princeps Antonius cognomento Venerius [2], vir certe cum nobilitate, sapientia, copiis omnibus, tum vero iustitia, fide, pietate, integritate, constantia prestantissimus; qui etiam ad memoratam viduam pro antiqua eiusdem familie necessitudine, amplius autem pro virtutum studio, singulari afficiebatur benivolentia. Res itaque ad senatum defertur. Agitatum est satis utrumne priscum decretum, ex totius senatus consulto conflatum diuque observatum acerrime, ad rogatum muliercule unius infringeretur. Qui oraculis erant divinis increduli, stabant in sententia, ne violaretur prorsus decretum; quibus autem * schola philosophorum *f. qui, promptuli ad disputandum, solummodo norunt calumniari que non intelligunt. Sed nostratis philosophie viri eruditissimi merito nos pro magna pietate redarguent, si in illis divinissimis [3] litteris prorsusque verissimis tantum quod simpliciter [h]istoria sonat quadam puerili levitate legere atque considerare cognoverint. Porro ibi quasi infinita sunt loca que, si solum iuxta litteram exposuerimus, quid dissonantius aut incongruentius dici queat penitus nescio. Quod si, missa littera que occidit, ad spiritum qui, secundum Apostolum [4], vivificat transierimus, tantus inde veritatis fulgor,

---

[1] Philip. 2, 16; Gal. 2, 2. [2] Reipublicae Venetae praefuit ann. 1382-1400. [3] Cod. *divinitissimis*. [4] II Cor. 3, 6.

tanta plus certitudo sapientie incredibilis emanabit, ut nichil quidem meo arbitratu iocundius, nichil purius, nichil possit cogitari perfectius. Lege Ysayam, lege Ecechielem, lege quempiam ex prophetis, iuxta litteram universa considera: quid importunius? Quere sub littera latentem spiritum quasi sub nube solem, sub cortice medullam, sub fossa terra metallum: quid, oro, splendidius, quid suavius, quid pretiosius?

[H]ec de qua loqui cepimus dives et perbellissima materia est, de qua cum plura dici possent statui differre in aliud tempus et erga alios qui sunt minus ista perdocti. Velle enim apud te de huiusmodi copiosius dicere, nil aliud foret quam velle videri, uti aiunt, docere magistrum. Quamobrem ne inurbani atque superflui in re non [1] necessaria videamur, illud tantum commemorasse sufficiat, pulcherrimum illum sanctarum feminarum cetum ornatissimumque conventum, hiis paucis figuris et umbris rerum pie saneque intellectis, permultam posse consequi sapientiam in eo genere rerum, que ad divinam spectant contemplationem; precipue cum Evangelium habeant ceterasque Scripturas, ubi ista copiosius atque certius continentur.

[I]sta sunt breviter illa ipsa, pater humanissime et peroptime senex, que iuxta veritatem [h]istorie feruntur ante paucos annos contigisse Venetiis, quorum ordinem, quantum tulit ingenium nostrum, tuo postulatu diligenter exposui. Teneo te patronum in controversia et nostrarum partium accerrimum defensorem, si quid fortassis minus erudita atque perlimata oratione dixisse a sapientibus aut malivolis iudicabor. Poterunt autem multa censere, si volent; sed ego, uti predixi supra, defensioni tue commisi causam. Unum michi in mentem venit argumentum fortissimum, quod adversarios nostros vel omnino vincere vel placare valebit: plus scilicet offitiosi muneris potuisse caritatem offerre petenti quam imperitiam denegare.

[V]erum ego, ut finem iam faciam, peto michi veniolam istam donari ab omnibus illis in quorum manus potuerint pervenire hec nostre tabelle. Siquidem error, qui
112b de fonte na-*scitur pietatis, impetrat facile sibi ignosci. Precipue te obsecro, mi Thoma carissime, ut sepenumero memineris mei in orationibus tuis, eo presertim tempore quo sacrificium pretii nostri abs te religiosissime pertractatum summo Deo offers, conciliando peccantibus qui clementia indigent Mediatoris [2]. Sed et pro tua benivolentia michi impetrare curabis, ut egregia illa sanctarum militia monialium que ad tuam coronam triumphat in Christo, pro me Deum exorare dignetur. Quod cum obtinere meruero abs te et ipsis, profecto computabo in donis illis que ad cumulum gaudiorum meorum accedere et pertinere videntur. Vale [3].

---

[1] Cod. bis *non*. [2] Sic. [3] Reliqua columna 112b, et folia 112cd et 113 per totum, vacua sunt.

* Hic incipit Tabula de miraculis factis meritis beati Ludovici quondam episcopi Tholosani [1]. *f. 11

[1] Tabulam exscripsit qui totum Processum exscripserat. [2] Diversorum miraculorum species litteris obliquis distinximus.

[1] Sic; itemque sic legendum potius erat loco hic citato p. 82, l. 14, ubi e converso interpretavimus *Us*.

[1] Cod *febricitantem*.

Et sic est finis tabule miraculorum;
pro quo Deus gloriosus sit benedictus in secula seculorum.
Amen.

LIBER MIRACULORUM S. LUDOVICI EPISCOPI[1]

1r * **1. - De quodam puero qui paciebatur cancrum in menbro.**

Primum quod Deus operatus fuit Massilie per felicis recordationis dominum et fratrem, dominum et sanctum Ludovicum condam episcopum Tholosanum, fuit curatio filii domini Hugonis Vinaudi, nomine Iohannetus. Qui puer paciebatur cancrum in menbro, et in tantum menbrum ex morbo et medicina cirurgicorum indignatum fuerat et inflatum, ut nullo modo posset mingere, ita quod magister Guillelmus de Carono, surgianus[2], indicaret eum non posse curari nisi remedio incisure. Predictus vero puer, cum vidisset matrem suam de *exsequiis* predicti domini redeuntem[3], rogavit eam ut se predicto domino devoveret, quia ipsum sperabat firmiter meritis eiusdem domini liberari. Tandem, emisso voto a matre pro puero, inflatura crepuit et mingere potuit et a morbo curatus fuit.

2. - De aure.

Dominus Iacobus Martini, civis Massilie, a multo tempore auris fuit infirmitate afflictus in tantum quod continue videbatur ei quod garritus avium multiplex interius responderet, qui usque in oppositam aurem multociens et maxime in nocte distensus[4] fere totum usum abstulerat audiendi, ita ut loquens interdum vix posset clare percipere sonitum vocis suae. Emisso autem voto ad predictum dominum de afferendo uno capite de cera[5], a dicta passione penitus est curatus, ut *hoc audivi ego* a domino Iacobo supradicto.

3. - De febre continua.

Frater *Iohannes Ymberti* febre laborans continua, ita quod medici penitus desperarent, surgens, cunctis fratribus nescientibus, de lecto cum labore et difficultate, ad tumbam eius pervenit et, facto voto quod omnia que habebat vel habere posset poneret ad tegendum honorifice tumbam suam, a febre mirabiliter extitit liberatus.

4. - De intestinis.

Mulier quedam *Penitencie* per gradus quosdam descendens timpanum ventris intrinsecus sibi, nescit quomodo, aperuit, ut omnia intestina exirent et non sine dolore terribili dependerent. Que invocans dominum et sanctum Ludovicum predictum et cum magna devotione voto emisso, visum est sibi quasi sensibiliter quod manus quedam in-

---

[1] E codice 69 bibliothecae municipalis Augustoduni *(Autun)*. Titulum praenotavit ammanuensis modernus. [2] Id est *chirurgus*, ex « surgia » = chirurgia. [3] Cod. *redeundem*.
[4] Cod. *discentus*. [5] Cod. *de sera* (sic) *suo capite*.

missa intestina acciperet et ad locum proprium relevaret [1], et sic penitus est curata. Hoc autem pre rubore verecundie non audebat nisi mulieribus revelare, set tandem per eas * ad detegendum [2] inducta, nuper ministro Provincie ipsamet, ut predicitur, enarravit. * f.

5. – De crepatura.

Quidam homo civis Massilie crepatura tam graviter laborabat, quod intestina tanto fluxu descenderent, ut nullo modo possent medicaminis remedio subveniri. Et dum de sola morte cogitans confiteretur cuidam Fratri sicut continuo moriturus, dixit ei eius confessor: « Devoveas te domino Ludovico ». Et statim, emisso voto quod sepulcrum eius, deferens suum sudarium, visitaret tamquam de mortis periculo liberatus, statim intestina ad locum proprium redierunt. Deinde perrexit ad opera consueta.

6. – De febre continua.

Iohannes Girardi de Massilia, patronus cuiusdam ligni, rediens de Sardinia venit Massiliam, infirmus de continua valde gravi, in tantum quod iudicio medicorum nullum signum vite in eo apparebat. Et cum apportatum fuisset Corpus Christi a sacerdote ut eum communicaret, nec loqui poterat, nec intelligere quod sacerdos dicebat, set stabat sicut ille qui in extremis, omnium indicio, laborabat; et sic sacerdos cum Corpore Christi ad ecclesiam est reversus. Tunc quidam avunculus eius nomine Bonusfilius, barrilar, audiens miracula que Deus operabatur per fratrem et dominum episcopum Ludovicum, votum emisit ad eum quod, si suis meritis eum sanitati redderet, sudarium suum sibi deferret. Et in crastino surrexit sanus et ylaris, sanitati pristine [3] restitutus. Testes dictus Bonifilius, G. Davidi, B. Barri et Pontius Nicholay sacerdos, et clericus et socius eius nomine Castella, et uxor eius Simonna.

7. – De visu.

Aladacis de Massilia vergiera, filia Hugonis vergerii, qui moratur iuxta Sanctum Laurentium, habebat quandam filiam que maculas habebat in oculis, propter quas vix aliquid videbat; quam vovit multis sanctis et oblationes eis pro ea portavit, et nichil gratie ab eis optinere potuit. Audiens autem miracula que Dominus per beatum fratrem Ludovicum operabatur, vovit dicto sancto predictam filiam suam ut, si visum sibi restitueret, ipsam ei duceret cum candela; et statim macule ab eius oculis recesserunt. Et habuerat dictas maculas continue a festo sancti Michaelis et citra. Hoc autem fuit in crastino sancti Mathei apostoli. Testes sunt dicta mater et Gerarda Roberta et Matheuct [4], et multe alie vicine eiusdem.

8. – De dolore capitis.

Audiart Nicholava, que moratur iuxta Piscariam, habebat defectum cordis * et dolorem capitis a festo Omnium Sanctorum et citra. Audiens miracula que Dominus operabatur per sanctum fratrem Ludovicum, vovit quod, si dictus sanctus procuraret cum Deo quod dolorem capitis et defectum sibi auferret, ipsum cum ymagine cerea visitaret. Et statim, emisso voto, a dolore capitis et defectu cordis fuit totaliter liberata. Testis Ricenta Rossa et Aleta et alie vicine. * f

---

[1] Cod. *relavaret.* [2] Cod. *tegendum.* [3] Cod. *pristina.* [4] Sic.

9. - De gutta paralitica [1].

Domina Ricarda Boeria de Massilia, que moratur iuxta Paradisum, passa fuit frequenter guttam que vocatur paralisis. Accidit quod die martis ante festum sancti Michaelis passa fuit ita graviter infirmitatem illam, quod nec loqui poterat, nec intelligere, nec sentire, et os suum retroversum fuit, et timebat fortissime in tantum quod fere omnes eam videre aborrebant et credebant ipsam firmiter ipso die vel in crastino morituram; et hoc accidit sibi bis eadem die in presentia plurimorum. Videntes autem amici et consanguinei illius domine quod sine communione moriebatur, domina Nicholava de Monte Olivo promisit sancto Ludovico quod, si loquelam dicte domine infirme redderet, ita quod confiteri posset et recipere Corpus Christi, unam candelam ei sue longitudinis deportaret. Et statim loquelam recuperavit et sensum, et confessorem suum advocavit. Testes sunt frater Lantelmus et socius suus de Ordine Predicatorum, qui venerant pro confessione dicte domine, et dicta domina Nicholava et Guillelma de Monte Olivo et Riceneta uxor Petri Deodati, et multi alii qui viderunt.

10. - De gutta.

Dominus Gaufridus Richau, miles Massilie, habuerat guttam in brachio sinistro per quindenam, que ipsum vehementissime affligebat. Vovit sancto Ludovico quod, si impetraret cum Domino Iesu Christo quod guttam illam perderet, sibi unum brachium de cera deportaret. Et statim sensibiliter incepit meliorari, ita quod post paucos dies fuit ab illa gutta totaliter liberatus, meritis dicti sancti.

11. - De recuperatione pecunie et infirmitate ronsini.

Guillelmus Pestre gallicus, qui moratur Massilie, quodam die lune, mane, volens emere anonam, ut ex ea panem faceret ad vendendum, ivit ad Bladariam [2] ubi bladum venditur, et posuit in bursa sua circa XII libras regales, ut empto blado precium solveret venditori. Transiens autem per fontem de Canons, ubi equi adaquantur [3], ut ibi manus suas lavaret, et dum lavaret, bursa sibi cecidit in luto; et hoc fuit longe ante
2c ortum solis. Postquam vero circa mediam terciam * bladum emerat et vellet solvere pecuniam venditoribus, non invenit pecuniam neque bursam. Ipse autem credens quod bursa abcisa esset sibi et furata, tristis et dolens de amissione tante pecunie venit ad tumulum sancti Ludovici et rogavit eum ut, si pecuniam sibi restitueret, semper personaliter deserviret. Et statim inde recedens, quesivit diligenter dictam pecuniam in diversis locis, nec poterat signum aliquod invenire. Veniens autem ad dictum fontem, in luto iuxta pedes animalium invenit bursam cum pecunia tota; et inde transiverant, iuxta et desuper, plusquam C homines qui ducebant sua animalia [ad] adaquandum.

Inventa autem pecunia, rediit dictus Guillelmus ad domum suam propriam et invenit ronsinum suum infirmum gravissime, quem sanum reliquerat [4] illo mane. Et duxit eum fere ad omnes marescallos de Massilia, qui omnes quasi uno ore responderunt quod nullum remedium poterat adhiberi. Ipse vero reduxit dictum roncinum ad stabulum et cucurrit ad sanctum Ludovicum, rogans ipsum suppliciter et devote, ut suo roncino redderet sanitatem; quod si faceret, ante suum sepulcrum lampadem unam sibi teneret toto

---

[1] Cod. *palasitica.* [2] Cod. *Blandariam* [3] Supple *sistitit* vel quid simile.
[4] Cod. *relinquerat.*

tempore sue vite. Et, emisso voto, rediit ad domum et invenit dictum suum roncinum curatum plenarie et sanatum, ita quod in crastino ivit, ut consueverat, ad laborem. Testes marescalli tres et Petrus de Iulias nuncius dicti Guillelmi, et Huga Peregrina uxor eiusdem. Et moratur dictus Guillelmus in Panateria.

12. - De febre.

Cecilia de Nicia de Massilia, uxor Hugonis Mageuch, que moratur iuxta Sanctam Mariam Maiorem, habet unicum filium, qui per decem menses omni die febrem fortissimam cum frigore paciebatur et habebat oculos et faciem [1] multum inflatam et lividam, et ita ipsum debilitaverat, quod se non poterat sustentare. Audiens autem dicta Cecilia miracula que Dominus operabatur per sanctum Ludovicum, portavit ad tumulum dicti sancti filium suum predictum et promisit ei quod, si sanitatem sibi restitueret, unam ymaginem de cera sibi portaret et omni die sabbati, quamdiu viveret, cum una candela suum tumulum visitaret. Puer autem veniens ad domum Fratrum Minorum, dormivit supra sepulcrum; et statim incepit sudare fortissime et, modica mora facta desuper, surrexit sanus et incolumis et cepit ambulare, videntibus omnibus, ac si nil * f. mali passus fuisset. Testes * dictus pater et mater et tota eorum vicinia.

13. - De dolore capitis.

Huga uxor condam Guillelmi Andree, que moratur in Panateria, dolorem vehementissimum in capite paciebatur in tantum quod videre non poterat, nec oculos aperire, nec seipsam regere. Et dum esset in illo langore, recordata fuit de miraculis que per sanctum Ludovicum Dominus faciebat. Fecit votum dicto sancto Ludovico quod, si dolorem illum a suo capite amoveret, sepulcrum suum personaliter visitaret et sibi caput cereum deportaret. Et in crastino mane surrexit sana et incolumis, et ivit ad lucrandum, ut consueverat, panem suum.

14. - De febre et dolore cordis.

Ermessendis bruniera, filia Hugolini fusterii, que moratur in Blancaria, habebat febrem fortissimam cum frigore omni die, que ipsam tantum affligebat, quod se non cognoscebat. Et cum semel arripuisset eam, vovit sancto Ludovico ut, si febrem illam sibi auferret, unam candelam sue longitudinis deportaret; et ex tunc febrem non habuit.

Set in crastino dolor cordis vehemens ipsam arripuit, qui tantum ipsam affligebat, quod nullus sperabat de ipsius vita. Et ideo confessa fuit et, sicut in proximo moritura, recepit Domini Sacramentum. Tunc ipsa recordata fuit de gratia in amissione febris, quam beatus Ludovicus sibi cum Domino impetraverat. Iterato emisit votum quod, si dolorem illum cordis sibi auferret, cingulum sibi cereum deportaret; et statim fuit a dolore illo penitus liberata. Testis na Legra [2] mater sua, et tota eius vicinia.

15. - De febre terciana.

Guillelmus Martini, nepos Guillelmi Elie, infirmus fuit per quinque septimanas de simplici terciana. Audiens miracula que Dominus operabatur per merita sancti fratris domini Ludovici, misit ancillam suam, quia ire ipse personaliter non poterat, ut cingeret tumulum sancti Ludovici. Et, facta candela illius longitudinis, cinxitque [3] illa candela

---

[1] Cod. *faciam*. [2] Id est, *domina Legra*, uti saepius infra. [3] Cod. hic certe omittit, quod ancilla prius tumulum cinxit, deinde rediit cinxitque...

ipsum infirmum hora qua eum febris accipere consueverat. Et nunquam postmodum passus fuit. Testis dicta ancilla.

16. - De febre et apostemate.

Iulianus unicum filium habuit continua [1] cum apostemate in gutture sic gravatum, ut nichil posset penitus transglutire et [2] febris acumine frenesi laboraret. Qui facto voto ad dominum sanctum fratrem Ludovicum et quod ipsum cum ymagine liberatum duceret ad eius sepulcrum, statim apostema evom[u]it et tam febre quam apostemate plenarie
f. 3v est curatus. Testes pater * et mater, puer Laurencius Porceli et plures alii vicini.

17. - De visu.

Stephanus Tarasconi, apothecarius Massilie, tantam incurrerat obscuritatem et caliginem oculorum, ut vix videre posset, et modicum candele quasi magna facula videretur. Facto autem voto quod, si dominus et sanctus frater Ludovicus ei subveniret [3], ei unum caput cereum deferret, obtinuit illico quod petiit, et quod voverat adimplevit.

18. - De pessima infirmitate.

Poncia Venella de Massilia habuit filiam lactantem, quam infirmitate valde gravatam bene per quinque ebdomadas custodivit. Et cum [4] esset sic consumpta et agravata, quod videretur penitus expirasse [5], parentes eius fecerunt votum sancto et domino Ludovico quod, si redderet ei[s] filiam suam, sibi cum proprio sudario presentarent; quod fecerunt cum magnis lacrimis ad devotionem. Et sic stando ibi ad eius tumulum ipsa [6] et mater et avia, dicta puella cepit flere, que ante vix poterat respirare, et ibidem cepit coram pluribus Fratribus et secularibus suggere mammas matris, sanata et restituta plenarie sanitati.

19. - De febre terciana.

Puella quedam, filia Petri de Sancto Cannato boterii de civitate Massilie, fuit detenta infirmitate tam dure febris terciane, ita quod hora ascensionis [7] faciebat tantum stridorem dentium atque suspirium, quod assistentes [8] plures excitabat [9] ad fletum. Parentes vero eius promiserunt [10] domino et sancto fratri Ludovico quod, si sanaret eam, cum proprio sudario eam ad sepulcrum eius presentarent. Erat sic atenuata et consummata ex febre, quod vix sibi remanserant nisi ossa. Facto vero voto, penitus est curata. Testes super hoc familia domus et parentes.

20. - De febre acuta.

Frater Petrus Scaransonus, Ordinis Minorum, cum febre acuta continua et frenesi [11] laboraret in tantum quod de eius curatione desperabant omnes medici, qui tunc erant Brinonie pro infirmitate domini Ludovici, de qua omnes desperabant, una die petiit quod sibi daretur aliquid de reliqui[i]s mense domini Ludovici tunc egrotantis. Quod factum extitit; et ipso [12] sumpto cibo, sine omni naturali termino die

---

[1] Cod. *continuam*; om. *febri*, sicut et passim. [2] Cod. *ut*. [3] Cod. repetit *quod*. [4] Cod. om. [5] Cod. *aspirasse*. [6] Cod. *ipsi*. [7] Vel *accessionis*, i. e. febris. [8] Cod. *acistententes* (sic). [9] Cod. *exitabat*. [10] Cod. add. *eam*. [11] Cod. *freney*. [12] Forte legendum *ipse*.

decima extitit plenarie liberatus; et post duos dies quasi totaliter vigori pristino [1] restitutus. Testes Fratres plures, medici et seculares.

21. - De febre.

Cardoana de Auriolo, que moratur iuxta Syon, febrem paciebatur fortissimam cum frigore vehementi. Venit ad sepulcrum sanctissimi Ludovici et stetit aliquan-*diu super ipsum sepulcrum; et statim penitus sanata surrexit, nec aliquid mali postmodum passa fuit. Testes eius vicinia. * f.

22. - De febre quartana.

Hanricus [2] Girvasii de Massilia, qui moratur iuxta Lapidem, erat quartanarius. Venit ad sepulcrum beati Ludovici et dormivit desuper; et post paululum sanus surrexit et incolumis, nec postmodum febrem illam nec aliam passus fuit. Testes sunt omnes de domo sua, et Bertrandus iuvenis et Isnardus de Cavalo, marinarii.

23. - De febre terciana duplice.

Domina Ayglina uxor Bertrandi Ros, que moratur in Blancaria, passa fuit tercianam duplicem per tres septimanas, que ipsam plurimum affligebat et in tantum quod vix se poterat sustentare, ymo de salute sua omnes [3] et alii desperabant. Audiens miracula que Christus operabatur per merita sanctissimi Ludovici, emisit votum dicto sancto Ludovico quod, si eam a predicta febre liberaret, sibi suum sudarium deportaret; et statim, facto voto, a febre fuit totaliter liberata, nec postea passa fuit. Testes omnes de domo sua et tota eius vicinia.

24. - De febre et dolore capitis.

Iohanneta Boisona, que moratur in burgo [4] Sancte Clare, paciebatur febrem cum dolore capitis vehementissimo in tantum quod sicut enrabiada [5] et insanis [6] loquebatur. Et venit sibi tantum desiderium quod voveret se sancto Ludovico, quod non poterat aliud cogitare; et videbatur sibi quod ipsum ante se visibiliter videret. Et tunc vovit beato Ludovico quod, si febrem et dolorem capitis auferret, sibi ad sepulcrum unum caput cereum deportaret; et statim a dolore capitis et febre liberata extitit et sanata. Testes Maria de Berra soror sua, et Dulceta de Sancto Cannato et tota vicinia.

25. - De dolore capitis et dentium.

Rixendis Vincencia, que moratur in Cavallo, dolorem in capite et in dentibus paciebatur vehementissimum et in tantum quod sensum penitus amiserat et intellectum. Venit ad eam quedam vicina sua et dixit quod voveret se gloriosissimo sancto Ludovico, et statim curaretur; quod et fecit. Et postmodum dolorem in capite nec in dentibus nullum sentivit. Testis Petrus Vincencii vir suus, et Durantus Vincencii frater eius.

26. - De dolore cordis.

Sansa Raymunda, que moratur iuxta macellum, dolorem cordis passa * fuerat per quinque septimanas vehementissimum in tantum quod enrabiada videbatur et insanis, * f.

---

[1] Cod. *pristine*. [2] Sic. [3] Supple: *de domo* vel quid simile. [4] Id est: hac oppidi Massiliae parte. [5] Id est furens rabie. [6] Sic.

nec remedium aliquod a medicis vel ab aliis poterat invenire, quamvis multa fecisset experimenta, et tamen nichil sibi penitus profuerunt. Audiens mirabilia que Dominus operabatur per merita sanctissimi Ludovici, vovit ei quod, si eam a dolore cordis liberaret, sibi unam ymaginem ceream deportaret. Et incontinenti fuit a dolore cordis integre liberata. Testis Sibilia Resplandina, que moratur in domo sua.

27. - De macula in oculo.

Mabilia Arnolsa[1], que moratur in Blancaria, habebat quendam nepotem, filium filie sue, qui maculam pessimam habebat in oculo dextro, et crescebat cotidie nimium in tantum quod, si aliquantulum continuasset, sibi totum oculum occupasset. Dicta autem Mabilia, amita[2] sua, vovit beatissimo Ludovico quod, si puerum a macula oculi liberaret, sepulcrum suum cum dicto puero et uno oculo cereo visitaret; et statim puer, emisso voto, fuit a macula sui oculi penitus liberatus. Testis Guillelmus Ros pater pueri, et Hugueta mater sua.

28. - De febre continua et morbo oculi.

Berengaria Olivaria, que moratur iuxta Sanctam Mariam de Acuis, infirmata fuit gravissime de febre continua, et postquam de febre liberata extiterat, visum dextri oculi amisit totaliter; nec videre ab oculo illo potuit per mensem, quamvis oculum illum, non sine admiratione omnium qui videbant, ita pulcrum sicut et alium habuerat. Desperata igitur quod nunquam amodo visum recuperare posset, vovit gloriosissimo sancto Ludovico quod, si visum sibi in illo dextro oculo redderet, candelam unam[3] et oculos cereos deportaret. Et inmediate visum recuperavit optatum, ita quod, emisso voto, eque bene vidit ab illo oculo a quo nichil ante videbat, sicut cum [altero] qui nichil mali passus fuerat. Testis Peyroneta et Dulcelina et alie vicine eius.

29. - De inflatura pedis.

Guillelmus filius condam Raymondi alausarii[4] et Aladaycis, qui moratur in Piscaria, quodam die ludebat cum uno puero, et incaute proiciens pedem sinistrum contra unam tabulam, eiecit pedem de loco suo, et post paululum pedem illum habuit sic inflatum quod vix poterat ipsum sustentare[5]. Puer autem audiens miracula que Dominus operabatur per merita sanctissimi Ludovici, venit ad sepulcrum dicti sancti, licet cum labore 5r maximo et dolore, et vovit * beatissimo Ludovico quod, si ipsum a dolore pedis liberaret, sibi unum pedem cereum deportaret. Et statim, emisso voto, ad domum propriam rediit plenarie liberatus, nec postea in pede illo dolorem nec mali aliquid passus fuit. Testis na Aleta et Iohannes vir filie sue, et alii de domo illa in qua moratur.

30. - De gutta.

Andreas Ymberti marinarius, qui moratur iuxta Sanctum Iohannem, habuerat guttam in anca, in crure et in genu, per quadriennium vel circa. Audiens miracula que Dominus operabatur per merita sanctissimi Ludovici, venit ad suum tumulum et vovit quod, si guttam illam que tam diu sibi duraverat ei auferret, unam coxam de cera [cum] tibia deportaret. Et statim sensibiliter sentiit et audivit frangorem[6] nervorum velut quando

[1] Sic. [2] Cod. *amica*. [3] Cod. *suam*. [4] Cod. *alausa*. cum puncto finali. [5] Cod. *sustantare*. [6] Sic.

ligna sicca franguntur; et inmediate recessit plenarie curatus, nec postea aliquid mali sentiit. Testes omnes de domo sua et vicini eius.

31. – De febre.

Berangaria Mayna uxor Bertrandi May[ni], qui moratur in Bladeria, passa fuerat tercianam simplicem per tres septimanas. Audivit mirabilia quae Dominus operabatur per beatum Ludovicum; vovit dicto sancto quod, si febrem illam sibi auferret, unam ymaginem de cera sibi portaret; et statim, emisso voto, fuit a febre totaliter liberata. Testes Bertrandus predictus vir suus et alii de domo sua, et Bertranda Floquessa et alie vicine.

32. – De infirmitate oculorum.

Vivaudus Michaelis nuncius curie Massiliensis, qui moratur iuxta Augustinos, infirmitatem oculorum passus fere per mensem fuerat in tantum quod vix videre poterat [nec] ambulare; quamvis multa fecisset unguenta et alia, et tamen nullum remedium poterat invenire. Et dum iret Niciam pro dicta curia, audivit in via de miraculis beati Ludovici; vovit quod, si ipse ab illa oculorum infirmitate ipsum liberaret, sibi duos de cera oculos deportaret. Et statim fuit curatus ob merita dicti sancti. Testes sunt multi, quos ipse nominabit.

33. – De paraliticato.

Laurentius Pauli faber lignarius, qui moratur in via Emendatorum, fuit paraliticatus in toto latere sinistro in tantum quod cum aliquo menbro * suo iuvare se non * f. poterat nisi cum manu dextera, et defectum nature patiebatur; et hoc habuit per IIII^or menses et amplius, ita quod nec movere se poterat, nec vertere, nisi sicut ab aliis movebatur. Audivit sic existens in lecto semimortuus, ut infirmus dixit, a filio suo Guillelmo Pauli miracula que Dominus operabatur per merita sanctissimi Ludovici. Emisit votum dicto sancto quod, si ipsum ab illis infirmitatibus liberaret, unam sibi ymaginem ceream deportaret. Et inmediate, facto voto, incepit meliorare, ita quod post paucos dies sepulcrum suum cum devotione mirabili et multis lacrimis personaliter visitavit. Testes dictus Guillelmus Pauli et alii de domo sua, et vicini et vicine eiusdem.

34. – De gutta in pedibus.

Raymundus Giraudi de Auriolo, qui ibidem moratur, guttam habuerat in pedibus et genibus per septem septimanas et amplius in tantum quod pro aliqua necessitate corporis de lecto surgere non valebat. Venit ad eum dominus Raymundus Esparro et dixit quod se voveret sanctissimo Ludovico, si volebat cito curari, quia mira Deus operabatur per merita dicti sancti. Et ipse infirmus tunc vovit quod, si ipsum ab illa gutta liberaret, sepulcrum suum cum duobus pedibus de cera personaliter visitaret. Et inmediate, emisso voto, videbatur sibi sensibiliter quod sicut de fonte aqua descenderet per tibias et exiret per pedes. Et statim fuit curatus plenarie, ita quod eodem die versus Massiliam arripuit iter suum et venit usque Albaniam [1]. Et in crastino sepulcrum suum, ut promiserat, cum duobus pedibus de cera Massilie visitavit, pedibus suis semper sine vehiculo

---

[1] Id est oppidum vulgo: « Aubagne ».

vel adiutorio alio ambulando. Testes dominus Raymundus predictus et multi alii de dicto castro.

35. - De febre.

Cecilieta Blanca uxor Petri Beviaygas, qui moratur in Freneria, febrem tercianam simplicem passa fuit satis diu, que ipsam plurimum affligebat. Vovit beato Ludovico quod, si illam ab illa febre liberaret, candelam unam sue longitudinis deportaret. Et statim fuit a dicta febre plenarie liberata. Testes dictus Petrus vir suus et alii de domo sua, et vicini et vicine eorumdem.

36. - De dolore in oculis.

Alayeta Martina uxor Pontii[1] Martini notarii, que moratur in Frenaria, dolorem vehementissimum paciebatur in oculis in tantum quod nil videbat penitus, nec quie-
f. 6r scere poterat, nec dormire. Tunc predictus * vir suus Ponticius[2] Martini dixit ei quod, si curari volebat, voveret se beatissimo Ludovico, quia per merita ipsius miracula Dominus operabatur. Et ipsa, audito hoc, vovit devote dicto sancto Ludovico quod, si eam ab illo dolore et oculorum infirmitate liberaret, sepulcrum suum cum duobus oculis cereis visitaret. Et statim inmediate visum recuperavit optatum, et fuit a dolore illo plenarie liberata. Testes dictus Poncius[3] vir suus, et alii de domo sua et de vicinia.

37. - De dolore in collo.

Guillelmus de Sancto Martino, qui moratur in burgo de Syon, dolorem per octo dies continuos passus fuit in collo in parte dextera in tantum quod spuere non poterat nisi cum maxima violencia et dolore. Bertranda vero uxor sua dixit ei quod voveret se gloriosissimo sancto Ludovico et, si eum ab illo dolore liberaret, unum caput cum collo de cera sibi portaret, quod et fecit. Et statim fuit ab illo dolore liberatus per merita dicti sancti. Testis dicta Bertranda uxor sua, et alii de domo sua et vicinie.

38. - De dolore in oculis.

Bartholomeus clericus, qui docet pueros domini Iacobi Martini et Bartholomei Bonvin, infirmitatem permaximam passus fuerat in oculis per quinque septimanas vel circiter in tantum quod quasi non videbat. Intelligens per aliquos miracula que Dominus operabatur per merita sanctissimi Ludovici, fecit votum quod, si ipsum a dicta infirmitate oculorum liberaret, duos oculos sibi cereos deportaret; et statim, emisso voto, fuit plenarie liberatus. Et tamen antea videre non poterat, nec[4] scribere, nec pueros docere. Testes illi de domo dictorum dominorum.

39. - De morbo vocato « bon ».

Marieta Marcella filia domine Marie Marcelle, que moratur in via que vocatur de Iherusalem, infirmitatem quandam que vocatur « *mal bon* » paciebatur in manu dextera, que ipsam plurimum affligebat in tantum quod comedere vix poterat nec[5] quiescere, nec dormire. Audiens miracula que operabatur Altissimus per merita gloriosissimi et sancti Ludovici, vovit dicto sancto quod, si ipsam ab illa infirmitate liberaret, manum

[1] Sic. [2] Sic. [3] Sic. [4] Cod. om. [5] Cod. om.

unam de cera sibi portaret. Et statim, facto voto, crepuit infirmitas, et fuit totaliter liberata. Testes omnes de domo sua.

40. – De morbo vocato cancro.

Aycelena Rebolla, uxor condam Guillelmi Rebol de Ventabren, cancrum [1] ut fistulam passa fuit fere per triennium. Audivit de miraculis que Dominus * per sanctum Ludovicum operabatur. Vovit sancto Ludovico quod, si ipsam ab ipsa infirmitate curaret, unam tibiam cum pede de cera sibi daret et sepulcrum suum personaliter visitaret. Et statim, facto voto, incepit curari in tantum quod, postquam fecerat votum, secunda die venit Massiliam, suis pedibus sine aliquo adiutorio ambulando. Testes omnes de domo sua [2], et multi de castro suo. * f. 6

41. – De dolore capitis.

Nichola Galardo Iannensis [3] dolorem vehementissimum fere per xxx^ta^ dies in capite passus fuit in tantum quod frequenter videbatur sibi quod totus mundus rotaret. Venit ad eum quidam et dixit ei quod, si vellet cito ab illo dolore curari, voveret gloriosissimo dicto Ludovico unum caput de cera; quod et fecit. Et ei caput unum de cera, ut promiserat, deportavit; et statim ab illo dolore plenarie fuit curatus per merita dicti sancti. Testes Stephanus Rey et multi alii.

42. – De suscitatione cuiusdam mortui.

Pontius Duranti, qui moratur iuxta Sanctam Mariam de Acuis, quemdam habet filium puerum, Petrum nomine, qui febrem continuam passus fuit per multos dies; et quamvis medicorum consilio multa medicinalia sibi fecissent, nichil penitus sibi profuerunt, ymo febris continue [4] augmentabatur in tantum quod deduxit usque ad mortem puerum, ita quod nullum in eo signum curationis vel vite remansit, iudicio medicorum; ymo amiserat omnes sensus vitales, videlicet intellectum, visum, auditum pariter et loquelam, et tenebant sibi ante os suum candelam benedictam, sicut illi de quo sperabatur quod statim debebat expirare. Pater autem qui assistebat puero filio suo, videns filium suum quasi mortuum, ymo mortuum, ut asserit magister Manent medicus pueri, quia tantum sperabat de vita ipsius quantum [5] de vita illius qui in cimiterio est sepultus, elevavit manus suas ad celum et oculos cum lacrimis [et] ait: « Sancte Ludovice, sana michi filium meum; quod si feceris, tibi suum sudarium deportabit ». Et vix medicus ad domum suam redierat, quod nuntius unus secutus est eum, dicens ei quod revixerat puer ille, meritis sanctissimi Ludovici, quem statim sepeliendum credebat. Et in crastino dictus puer beato Ludovico cum una candela suum sudarium indutum [6] deportavit. Testes dictus magister Manent medicus, pater et mater dicti pueri, et omnes de domo sua.

43. – De febre cum apostemate.

* Bertrandus Novus, qui moratur in Coltellaria, febrem patiebatur cum apostemate et vomitum, ita quod [7] nichil quasi retinere poterat, nec remedium aliquod poterat invenire, ymo de eius vita medici et eius consanguinei desperabant. Martha autem uxor dicti Bertrandi, tristis et dolens de infirmitate viri sui, ipsum vovit sanctissimo Ludo- * f.

---

[1] Cod. *crancum*. [2] Cod. *suo*. [3] Cod. *Ianen*. [4] Cod. *continut*.
[5] Cod. *quam*. [6] Sic. [7] Cod. bis *ita quod*.

vico, ut suasum sibi extiterat per vicinos, quod si sanitatem Bertrando sepedicto [1] viro suo restitueret, sibi ymaginem suam de cera deportaret. Et statim, quodam scilicet die, ab omnibus illis infirmitatibus fuit plenarie liberatus. Testis Martha predicta uxor ipsius, et omnes alii de domo sua et vicini.

44. - De febre terciana.

Petrus Vivaudi iuvenis filius Raymundi macellarii, qui moratur iuxta balnea Iohannis Vivaudi, passus fuit tercianam duplicem circiter per sex septimanas, et fuit quasi continue sub regimine medicorum, et nichil sibi penitus profuerunt. Audivit a multis mirabilia que Dominus operabatur per merita sanctissimi Ludovici. Vovit se ei dicens quod, si febrem illam tercianam, que tam diu sibi duraverat, auferret, unam ymaginem de cera sibi portaret; quod et fecit. Et statim fuit a febre illa plenarie liberatus. Testis dictus pater iuvenis et Berengaria mater sua.

45. - De quibusdam rebus recuperatis.

Laurencius Porcelli de Massilia, qui moratur in Coltellaria, quemdam suum socium miserat in Ciciliam (annus erat transactus) pro recuperandis quibusdam rebus ablatis eis per Siculos vel piratos. Quem credebat esse defunctum, quia sex menses iam transiverant et amplius, quod de ipso rumores non acceperat, ymo credebat res et personam totaliter amisisse. Audivit quod gloriosus sanctus Ludovicus cum Deo omnia impetrabat, illis specialiter qui ad eum devote recurrebant. Emisso voto dicto sancto quod, si ipse cum Deo sibi obtineret quod rumores qualescumque de predicto suo socio cito sciret, suum sepulcrum sibi recingeret cum candela. Et post paucos dies litteras predicti sui socii recepit, quod prospere facta sua fecerat et erat in civitate sanus et incolumis gratia Ihesu Christi.

46. - De febre terciana simplici.

Maria Daunissa, que moratur iuxta Sanctum Martinum, tercianam simplicem passa fuerat per octo dies. Fuit dictum quod voveret se beatissimo Ludovico et statim curaretur. Et vovit dicto sancto quod, si ipsam ab illa febre liberaret, unam candelam f. 7v sue longitudinis deportaret. Et statim, emisso voto, fuit a febre * totaliter liberata.

Simile per omnia accidit Francisqueto filio dicte Marie, qui tercianam duplicem passus fuerat per quindenam. Testis Hugueta uxor Guillelmi fabri, et alii multi de vicinia sua.

47. - De mitigatione cordis creditoris.

Ermessendis de Ciminias, que moratur in Borsaria, debebat octo libras cuidam creditori, qui omnino, undecumque [2] venirent, habere dictas octo libras volebat certa die; et nisi hoc faceret, minabatur sibi quod per curiam Massilie tantum de rauba sui hospicii acciperet, donec esset ei plenarie satisfactum. Dicta vero domina timens ipsum et curiam, nec habens unde satisfacere posset, vovit sancto Ludovico quod, si cor creditoris mitigaret ita quod eam non gravaret nec verecundiam sibi faceret, suum sepulcrum sibi restringeret cum candela. Et statim creditorem mitem [3] et pacificum habuit sicut agnum, et ei ad voluntatem suam plenarie satisfecit. Testis creditor et domina supradicta.

[1] Sic. [2] Cod. *undicumque*. [3] Cod. *mittem*.

48. - De febre.

Guillelmus Baussech de Massilia, qui moratur iuxta fontem Iudaycum, quamdam filiam habet parvulam duorum annorum et duorum mensium, que febrem per mensem passa fuit omni die. Vovit beatissimo sancto Ludovico quod, si filie sue predicte febrem auferret, dictam puellam sibi cum candela sue longitudinis deportaret. Et statim fuit a febre illa totaliter liberata. Testes dictus Guillelmus pater puelle, et omnes de domo sua.

49. - De oculis.

Brunescendis Garibota filia condam Petri Guillelmi, que moratur in carreria [1] Sancti Antonii, oculos reversatos habebat et albos ita quod nichil nigredinis in suis oculis apparebat; tamen nullum dolorem in eis sentiebat, nec aliquid cum eis videbat, quamvis medicinalia de aquis et aliis fecisset, nec ullum [2] remedium potuit invenire. Domina autem Cecilia, uxor domini Guillelmi de Fonte, dixit dicte Brunescendi quod, si vellet visum recuperare, voveret sanctissimo Ludovico quod, si visum sibi restitueret, duos oculos de cera sibi deportaret; quod et fecit. Et post paululum oculi reversi sunt in locum suum, et vidit plenarie sicut ante. Testes Guillelmus de Fonte et domina Cecilia predicta uxor sua, et multi alii de carreria illa, qui hoc viderunt.

50. - De febre quartana et dolore capitis.

Dulcia Peregrina, que moratur cum domina Hugua de Sancto Honorato, febrem quartanam paciebatur et dolorem capitis vehemen-*tissimum, ita quod videbatur sibi et cre- * f.
debat firmiter quod oculi statim deberent saltare de capite, nec remedium aliquod poterat invenire. Audivit et vidit quod dicta domina Hugua curata extiterat per merita sanctissimi Ludovici. Vovit dicto sancto quod, si dolorem illum a capite suo auferret, sibi caput unum cereum [3] deportaret; et statim fuit a febre et dolore capitis penitus liberata. Testis dicta domina Hugua et alii de domo sua.

51. - De dolore in coxa.

Marinus de Laureria de Bolcodenas dolorem vehementissimum in utraque coxa iuxta genua paciebatur, quia tempore vindemiarum, scilicet [4] quando impetuose et incaute animalia sua ducebat, cecidit super saxa, et fuit ei visum quod coxas sibi totaliter fregisset; et quamvis emplaustra multa et alia medicinalia sibi fecisset, nullum tamen remedium poterat invenire. Aycardus de Areis, qui moratur Massilie prope portale Sancti Martini, dixit dicto Marino quod voveret se gloriosissimo sancto Ludovico et liberaretur ab omni dolore coxarum, sicut ipse curatus extiterat a dolore brachii, quem per biennium passus fuerat, per merita dicti sancti. Et fecit votum predicto sancto quod, si [5] a dolore illo coxarum ipsum liberaret, sibi deserviret toto tempore vite sue et sibi unam candelam ceream deportaret. Et sepulcrum suum sustentando se baculo visitavit, quia aliter ire non poterat, et post paululum recessit liberatus a tumulo dicti sancti. Testes sunt multi quos ipse nominabit.

52. - De febre continua.

Guillelmus Michaelis pelliparius de Massilia, qui moratur in Pelliparia, febrem continuam paciebatur cum apostemate, et in tantum ipsum deduxerant, quod omnes medici

[1] Cod. *quarreria*. [2] Cod. *nullum*. [3] Cod. *cererum*. [4] Cod. *se*. [5] Cod. add. *eum*.

ipsum reliquerant tanquam de eius vita penitus desperati. Ipse autem recordatus de miraculis que Dominus operabatur per merita sanctissimi Ludovici, vovit dicto sancto quod, si ipsum [1] ab illis infirmatibus liberaret, unam de cera ymaginem deportaret; et statim, emisso voto, ab illis infirmitatibus liberatus est [2]. Testis Peyrona et liberi eorumdem.

53. - De dolore.

Georgius de Acre dolorem vehementissimum paciebatur in ancha in tantum quod non poterat se nisi cum violencia permaxima inclinare. Venit ad eum quidam puer missus a Guillelmo Anglico et dixit ei ex parte dicti Guillelmi, ut se promitteret sancto Lu-
f. 8v dovico et statim liberaretur. Quo audito, venit ad se-*pulcrum dicti sancti cum ancha una et tibia de cera, et stetit modicum super illud; et recessit plenarie curatus propter merita dicti sancti. Testes dictus Guillelmus Anglici [3] et Nicholaus de Gorga et Iacobus de Marfa et alii multi.

54. - De dolore dentium et oculorum.

Petrus Cresten, qui moratur in Curataria, quandam infirmitatem passus fuerat in oculis per biennium et amplius, ita quod continue quasi lacrimabantur. Postmodum venit sibi dolor in dentibus et ita vehemens quod comedere non valebat. Ipse autem videns se sic afflictum duplici infirmitate et audiens mira que Dominus operabatur per gloriosissimum Ludovicum, dixit hec verba: « O sancte Ludovice, postquam omnes curas a quibuscumque infirmitatibus, libera me ab istis infirmitatibus dentium et oculorum; quod si feceris [4], unum caput tibi deportabo de cera ». Mirabile dictu! Vix verbum compleverat, quod fuit ab illis infirmitatibus plenarie liberatus. Testis Andrea uxor sua et omnes alii de domo sua et Hugueta soror sua.

55. - De febre terciana.

Adaycis Boissona beguina, que moratur iuxta fratres Minores, continuam simul et tercianam passa fuit per tres septimanas, que vehementer ipsam affligebant, nec remedium aliquod poterat invenire. Venerunt ab eam plurimi dicentes quod, si voveret unam ymaginem beatissimo Ludovico, inmediate curaretur. Ipsa vero respondebat quod non credebat quod ipse talem et tam magnam peccatricem exaudiret. Videns autem quod febris non diminuebatur [5], ymo potius augmentabatur, emisit votum dicto sancto Ludovico quod, si infra diem dominicam febres illas sibi auferret, ymaginem unam de cera de una libra sibi portaret. Et inmediate fuit ab illis febribus curata plenarie et sanata. Testis na Polpaira et vicini plurimi et vicine.

56. - De vindicta.

Beatrix de Auriolo, que moratur in via Forensium [6], venit quodam die ad sepulcrum gloriosissimi Ludovici, et videns ymagines cereas quas curati [7] portabant ad dictum sanctum, et audiens miracula que Dominus operabatur per merita ipsius, fidem [8] plenam [non] adhibuit, ymo fecit aliqualiter trufam suam. Rediens autem ad domum suam, posuit se ad mensam, ut [9] panem scinderet. Incaute ducens cultellum, scindit [10] sibi policem usque ad os per medium unguis, et exivit sanguis in maxima quantitate, et ha-

[1] Cod. *ipse*. [2] Cod. om. [3] Sic. [4] Cod. *fecerit*. [5] Cod. *diminuebatur*.
[6] Cod. *Forentium*. [7] Cod. *curari*. [8] Cod. *et*. [9] Cod. *et*. [10] Sic.

bebat ibi dolorem vehementissimum. Tunc recordata * fuit de dubio quod habuerat de miraculis dicti sancti. Clamavit ad sanctum Ludovicum quod, si ipsam curaret, adhiberet in suis miraculis fidem plenam; et posuit desuper pannum lineum tantum. Mirabile dictu! Post paululum, infra unam horam, sensit se a dolore isto totaliter liberata, et amovit pannum et invenit unguem solidatum [1] totaliter et sanatum, ita quod nichil aliud nisi cicatrix tantummodo apparebat. Testes Raymundeta et Hugueta, que tunc morabantur in domo sua.

57. - De febre terciana.

Nycholava Malcausada uxor Raymundi Peyson, que moratur iuxta fontem Iudaycum, passa fuit tercianam ad minus per xv dies, que ipsam plurimum affligebat. Venit ad eam na Malcausada, mater sua, et dixit ei quod sanctus Ludovicus infinita miracula faciebat vel Deus per eum, et quod promitteret se sibi et statim curaretur ab illa infirmitate. Quod et fecit, ita quod, si ipsam ab ista febre liberaret, candelam unam sue longitudinis deportaret. Et statim fuit ab illa febre curata penitus et sanata, nec illam nec aliam postmodum passa fuit. Testis predicta Malcausada sua mater, et familia tota de domo sua.

58. - De febre et [2] scrolis.

Bertranetus de Nantz [3], filius Guillelmi de Nanth [4], puer quatuor mensium, febrem paciebatur fortissimam in tantum quod mammas suggere non valebat. Nutrix autem sua, Peirona, vovit sanctissimo Ludovico quod, si puerum ab illa infirmitate liberaret, unam sibi ymaginem deportaret; et statim fuit dicti sancti gratia plenarie liberatus.

Quasi simile accidit sorori predicti pueri [5]. Paciebatur enim iudicio multorum escrolas, nec remedium aliquod a medicis poterat invenire. Pater autem puelle et mater voverunt ipsam dicto sancto Ludovico quod, si puellam ab illa infirmitate scrolarum liberaret, unum sibi caput cum collo cereum deportarent [6]. Et statim fuit gratia dicti sancti plenarie liberata. Testes pater et mater et omnes alii de domo eorumdem.

59. - De quodam infante qui non erat natus termino competenti.

Iohanna Benedicta uxor Petri Benedicti, que moratur in Speciaria, quemdam peperit filium, die tercia ante festum sancti Laurencii, tempore illo quo beatissimus sanctus Ludovicus migravit ad Dominum [7]. Qui fere plorabat continue nocte et die, nec vitalem ipsum credebant, existimantes ipsum non * esse de tempore. Dictus autem Petrus Benedictus dixit uxori sue Iohanne predicte, quod mirabilia Dominus operabatur per merita dicti sancti Ludovici, et sciat certissime quod, si promitteret filium suum predicto sancto Ludovico, statim curaretur puer et cessaret plorare. Quo audito, vovit mulier dicto Ludovico quod, si salvaret sibi filium suum et quod cessaret plorare, unam cinam [8] cum uno puero intus totum de cera sibi portaret. Inmediate, emisso voto, cessavit puer plorare et sucxit mammas et fuit curatus ab omni infirmitate, meritis et precibus sancti Ludovici. Testes pater et mater predicti et omnes de domo eorumdem.

---

[1] Cod. *solidatam*. [2] Cod. om. [3] Sic. [4] Sic. [5] Cod. add. *qui*. [6] Cod. *deportaret*. [7] Festum S. Laurentii, 10 augusti; mors S. Ludovici, 19 augusti 1297. [8] Sic, vel minori evidentia, *tina*. Sed stat pro *cuna*.

60. - De palafredo.

Rychau de Massilia unum palafredum habebat valde pulcrum. Contigit quod infirmitas quedam gravissima arripuit dictum palafredum, pro qua advocari fecit omnes marescallos de Massilia, nec fuit unicus qui diceret quod remedium posset aliquod adhiberi. Predictus autem Richau, videns quod palafredus suus moriebatur, dixit: « Sancte Ludovice, sana michi, si placet, palafredum meum; et si feceris [1], unum equum tibi de cera mittam ». Et inmediate, facto voto, palafredus fuit plenarie ab illis infirmitatibus liberatus. Testes omnes de domo sua.

61. - De febre.

Iohannes Marini, qui moratur in macello iuxta Sanctam Mariam de Acuis, febrem paciebatur cum defectu naturae, ita quod quasi deficiebat, et specialiter semel, in tantum quod intellectum amiserat et sensum. Recuperato aliqualiter sensu suo, sic quod intelligere aliquid [2] poterat, recordatus fuit de hiis que audiverat de beato Ludovico. Vovit eidem quod, si sanitatem ei restitueret, sibi unam candelam sue longitudinis deportaret. Et in crastino surrexit sanus et incolumis, gratia et meritis dicti sancti. Testes omnes de domo sua.

62. - De inflata tibia.

Barral macellarius, qui moratur in macello veteri, tibiam inflatam habebat occasione cuiusdam lapidis, qui desuper sibi ceciderat in sepultura cuiusdam mulieris. Habebat etiam dolorem in capite et ita magnum, quod aliquando visum et sensum quasi totaliter amittebat, propter ictus quos acceperat in quadam armata. Qui quidem fere per decennium sibi duraverat, nec remedium aliquod a medicis vel ab aliis poterat invenire. Videns autem et intelligens mirabilia que Dominus operabatur per merita sanctissimi Lu-
10r dovici, vovit dicto sancto * quod, si ipsum ab infirmitate tibie et dolore capitis liberaret, unum caput de cera et tibiam deportaret. Et inmediate sensit se curatum totaliter et sanatum. Testes Dulcia mater sua, uxor et filie, et alie de domo sua.

63. - De febre terciana.

Raymunda Palyera, que moratur in carreria « dels Remiers », passa fuit febrem que terciana simplex vocatur, per annum et tres menses vel circiter. Fuit sibi dictum a pluribus quod sanctus Ludovicus auferebat febres, illis specialiter omnibus qui devote se sibi promittebant; et si ipsa promitteret se sibi, crederet firmiter quod ei auferret penitus dictam febrem. Tunc ipsa vovit se dicto sancto Ludovico quod, si [3] predictam febrem, que tam diu sibi duraverat, sibi auferret, cum una candela de cera suum tumulum recingeret. Et statim fuit curata a febre illa pessima; nec postea passa fuit [nisi] semel, que ipsam arripuit super suum tumulum, facto voto. Testes omnes vicini sui et vicine.

64. - De febre terciana duplici.

Petrus Ysnardi, qui moratur supra Sanctum Iohannem, febrem tercianam duplicem habuerat per duos menses et guttam in capite, que sibi duraverat per magnum tempus. Quodam die dominico, audiens mirabilia que Christus operabatur per merita sanctissimi

[1] Cod. *fecerit*. [2] Cod. *aliquod*. [3] Cod. *sic quod*.

Ludovici, promisit ei dicens quod, si febrem illam et guttam, que tam diu ipsum affligebant [1], auferret sibi infra diem mercurii sequentem, unam ymaginem de cera sibi portaret; et sicut petiit, ita optinuit. Una die lune et die martis sicut solito passus fuit; die mercurii vero nec postea febrem nec dolorem in capite sensit aliquem, sed fuit integre liberatus. Testes Rixendis Ysnarda uxor sua, et Vitalis Iudeus medicus suus, qui multum in eo laboravit [2] et multa ab eo habuit.

65. – De febre quartana.

Stephanus Rogerii, qui moratur iuxta portale Laureti, febrem quartanam paciebatur. Vovit se sancto Ludovico quod, si febrem illam infra sequentem diem dominicam sibi auferret, unam candelam sue longitudinis et unam candelam per IX sequentes dominicas deportaret. Et sicut petivit, ita optinuit; nam post dominicam illam nil penitus mali sensit. Testes Laura uxor sua, et alii de domo sua.

66. – De infirmitate oculi.

* Aladaysis Boyna de Oleriis, et [3] ibidem moratur, passa fuit infirmitatem magnam in oculo sinistro per biennium et amplius, et hoc omni mense per quindenam. Et tunc in illis XV diebus dolorem habebat vehementissimum et sanies [4] continue effluebat. Vovit se sanctissimo Ludovico, propter illa que de ipso audiebat [5], quod, si ipsam ab illa tam longa infirmitate curaret, oculos sibi duos de cera portaret omni anno, toto tempore vite sue. Et statim fuit integre ab omni infirmitate oculi liberata. Testis Huga vicina sua, et alie vicine. * f

67. – De infirmitate oculi.

Aladaycis Raynauda de Aquis, que moratur in burgueto de Moreto, infirmitatem quamdam paciebatur que sibi duraverat per tres menses et amplius, ita quod nichil discernere poterat in rebus, nec utrum esset denarius vel obolus cognoscebat, ymo asserit quod nichil penitus videbat, set dicebat se videre timore mariti sui. Audiens illa que Dominus operabatur per merita sancti Ludovici, vovit dicto sancto quod, si visum sibi redderet, ei unam vigiliam [6] deportaret. Et statim, sine medio aliquo, visum sibi fuit quod violenter quis sibi oculos suos proprios aperiret. Et inmediate, facto voto, vidit eque bene et melius sicut unquam viderat, precibus et meritis dicti sancti. Testis Petrus de Albania vir suus, et alii plurimi de eius vicinia.

Huc usque [7] *perveniunt iiij^{or} rotuli primi miraculorum in pargameno transcripti. Et ab hinc inferius contine[n]tur miracula in rotulis antiquis de papiro usque ad illud miraculum quod incipit:* Hugo de Berra [8]. *Et abinde continentur miracula usque ad finem libri in sequentibus 9 rotulis pargamenis.*

68. – De dolore capitis.

Bartholomea Montanha uxor Iohannis Montanha, que moratur in carreia de Iherusalem, dolorem vehementissimum passa fuit in capite per mensem vel circiter, nec reme-

---

[1] Cod. *affligeret*. [2] Cod. *liberavit*. [3] Sic. [4] Cod. *sanis;* dein *et fluebat*. [5] Cod. *audiebat*. [6] Sic. [7] Haec nota in margine codicis est scripta manu synchrona. [8] Cf. infra, mirac. 192.

dium aliquod poterat invenire. Vovit beatissimo Ludovico, propter illa que audiverat que Dominus operabatur meritis ipsius, quod, si dolorem illum a capite suo auferret, sibi unum caput de cera omni anno, quamdiu viveret, deportaret. Et statim fuit, facto voto, curata ab illo [1] dolore integre et sanata. Testis predictus vir suus, et socius suus, et alii de domo sua.

69. - De gutta.

Petrus Blanc et Guilla uxor sua, qui mora[u]tur in parrochia Sancti Laurencii, quemdam habent puerum septem annorum, qui per tres septimanas guttam habuit in spina dorsi, a qua, quamvis multas perunctiones [2] sibi fecissent, curari non poterat, nec remedium aliquod invenire, ymo clamabat fortissime pre nimio dolore. Dictus autem Petrus pater pueri vovit sancto Ludovico quod, si ipsum sanaret ab illa gutta et dolore dorsi, unam ymaginem de cera sibi portaret. * [f. 11r] Et inmediate fuit a dolore et gutta totaliter liberatus. Testes predicti pater et mater et vicini eorumdem.

70. - De febre.

Iacobus faber, filius Hugue fabresse, qui moratur Avicrola, febrem habuit per tres septimanas omni die. Vovit beato Ludovico quod, si febrem illam sibi auferret, unam candelam sue longitudinis deportaret. Et statim plene curatus extitit et sanatus, precibus et meritis dicti sancti. Testis predicta mater et vicini.

71. - De clavo in pede.

Beatrix de Salvansa, que moratur iuxta Sanctum Iohannem, clavum unum habebat in pede dextro, quem extrahere non poterat, et affligebat ipsam tantum quod comedere nec bibere poterat, nec dormire; et portavit ipsum octo diebus. Vovit sancto Ludovico quod, si liberaret ipsam ab illo dolore et clavum [3] de pede sibi extraheret, unum pedem de cera sibi portaret. Et eodem die clavus [4] extra pedem saltavit. Et in crastino fuit a dolore et vulnere liberata. Testis Andrea vicina eius.

72. - De recuperatione sensus.

Marinetus de Aquis, qui moratur ibidem in carreria Sali, sensum et intellectum amiserat, ita quod effectus [5] amens totaliter, cantabat nocte et die, et vana loquebatur et stulta, et advocabat omnes parentes suos defunctos; nec aliquem cognoscebat, nec in rebus aliquid discernebat, et quando portabant comestionem accipiebat et totum spargebat. Et in ista amensia fuit octo diebus continuis, nec illis octo diebus comedit aliquid, neque bibit. Venit ad eum Cecilia consanguinea sua et dixit ei: « Marinete, quare non promittis te sanctissimo Ludovico? Tot miracula operatur ». Ipse vero non intellexit. Sed dixit dicte Cecilie quedam alia mulier que astabat: « Vos promittatis eum sibi, quod ipse sensum non habet ». Tunc dicta Cecilia dixit: « Ego promitto me sancto Ludovico quod, si infra diem mercurii sequentem » (et hoc dixit die lune proxime ante) « curaverit me ab ista infirmitate et sensum reddiderit, corpus suum personaliter visitabo et cum una candela illuminabo ». Et sicut dicta Cecilia dicebat, ita per eadem verba dictus Marinetus respondebat. Mirabile dictu! Emisso voto, panem petiit et comedit et

[1] Cod. *illa*. [2] Cod. *perungtiones*. [3] Cod. *clavem*. [4] Cod. *clavis*.
[5] Cod. *defectus*.

sensum recuperavit et intellectum; et tamen de illis diebus non comederat, ut predixi. Testis dicta Cecilia, et Iohannes Bocherii vir dicte Cecilie, et Dulcia de Massilia.

73. - De roncino.

Raymundus Pauli, qui moratur in burgo Sancte Clare, unum habebat roncinum, cum quo lucrabatur sibi et sue familie victum suum; qui passus fuit * in tibia in tantum * f. quod ambulare non poterat. Ugueta uxor dicti Raymundi, videns quod nichil aliud habebat in mundo nisi roncinum illum, dolens et tristis, quia sperabat dictum roncinum de proximo moriturum, nichil penitus dormivit de tota illa nocte, set quasi continue dicebat: « Sancte Ludovice, qui facis tot virtutes et mirabilia in hominibus et mulieribus, et me a febre plenarie liberasti, ostende virtutem tuam in roncino nostro et sana eum cum adiutorio Dei. Quod si feceris, unum roncinum de cera ad honorem tuum tibi portabo ». Et in crastino fuit curatus plenarie, et ivit ad plateam et fuit conductus ad portandum racemos, ac si nil mali unquam passus fuisset. Testes predicti Petrus et Hugueta.

74. - De infirmitate oculorum.

Aladaycis fabressa de Sancto Maximino, et ibidem moratur, dolorem in oculo dextro paciebatur vehementissimum, ita quod ab illo oculo videre non poterat. Vovit sancto Ludovico quod, si visum sibi restitueret et dolorem ab illo oculo auferret, duos oculos de cera sibi personaliter deportaret. Et statim visum recuperavit apertum, et fuit a dolore oculi plenarie liberata. Et postea sepulcrum die tercia visitavit. Testes omnes de domo sua.

75. - De febre continua.

Hugo de Boch, domicellus domini Raymundi de Baucio vicharii Massilie [1], febrem continuam passus fuerat per quindenam, nec remedium aliquod poterat invenire, ymo medici regis de eo simpliciter desperabant; nec aliquos vel aliquem cognoscebat. Quintadecima die vovit et promisit sancto Ludovico, existens Aquis in lecto, quod, si ipsum ab illa febre tam gravi liberaret, suum sudarium cum una ymagine de cera duarum librarum deportaret et suum sepulcrum ambulando suis pedibus visitaret. Et inmediate sompnus ipsum arripuit et dormivit, et in crastino mane excitatus fuit penitus sine febre, nec postmodum mali aliquid passus fuit, meritis et precibus dicti sancti. Testis nobilis vir dominus Raymundus predictus, et alii plurimi de domo supradicti Hugonis.

76. - De dolore auris.

Iohannes Chatberti calafatz [2], qui in carterio [3] Sancti Iohannis comoratur, dolorem vehementissimum passus fuit in aure dextra per xv dies, ita quod vix comedere poterat, nec dormire; ymo quando comedebat, fortissime inflabatur sic quod comestionem, vellet nollet, dimittere habebat pre nimio dolore; et quasi nichil de aure illa dextera audiebat. Vovit sanctissimo Ludovico quod, si dolorem illum de au-*re auferret, sibi * f. unam aurem de cera portaret; et statim plene curatus extitit ab illo dolore. Promissum tamen sibi non redd[id]it, et inmediate dolor rediit sicut prius. Ipse autem videns quod dolor ille tam vehemens redierat, quia promissum non reddiderat dicto sancto, vovit iterum quod, si dolorem illum sibi auferret certitudinaliter, aurem de cera, quam pro-

[1] Cf. supra, 259; infra, mirac. 104. [2] Idest *calafatus*. [3] Sic.

miserat, deportaret; et incontinenti penitus curatus extitit a dolore. Et promissum reddidit dicto sancto, nec postmodum in aure illa aliquid mali sensit. Testes omnes de domo sua.

77. - De tempore pluvioso.

Petrus de Narbona, qui moratur in porta Gallica, vindemiabat[1] vineas suas, et erat ita malum tempus, tempestuosum et pluviosum, quod racemos suos recolligere non poterat pre nimia inundancia [2] aquarum. Ipse vero timens amittere totum, quia pluere non cessabat nec erat spes quod cessaret, ita tempus paratum erat ad pluviam, cogitans etiam quod nichil aliud habebat nisi fructus quos [3] de dictis suis vineis expectabat, reclamavit sanctum Ludovicum et dixit quod, si salvaret sibi fructus vinearum suarum, et tempus pulcrum et serenum, in quo eos posset recolligere, sibi daret, recollectis vindemiis unum pulcrum racemum de cera sibi portaret. Mirabile dictu! Vix verbum finierat, quod ventus fuit mutatus et incepit tempus serenari [4] et cessavit pluere, cunctis admirantibus qui astabant; sicque factum fuit quod omnes vindemias suas fecit et vineas suas vindemiavit cum pulcherrimo tempore et sereno, precibus et meritis dicti sancti. Testes plusquam c, qui presentes erant in vineis.

78. - De demoniaca [5].

Iohannes Olerii, qui moratur in burgo « dels Oliers », quandam habuit filiam XI annorum vel circiter, que erat iudicio patris sui demoniaca vel amens totaliter. Dicebat omnes errores et faciebat horribilia in tantum quod frequentissime ligabatur. Predictus autem Iohannes, pater puelle, vovit sancto Ludovico quod, si ab illo malo [6] vel amentia ipsam liberaret, sibi candelam unam sue longitudinis deportaret. Et venit puella ad sepulcrum dicti sancti, et post paululum recessit penitus liberata [7] et curata; nec postmodum quicquam sensit mali. Testis predictus Iohannes et Plendosa, eius uxor et vicini eorumdem.

79. - De infirmitate muli.

Stephanus de Areis et Garcendis, uxor sua, nil aliud habebant nisi unum mulum,
12v cum quo tempore vindemiarum maxime lucrabantur victum suum, * qui, iudicio omnium qui ipsum videbant, ancas fractas habebat et quando eas quis tangebat [8], statim cadere volebat, in tantum quod non credebant quod unquam possent se de eo in aliquo adiuvare. Promiserunt sancto Ludovico quod, si mulum illum eis sanum redderet, unum muletum de cera ei portarent. Et inmediate fuit ab omni infirmitate totaliter liberatus, ita quod in crastino eum conduxerunt [9], et ivit ut consueverat ad laborem. Testes supradicti duo et alii de domo eorum.

80. - De infirmitate oculorum.

Laurensia Benedicta, que moratur in Frucharia, infirmitatem magnam paciebatur in oculis et dolorem. Vovit gloriosissimo sancto Ludovico quod, si liberaret eam ab illa infirmitate et dolore, duos sibi oculos deportaret; et incontinenti ab infirmitate illa et dolore fuit penitus liberata et vidit clare. Nam antea parum videbat, ymo videbatur [10] ei quod plenos haberet oculos de arena.

---

[1] Cod. *vindemiebat*; cf. infra, lin. 13. [2] Cod. *inundencia.* [3] Cod. *quod.* [4] Cod. *cerenari.*
[5] Cod. hic et infra potius *demoniata.* [6] Cod. om., spatio vacuo relicto; dein *amentu.* [7] Cod. om.
[8] Cod. *tengebat.* [9] Cod. *conducerunt.* [10] Cod. *videbantur.*

Et eidem accidit quod erat in maxima briga cum quodam filio suo, qui rebellis sibi erat in omnibus et eam verbis et factis in quibus poterat vituperabat. Promisit dicto sancto Ludovico quod, si cor filii sui et uxoris sue mitigaret, per IX dies, quolibet die unam candelam ad sanctum tumulum deportaret. Completo autem novenario, ut promiserat, eodem die venerunt ad eum predicti filius cum uxore sua, et dixerunt humiliter culpam suam et veniam postularunt. Et facta est pax et concordia inter eos, meritis dicti sancti. Testes predictus filius Raymundus Benedicti et Alexia uxor sua.

81. - De infirmitate oculorum.

Iohanna Iaucerana, que moratur iuxta Robaudum, infirmitatem magnam passa fuit in oculis cum dolore vehementissimo per sex menses vel circiter, ita quod parum videbat. Quamvis aquas diversas medicorum consilio ibi posuisset, nullum tamen remedium poterat invenire. Vovit se gloriosissimo Ludovico quod, si cum Deo ipsam ab egritudine oculorum sanaret, unum caput de cera sibi deportaret. Et incontinenti fuit ab illo dolore et infirmitate penitus liberata, et vidit clare ac si nunquam in oculis mali aliquid passa fuisset. Testes frater Bartholomeus Vitalis et frater Iohannes Ymberti, de Ordine fratrum Minorum, et vicine sue.

82. - De febre terciana duplici.

Petrus Andrich lignarius, qui moratur prope Templum, febrem habebat fortissimam, que duplex terciana appellatur, et quamvis esset sub cura medici, nullum tamen remedium poterat invenire. Audivit de mirabilibus que Christus per sanctum Ludovicum faciebat; promisit quod, si ipsum ab illa febre liberaret, suum sepulcrum cum * una ymagine duarum librarum de cera visitaret. Et incontinenti febris eum dimisit et plene convaluit, precibus et meritis dicti sancti. Testis magister Laurentius medicus, et omnes de domo sua. * f.

83. - De infirmitate oculorum.

Reymonda bochiera, uxor Petri bochier, passa fuerat in oculis suis per quinque septimanas infirmitatem gravissimam cum dolore vehementissimo, qui sompnum sibi et cibum auferebat; et quasi nichil videbat, ymo ibat per parietes palpitando. Quedam autem domine, que curate fuerant per merita sancti Ludovici, dixerunt ei quod, si promitteret se dicto sancto, curaretur quam statim. Et ipsa tunc vovit se dicto sancto quod, si ipsam [1] cum Deo ab egritudine oculorum sanaret, sibi unam vigiliam deportaret. Et statim fuit ab omni infirmitate oculorum et dolore totaliter liberata, et eque bene vidit sicut unquam viderat. Testis predictus Petrus vir suus, et alii de domo sua.

84. - De febre continua.

Petrus Laurentii, qui moratur ad Sanctam Katherinam, febrem continuam passus fuit per quindenam cum dolore capitis vehementissimo in tantum quod quiescere non poterat, nec dormire. Audivit de miraculis que Dominus operabatur per sanctum Ludovicum; promisit dicto sancto quod, si ipsum ab illa febre continua et dolore capitis liberaret, unum sibi caput cereum deportaret. Et incontinenti ab illa febre continua et dolore capitis fuit plenarie liberatus. Testis Dulcia, predictus Petrus, Langeria uxor sua, et alii de domo sua.

---

[1] Cod. *ipse*.

85. - De fistula oculorum.

Soror Matheus [1] de Lura, que moratur Massilie in hospicio de Lura Massiliae, fistulam passa fuit in utroque oculo octo annis et amplius cum dolore vehementi, et quamvis multa medicinalia ibi fecisset medicorum consilio [2], nullum tamen remedium poterat invenire; ymo desperata quod nunquam curari posset, vovit sanctissimo Ludovico quod, si ipsam cum Deo ab illa fistula oculorum liberaret, duos oculos de cera sibi portaret. Et statim, emisso voto, fuit curata plenarie a fistula et dolore, gratia dicti sancti. Testes omnes de vicinia, qui credebant quod nunquam posset curari.

86. - De partu.

Raymunda tabernaria, uxor Guizoti, qui morantur iuxta fontem Iudeum, erat pregnans et priusquam parturiret [3], timens dolores illos parturitionis [4], sicut experta, quia alias eos probaverat, venit ad sepulcrum sancti Ludovici et vovit ei quod, si ipsam in parturitione ab illis doloribus liberaret, sibi unum cereum deportaret; et eadem nocte ex
13v in-*sperato puellam peperit sine dolore. Testis ua Matheutz de Chalathier et Hugua Martina, vicine sue.

87. - De pecunia recuperata.

Iacobus Duranti marinarius, qui moratur iuxta Sanctam Mariam de Aquis, quoddam viagium per mare facere debuit, et timens pericula que tota die in mari contingunt, xv libras, quas in pecunia numerata habebat, commisit cuidam cognato suo sine suo cirografo atque teste, quia de ipsius fidelitate [5] et amicitia plurimum confidebat. Facto vero viagio illo, rediit Massiliam et veniens ad predictum cognatum suum petivit pecuniam, quam sibi custodiendam comiserat in recessu. Qui respondit quod nesciebat quid ipse diceret et quod in sompnis hec audiebat. Iacobus autem predictus per quindenam omni die semel vel bis pecuniam a dicto cognato suo repetebat; ipse vero talia semper ut supra vel similia respondebat. Ipse autem timens totum amisisse, quia alter negabat constanter se unquam ab eo vel nomine ipsius pecuniam aliquam recepisse, et ipse cartam quod sibi pecuniam tradidisset non habebat, ut predixi, neque testem, venit ad sepulcrum sancti Ludovici, quia audiverat quod omnes desolatos et tristes Deus meritis ipsius consolabatur et omnibus sua reddebat. Promisit dicto sancto, flexis genibus, quod, si ipse in corde cognati sui poneret quod illas xv libras sibi redderet [6], ipse portaret sibi unum cor de cera. Mirabile dictu! Facto voto, inmediate ivit ad dictum cognatum suum et invenit ipsum illam pecuniam numerantem [7] quam sibi statim mittere intendebat, et recepit pecuniam suam pacifice et quiete. Testis dictus cognatus, si aliter [8] ipsum voluerit nominare.

88. - De continua.

Hymbertus Bardoni de Malamorte infirmabatur ibidem, in castro de Malamorte, de continua discenteria et vomitu [9]; et hec habuerat per quindenam, et non erat [spes] recuperande salutis iudicio medicorum; quamvis medicinalia multa fecissent, nullum tamen

---

[1] Sic; cf. infra, lin. 14. [2] Cod. *concilio*. [3] Cod. *partui*. [4] Cod. hic et infra *parcutionis*. [5] Cod. *felicitate*. [6] Cod. repetit *quod*. [7] Cod. *numeratam*. [8] Cod. *alter*. [9] Cod. *vomitū*.

remedium poterat invenire; ymo affirmabant medici quod nullo modo videre poterat gallicantum. Domina autem Alazia Sabateria dixit ei: « Quare non promittis te sancto Ludovico? Et non dubites, quia fiat[1] quod curabit te ». Et tunc ipse promisit dicto sancto quod, si ipsum sanaret ab illis infirmitatibus[2], statim postquam convaluisset sepulcrum suum cum sudario suo * Massilie personaliter visitaret. Et incontinenti, emisso voto, * f. incepit sudare; et statim convaluit plene, gracia[3] et meritis dicti sancti. Et postquam aliquatenus fortificatus fuit, sepulcrum suum cum sudario, ut promiserat, visitavit. Testis predicta domina Aladaycis[4] et multi alii, qui presentes erant quando vovit.

89. – De dolore in gauta et oculo.

Rixendis uxor Petri Bermundi de Auriolo dolorem passa fuit vehementissimum in facie in gauta sinistra et oculo per quindenam et amplius in tantum quod comedere vix poterat, nec dormire, ymo credebant firmiter quod oculum amitteret pre dolore, quia remedium aliquod non poterant invenire. Vir autem suus, Petrus[5] Bermundi predictus, dixit ei quod promitteret se sancto Ludovico, pro quo[6] Christus tot mirabilia operabatur. Quod et fecit, dicens: « Sancte Ludovice, precibus tuis sana me ab ista inflatura gaute et dolore oculi; quod si feceris, unum oculum de cera cum vigilia tibi mittam ». Et in crastino mane surrexit curata penitus a grossicie faciei [et] dolore oculi, meritis dicti sancti. Testis predictus Petrus vir dicte Rixendis, et omnes de domo eorumdem.

90. – De dolore capitis.

Adam Iohannis, qui moratur iuxta Sanctam Claram, quadam[7] nocte dolorem vehementissimum paciebatur in capite, et in tantum quod sensum amisit, visum et auditum, nec aliquem cognoscebat, ymo continue inania loquebatur, nec erat spes quod videret. Paschetas[8] autem uxor sua, videns quod vir suus moriebatur, recordata fuit de hiis que audiverat de sancto Ludovico, quod Deus per eum operabatur. Promisit quod, si ipse cum adiutorio Dei virum suum sibi resuscitaret (quia ipsum quasi mortuum reputabat), ita quod mane surgere posset sanus, unum caput de cera et unum capellum de eodem mane sibi portaret; et in crastino mane surrexit sanus et incolumis et ab omni dolore penitus liberatus, precibus dicti sancti. Habuerat enim, iam non erat diu, dolorem[9] in capite. Et tunc promiserat sibi caput de cera, sed promissum non reddiderat, et post quindenam dolor rediit in capite, ut predixi. Testis dicta Pascheta[10], Stephanus de Areis pater dicte Paschete.

91. – De gutta.

Guillelmus Grimaudi de Rocha Vaira, qui moratur ibidem, guttam passus * fuit a * f. cingulo[11] usque ad genua[12] per x menses et amplius, que ipsum modo mirabili affligebat in tantum quod erectus ambulare non poterat, nec curvus, nisi cum maxima violencia et semper se super baculum supportando. Et quamvis sub cura medici fuisset fere quinque mensibus et multas inunctiones et alia plurima medicinalia sibi fecisset, parum aut quasi nullum remedium poterat invenire. Ipse audiens et videns que Dominus operabatur meritis et precibus sancti Ludovici, vovit se sibi quod, si ipsum ab illa gutta sanaret,

[1] Sic, pro *fiet*. [2] Cod. repetit *quod*. [3] Cod. *gracie*. [4] Sic. [5] Cod. *Petrus suus*. [6] Sic. [7] Cod. *quandam*. [8] Sic. [9] Cod. *dolor*. [10] Sic. [11] Cod. *singulo*. [12] Cod. *gennā*.

sibi unam ymaginem de cera portaret. Et statim, facto voto, eiecit [1] baculum et sensit se levem et curatum, et cepit sine [su]stentamento aliquo ambulare. Testis Salvaire tabernarius, in qua domo stetit Massilie, et Raymundus Berengarii et Petrus Yspanus, medici, et Petrus de Gardana.

92. - De infirmitate oculorum et apostematis.

Alayeta de Servieras, uxor Hugonis de Servieras, unam habuit filiam trium mensium, que habebat apostema [2] sub brachio dextro sub aycellam, et infirmitatem magnam in oculis, quod nichil inde videbat, ymo continue clausos eos tribus tenuit septimanis. Predicta autem Alayeta mater puelle, timens quod de apostemate [3] nunquam curari posset, nec videre de oculis, ipsam promisit sancto Ludovico sicut mortuam (quia de eius vita non sperabat) quod, si eam ab illis infirmitatibus liberaret, unam ymaginem de cera sibi mitteret. Et statim, facta promissione, apostema fuit crepatum, et incontinenti nutrix puellam [4] ad sepulcrum predicti sancti portavit. Et quam cito intravit ecclesiam, aperuit oculos et clare vidit, meritis et precibus dicti sancti. Testes predicta Alieta [5] mater puelle, et Clementia nutrix eius, et omnes de domo eius.

93. - De gutta.

Pontius Teulerii de Aquis, qui moratur ibidem, guttam paciebatur in toto corpore que ipsum plurimum affligebat, et in tantum quod pre dolore ut parturiens clamabat, nec ire poterat, nec se vertere vel movere, nisi sicut ab aliis movebatur. Et quamvis multas inunctiones et alia medicinalia medicorum consilio sibi fecisset, nullum tamen remedium poterat invenire. Iacoba autem Theuleria, uxor Rostanni Carpenel, qui moratur Massilie in carreria Sancti Iacobi, et est filia dicti Pontii, audiens patrem suum de gutta sic periculose infirmari, quod non erat spes recuperandi salutem, ivit ad eum Aquis et dixit
15r ei quod promitteret se sancto * Ludovico et non dubitaret quin statim curaretur, sicut ipsa curata extiterat, meritis et precibus ipsius sancti Ludovici, a febre que sibi duraverat per v vel sex septimanas, a qua curari non poterat nec sperabat. Tunc ipse audiens hoc, quod Deus per ipsum sanctum talia faciebat, vovit dicto sancto Ludovico quod, si ipsum ab illa gutta, que tam graviter ipsum affligebat, sanaret, sepulcrum suum cum una ymagine de cera Massilie personaliter visitaret. Et in crastino surrexit sanus et incolumis et ab illa gutta et dolore penitus liberatus.

Tunc senciens se totaliter sanatum precibus dicti sancti, quandam filiam aliam quam habebat, Benedictam nomine, que cartanam [6] passa fuerat fere per duos menses, promisit dicto sancto quod, si ipsam a febre illa quartana liberaret, eam sibi duceret Massiliam ad suum tumulum visitandum. Et quamvis eadem die pati deberet accessionem suam, nichil tamen passa illa die nec postea fuit, sed meritis dicti sancti fuit ab illa febre quartana penitus liberata. Testes suprascripti omnes, et alii de domo eorumdem.

94. - De dolore capitis.

Georgius faber, qui moratur in Fabraria, dolorem vehementissimum paciebatur in capite, qui per octo dies et amplius duraverat et eum plurimum affligebat in tantum quod comedere nec bibere poterat, nec dormire. Venit ad sepulcrum sancti Ludovici et

[1] Cod. *eiessit*. [2] Cod. *lapostema*. [3] Cod. *de apostema*. [4] Cod. *puelle*.
[5] Sic. [6] Sic.

promisit ei quod, si dolorem illum sibi auferret a capite, unum caput de cera sibi portaret; et statim, antequam exiret ecclesiam, fuit a dolore capitis plenarie liberatus. Testis Hugua uxor sua, et alii de domo sua.

95. – De fistula.

Petrus de Vouta marinarius, qui moratur in Canabassaria, unum habet filium trium annorum vel circiter, qui fistulam habebat in oculo dextro per IIIIor menses et amplius, que fistula tria foramina sibi fecerat in eodem oculo. In sinistro autem oculo habuerat eamdem fistulam per mensem et amplius, ita quod timebant quod nunquam posset curari, tantum infirmitas ascendebat. Francisca autem, avia dicti pueri, vovit sancto Ludovico quod, si eum ab illa fistula, quam paciebatur in oculis, liberaret, duos oculos de cera cum vigilia deportaret. Et incontinenti, facto voto, fistula cepit minui, et post paululum fuit plenarie liberatus. Testis predicta Francisca avia pueri, et alii de domo ipsius.

96. – * De dolore capitis. *f. 1

Iacobus Triviers notarius, qui moratur « als Escars », dolorem vehementissimum paciebatur in capite in tantum quod quasi visum amisit totaliter. Promisit sancto Ludovico quod, si illum dolorem a capite auferret, unum caput de cera sibi mitteret vel portaret. Et inmediate, facto voto, fuit plenarie a dolore capitis liberatus, nec postmodum aliquid mali sensit. Testis Nicholava uxor sua, et alii de domo sua.

97. – De infirmitate oculorum.

Michael Balanch fornier, qui moratur in furno Petri Bonifacii, infirmitatem quandam passus fuerat in oculis xxx annis et amplius, ita quod parum inde videbat, set habebat eos nebulosos et obscuros. Vovit se sancto Ludovico quod, si visum sibi clarificaret, sic quod clare videre posset, sibi duos oculos de cera portaret. Et statim illa nebula et obscuritas ab oculis suis recessit et vidit clare, gratia dicti sancti. Testis Raymunda uxor sua, et alii quam plurimi quos ipse, si necesse fuerit, nominabit.

98. – De febre continua et dolore capitis.

Berengaria de Lambisco uxor Amandi[1] de Lambisco, que moratur in via « de la Curataria », paciebatur febrem continuam cum dolore capitis vehementissimo, nec a medicis remedium aliquod poterat invenire. Vovit sancto Ludovico quod, si febrem illam continuam et dolorem capitis sibi auferret, unum caput de cera sibi portaret; et in crastino fuit a febre et dolore capitis plenarie liberata, meritis et precibus, ut credit firmiter, dicti sancti.

Et per eumdem modum curatus extiterat Ysnardetus filius suus, puer duorum annorum, a febre quam passus fuerat quasi per totam estatem preteritam; quem[2] voverat dicto sancto quod ipsa portaret eum secum [cum] una candela sue longitudinis, si ipsum ab illa tam diuturna febre sanaret. Et incontinenti fuit a febre illa totaliter expeditus. Testis predictus Arnaudus[3] et alii omnes de domo eius, et vicini et medicus magister Henricus.

99. – De infirmitate oculorum.

Alayeta Maurina, que moratur iuxta Sanctam Katherinam, infirmitatem quandam paciebatur in oculis cum continuo dolore, ita quod nichil valebat[4] operari, et quando

[1] Sic. [2] Cod. *quam.* [3] Sic. [4] Cod. *videbat.*

ambulare volebat [1], palpebras oculorum cum manibus elevabat, quia aliter vix poterat nisi cum violencia maxima oculos aperire. Habuit devotionem ad sanctum Ludovicum propter mirabilia que de eo audiebat, et promisit ei quod, si ipsam ab illa egritudine oculorum et dolore liberaret, sibi deportaret duos oculos de cera. Et in crastino mane fuit ab illa infirmitate et dolore oculorum penitus liberata, et oculos aperuit et clare 16r vidit, sicut antea viderat, precibus et meritis dicti sancti. * Testis Huga Maurina soror sua, et vicine omnes.

100. - De febre cotidiana.

Thomas lanternarius et Beatrix uxor [2] eius, qui morantur in carreriis Lombardorum, habent filios, unum v^{e} annorum, alium vero duorum vel circiter, quorum quilibet passus fuit febrem cotidianam a festo sancti Iohannis usque ad festum sancti Michaelis, que tantum affligebat eos, quod quodam die dominico credebant de minori simpliciter quod esset mortuus. Thomas autem predictus, qui una cum filiis tunc actu febrem continuam paciebatur, et Beatrix uxor, audientes a vicinis mirabilia que Christus per merita beati Ludovici operabatur, reputaverunt trufam. Nichilominus tamen quando viderunt quod illi multum affirmabant et multa exempla narrabantur, adhibuerunt aliqualiter fidem, et dictus Thomas vovit seipsum et unum filium suum, uxor vero eius Beatrix vovit alterum filium sancto Ludovico quod, si omnes eos ab illis infirmitatibus et febribus liberaret, ymagines suas de cera ad suum tumulum deportarent. Et statim, facta promissione, fuerunt pater et duo filii ab illis febribus liberati, precibus et meritis dicti sancti. Testes omnes predicti et alii de domo eorum.

101. - De febre.

Beatrix Pichona, que moratur iuxta Sanctam Katherinam, febrem per quinque menses vel circiter habuerat omni die, que ipsam plurimum affligebat, et in tantum quod [3] quasi p[ar]aliticaverat eam, ita quod sine baculo non poterat ambulare. Amonita fuit et inducta a multis quod promitteret se sancto Ludovico, et statim curaretur. Et tunc ipsa promisit dicto sancto quod, si ipsam ab illa infirmitate liberaret, sepulcrum sanctum [4] personaliter visitaret. Et statim sepulcrum suum cum baculo visitavit et, mora modica facta super sepulcrum, incontinenti recessit penitus liberata, gratia dicti sancti. Testis Raymunda Escarlata et omnes vicine sue.

102. - De dolore dentium.

Girardus Rocha thozoyrier, qui moratur in carreria Nova, dolorem in dentibus paciebatur vehementissimum, qui ipsum tantum tormentabat, quod operari non poterat, quiescere, comedere, nec dormire; ymo habebat faciem in tantum inflatam, quod fere clauserat sibi oculos, maxime a parte sinistra. Promisit sancto Ludovico quod, si dolorem illum a dentibus sibi auferret, dentes de cera ad suum tumulum deportaret. Et inmediate fuit a dolore illo et tumore [5] genarum integre liberatus. Sancto tamen Ludovico dentes de cera, quos [6] sibi promiserat, non portavit; et post paucos dies dolor dentium et tumor [7] genarum rediit per omnia sicut prius, qui ipsum plus solito affligebat. Ipse autem co- 16v gitavit * quod, quia promissum sancto non reddiderat, propter hoc dolor redierat;

---

[1] Cod. *volobat*. [2] Cod. *usor*. [3] Cod. *et*. [4] Sic. [5] Cod. *timore*. [6] Cod. *quod*. [7] Cod. *timorum*.

in idipsum cucurrit et emit dentes de cera et portavit sancto, et antequam de ecclesia exiret, fuit a dolore liberatus plenarie et tumore [1]. Testes omnes de operatorio, in quo continue operantur.

103. - De morbo animalis.

Magister Manent syrurgicus [2], qui moratur iuxta Sanctam Mariam de Acuis, quemdam habet roncinum, qui quadam nocte passus fuit quamdam infirmitatem. Qui recte videbatur mortuus, quia quantumcumque pungeretur vel traheretur per caudam, non se movebat, nec videbatur sentire, set iacebat extensus sicut mortuus super terram. Misit pro marescallo, et iterum [3] recordatus fuit de miraculis que Christus in creaturis diversis operabatur meritis sancti Ludovici. Promisit ei quod, si roncino suo sanitatem redderet, unum roncinum de cera ad suum tumulum deportaret. Et vix votum emiserat, quod roncinus surrexit de terra sanus et incolumis sine adiutorio cuiuscumque, et incepit ire [4] per stabulum ac si nil mali unquam passus fuisset. Testes Raymundus Vassail diaconus, et Iacobetus puer qui custodiebat dictum roncinum.

104. - De dolore in crure.

Nobilis vir dominus Raymundus de Baucio, vicarius Massilie [5], dolorem passus fuit in crure vel coxa dextera per annum et dimidium vel circiter. Et quamvis consilio medicorum multa medicinalia ibi fecisset, nullum tamen remedium poterat invenire. Quodam autem die dominico, dum missa conventualis celebraretur, venit ad sepulcrum sancti Ludovici et, flexis genibus, promisit ei quod, si ipsum ab illo dolore sanaret, unam coxam cum tibia et pede trium librarum de cera sibi deportaret. Et inmediate surrexit sanus, nec postmodum in coxa aliquid mali sensit, precibus et meritis dicti sancti. Testes quos ipse nominabit.

105. - De gutta.

Girardus ioculator de Massilia, qui moratur in burgueto seu in carreria « dels Oliers », guttam paciebatur in genu cum tumore maximo et dolore, ita quod de loco surgere non poterat per se, nisi aliquo adiutorio iuvaretur. Promisit sancto Ludovico quod, si ipsum ab illa gutta sanaret, unum genu de cera cum pede et tibia deportaret. Et in crastino mane surrexit sanus ab illa gutta, tumore pariter et dolore. Testis Aleyseta uxor ipsius, et alii de domo sua.

106. - De febre continua.

Guillelmus Niel, filius Guillelmi Niel, qui moratur iuxta Sanctam Mariam de Acuis, febrem paciebatur continuam cum discenteria, que ipsum plurimum affligebat; et quamvis sub cura esset medicorum et multa medicinalia sibi fecissent, nullum tamen remedium poterat invenire. Habuit devotionem ad sanctum Ludovicum et promisit quod, si ipsum ab illis infirmitatibus, febre continua et discenteria liberaret, unam ymaginem de cera * f
ad suum tumulum * deportaret; et post paululum fuit ab utraque egritudine plenarie liberatus. Testes predictus Guillermus pater eius, et Huga mater.

---

[1] Cod. *timore*. [2] Sic. [3] Cf. supra, mirac. 42. [4] Cod. om. [5] Cf. supra, mirac. 75.

107. – De febre terciana et discenterio [1].

Febrem tercianam duplicem quidam passus fuit diebus pluribus cum fortissima discenteria [2], que ipsum in tantum affligebat, quod eum [3] vix per momentum quiescere sinebat. Et quamvis multa medicinalia ad restringendum dictam discenteriam fecisset, nullum tamen remedium poterat invenire, ymo credebat se minime [4] posse evadere, sed sperabat de proximo moriturum. Audiens quod Christus tot infirmos, diversis infirmitatibus laborantes, precibus et meritis sancti Ludovici curabat, promisit dicto sancto Ludovico quod, si ipsum ab illis duabus infirmitatibus terciana et discenteria sanaret, unam ymaginem de cera ad suum sepulcrum deportaret. Et inmediate fuit a febre terciana et discenteria integre liberatus. Testes [5].

108. – De quadam muliere que portaverat tribus diebus mortuum in corpore suo.

Dulceta uxor Michaelis Bermundi, qui moratur in carreria « de la Blancaria », puerum portaverat mortuum tribus diebus et tribus noctibus, nec ab eo poterat expediri. Videns autem vir suus quod, nisi puer defunctus extraheretur a corpore uxoris sue, ipsa mortem evadere non posset, extraxerunt ei finaliter puerum mortuum a corpore. Et in extracione sciderunt [6] eam et ossa eius concusserunt et fregerunt taliter, quod per duos annos vel circiter stetit quod sedere non potuit et vix ire, et si ibat, ibat curva. Et cum maxima violencia affligebatur et in tantum, propter unum os quod in extraxione pueri mortui sibi fregerant et in summitate spine (quod quidem os vocatur « de la cropa »), quod quiescere, nec dormire, nec sedere poterat, ut predixi; ymo comedebat iacendo comuniter sicut canis, quia erecta stare non poterat, nec se in lecto cooperire nisi raubam cum dentibus ad se attrahendo. Videns autem ipsa quod curari non poterat et quod melius erat sibi mori quam sic diu vivere in tali langore, advocavit cirurgicum, ut cum coctura vel [s]cissura extraheret sibi illud os, quod eam tam diu et continue et irremediabiliter affligebat. Cirurgicus vero respondit quod ibi non tangeret, nisi adesset vir suus vel aliquis de sanguine suo. Ipsa autem dixit quod rediret in crastino, quia ad eum ipsa ire non poterat, et faceret quod vir suus esset presens. Promisit medicus se in crastinum rediturum. Ipsa, timens incisionem, vovit gloriosissimo sancto Ludovico, de quo audiverat quod Christus per eum mirabilia operabatur, quod, si os illud quod fractum portabat et eam tam graviter affligebat sibi extraheret, quod non fieret sibi incisura, unam ymaginem de cera portaret et omni die sabbati, quandiu viveret,
17v * cum una vigilia suum tumulum visitaret, et eodem die, si Fratres sustinere vellent, suam ecclesiam scoparet. Erat enim pauperrima mulier. Mirabile dictu! In crastino mane surrexit sana et incolumis, ac si unquam nil mali passa fuisset. Et os illud sibi cecidit omnino sine violencia aliqua et dolore, et incepit ire libere et sedere. Et statim ivit ad medicum, annuncians quod sibi contigerat [7] illo mane, precibus et meritis dicti sancti. Et antequam comederet, cum ymagine quam promiserat et osse in manu [8] suum tumulum visitavit. Testis Michael predictus vir suus, et Cebilia [9] et plurimi quos ipse [10] nominabit.

---

[1] Sic. [2] Sic. [3] Cod. *eam*. [4] Cod. *maxime*. [5] Cod. hos omisit, uti pluries infra. [6] Cod. *fiderunt*. [7] Cod. *ibi contingerat*. [8] Cod. *osso in manum*. [9] Sic. [10] Sic.

109. - De febre cotidiana.

Bertrandus de Monte Olivo, filius condam[1] Guillelmi de Monte Olivo, qui moratur ante Sanctum Cannatum, passus fuit febrem continuam diebus xij, que ipsum plurimum affligebat, et in tantum quod non credebat posse evadere, quia nullum remedium poterat invenire; et ideo confessus fuit et accepit Christi Corporis sacramentum. Videns autem sic[2] se afflictum et morti proximum, promisit sancto Ludovico quod, si ipsum ab illa febre continua liberaret, unam candelam sue longitudinis deportaret. Et inmediate, emisso voto, febris eum totaliter dimisit, nec postmodum aliquid mali sensit. Testis na Aycelena mater dicti Bertrandi.

110. - De obscuritate oculorum.

Beatrix Fontyaynas, que moratur in Rochabarba, obscuritatem quandam passa fuit in oculis fere per annum et quasi continue lacrimabantur. Vovit sancto Ludovico quod, si ipsam ab illa obscuritate oculorum liberaret, duos oculos de cera sibi portaret; et statim illa obscuritas [a] suis oculis recessit, et clare vidit. Testes vicine ipsius.

111. - De febre continua.

Sensa Ysnarda, que moratur in carreria domini Bertrandi Beroardi, febrem continuam passa fuit per qui[n]denam vel circiter, que ipsam in tantum affligebat, quod comedere non poterat, ymo de octo diebus quasi nil comedit. Venit ad sepulcrum sancti Ludovici cum candela una sue longitudinis, quod sibi promiserat si ipsam ab illa febre continua liberasset. Et facta modica oratione desuper, surrexit sana et ab illa febre penitus liberata est, cum magna fame. Testis Marita Ysnarda soror sua.

112. - De febre.

Raymundus de la Vota, qui moratur in domo Petri de Iherusalem, passus fuit febrem cum frigore maximo pluribus diebus. Fuit ei dictum quod promitteret se sancto Ludovico et statim curaretur; quod et fecit. Et venit ad sepulcrum dicti sancti et unam candelam sue[3] longitudinis cum ymagine una de cera, ut sibi promiserat, deportavit. Et incontinenti recessit sanus et incolumis, * meritis dicti sancti. Testes. * f.

113. - De febre quartana.

Beatrix de Mordel filia condam Guillelmi de Mordel, qui moratur in borgueto Sancte Clare, quartanam passa fuit bene per duos menses et amplius cum dolore capitis vehementissimo. Qui quidem dolor tantum ipsam affligebat, quod eam dormire vel quiescere non sinebat. Promisit se sancto Ludovico quod, si eam suis precibus a febre illa quartana et dolore capitis liberaret, unum capellum de cera sibi portaret. Et facto voto, fuit a febre illa et dolore capitis integre liberata. Testes Iohannes et Hymbertus Mordel, fratres sui.

114. - De gutta.

Rixendis, que moratur in carreria Nova, guttam passa fuit in ancha sinistra, que sibi duraverat per duos annos et amplius, et ipsam plurimum affligebat, quod escalarium

[1] Cod. transp. *G. de M. Ol. condam.* [2] Cod. *sicut.* [3] Cod. om.

ascendere non poterat nisi sustentaretur [1] aut ab aliis traheretur. Vovit sancto Ludovico quod, si ipsam ab illa gutta, que tam diu sibi duraverat nec remedium aliquod a medicis poterat invenire, cum adiutorio Dei liberaret, unam ancham de cera sibi cum pede et tibia deportaret; et incontinenti sensit se ab illa gutta liberatam totaliter et sanatam, meritis et precibus dicti sancti. Testes omnes de domo sua.

115. – De terciana simplici et obscuritate oculorum.

Robertus argentarius, qui moratur in Argentaria, tercianam duplicem passus fuit per XII dies vel circiter et obscuritatem quandam in oculis, que visum suum plurimum obfuscabat; et quamvis de febre [2] sub cura stetisset medicorum, multaque medicinalia ad auferendum febrem sibi fecissent, in nullo diminuebatur febris, que potius augmentabat [3]. Promisit sancto Ludovico, cui [4] aliquando servierat in puericia sua, quod, si ipsum precibus suis cum Deo ab illa febre sanaret, unam ymaginem de cera sibi portaret; et statim, facta promissione, fuit a febre illa penitus liberatus. In crastino autem videns quod, facto voto sancto Ludovico de ymagine deportanda, a febre sanatus extiterat et in voto illo nullam breviter mentionem [5] fecerat de oculis, et ideo credebat, sicut postmodum manifeste apparuit, quod obscuritas in suis oculis remanebat; nam facto iterum voto dicto sancto Ludovico quod, si obscuritatem illam oculorum amoveret, duos oculos de cera ei deportaret, incontinenti fuit ab obscuritate illa plenarie liberatus, et vidit clare sicut antea viderat, meritis et precibus dicti sancti. Testis Iohanneta uxor sua, et liberi eorumdem.

116. – De febre continua.

Bertrandus Ayguezerii de Aquis, qui moratur in via Magdalene, febrem continuam passus fuit per novem [6] septimanas continue, que ipsum plurimum affligebat in tantum, quod loquelam amisit, nec erat spes recuperandi sanitatem, ymo simpliciter ipsum mortuum reputabant [7]. Et dum febris esset in maiori suo fervore, recuperata aliqualiter loquela, vovit sicut loqui potuit sancto Ludovico, de quo audiverat a multis quam plurima
18v miracula ipsius meritis Deus operatur, quod, si ipsum ab illa febre tam gravi et tam * diuturna liberaret, cum una ymagine unius libre suum sepulcrum Massilie visitaret. Mirabile quid[em]! Vix votum ab ore emiserat, quod fuit a febre totaliter liberatus, precibus dicti sancti. Testis Amicilla uxor eius, et liberi et vicine.

117. – De gutta.

Rixendis Lombarda, que moratur in carreria Sancti Iacobi, guttam paciebatur in anca dextra cum dolore vehementissimo, ita quod ire vel iacere non poterat, quiescere vel dormire; non ibi audebat tangere pre dolore. Promisit sancto Ludovico quod, si ipsam ab illo tam vehementi dolore et gutta liberaret, unam coxam de cera sibi cum pede et tibia deportaret; et statim fuit sanata ab illa gutta pariter et dolore. Testis Laureta ancilla sua, et pater eius [8] qui iacet in domo sua.

118. – De febre terciana.

Petrus Augeri, qui moratur in Draparia, febrem tercianam passus fuerat per III septimanas vel circiter, a qua curari non poterat, nec remedium aliquod invenire. Mari-

[1] Cod. *sustantaretur*. [2] Cod. *fefre*. [3] Cod. *augmentaretur*. [4] Cod. *cum*.
[5] Cod. *mensionem*. [6] Cod. *novam*. [7] Cod. *reputabat*. [8] Cod. *pros* pro *p. e.*

neta autem uxor eius, dolens de infirmitate mariti sui, vovit sancto Ludovico quod, si ipsum ab illa febre sanaret, unam candelam sibi sue longitudinis deportaret. Et statim fuit a febre illa penitus liberatus, nec postmodum aliquid mali sensit, meritis dicti sancti. Testis predicta Marineta et alii de domo eius.

119. - De febre et infirmitate oculorum.

Sansa Monedyera, que moratur iuxta Turres, quendam habet filium Petri nomine, VIII annorum, qui infirmitatem quandam in capite (que scabies videbatur et cooperiebatur sibi totum caput) habebat, etiam infirmitatem in oculis, que sibi per sex menses duraverat. Nec aliquid in illis sex mensibus vidit, nec ire potuit sine ductore, nec erat spes quod visum unquam recuperare posset, quamvis sub cura medici longo tempore fuisset et multa medicinalia sibi fecisset, beneficium tamen nullum sensit. Puer audiens a multis miracula que Deus [1] per merita sancti Ludovici operabatur, dicebat frequenter dicte matri sue quod voveret ipsum sancto Ludovico, quia credebat quod statim ab egritudinibus curaretur. Mater vero fidem videns et instanciam pueri, promisit sancto Ludovico quod, si visum filio suo restitueret [et] eum ab infirmitate capitis liberaret, ipsum ad suum sepulcrum mitteret cum uno capite de cera. Et statim, facto voto, visum recuperavit optatum, et post paululum fuit ab illa scabia [2] capitis totaliter liberatus. Testes pater et mater pueri, et soror Celieta Monediera.

120. - De infirmitate oculorum.

Dominicus Lantharius [3], qui moratur in Lanternaria, infirmitatem magnam passus fuit in oculis per quindenam et amplius, que ipsum pre dolore plurimo affligebat in tantum quod non sinebat quiescere vel dormire. Vovit sancto Ludovico quod, si ipsum ab illa infirmitate oculorum et dolore liberaret, duos oculos de cera ad suum tumulum deportaret. Et incontinenti, emisso voto, fuit a tota illa infirmitate oculorum et dolore penitus liberatus. Testes uxor sua et alii de domo eius.

121. - * De quodam qui iverat in Franciam in intentione quod non intendebat redire et fuit « a la Rochela ». * f.

Bernardus de Fonte, qui moratur « a las Pilas », pro[pter] aliqua, que ipse explicare poterit [4], recesserat de Massilia et iverat in Francia[m] cum societate bona de Massilia, et iam iverat usque « a la Rochela » [5] simpliciter cum proposito et voluntate nusquam Massiliam revertendi [6]. Nuda autem uxor dicti Bernardi, tristis et dolens quia virum suum sic [7] in perpetuum amittebat, recursus [8] habuit ad sanctum Ludovicum propter mirabilia que de eo audiverat, quod Deus ipsius meritis omnes desolatos et afflictos, qui devote ad eum recurrebant, consolabatur, promisit ei quod, si virum suum redderet, ad suum sepulcrum unam ymaginem de cera deportaret. Et post paucos dies, continuatis diebus, « de la Rochela », postquam votum uxor emiserat, rediit Massiliam. Et interrogavit uxorem suam, admirans quia tam cito propositum suum mutatum [9] fuerat de non redeundo Massiliam, si aliquid fecerat propter hoc quod ipse mutasset propositum suum. Que respondit quod sic. Nam quia videbat quod ipsum, ut sibi in recessu suo dixerat, in perpetuum amisisset, vovit sancto Ludovico quod, si virum suum sibi red-

---

[1] Cod. om. [2] Sic. [3] Sic legitur, nisi sit « lant[er]narius ». [4] Cod. *poterat.* [5] Id est Rupellam. [6] Cod. *reversurus.* [7] Cod. *sicut.* [8] Sic. [9] Cod. *imitavit.*

deret, unam ymaginem de cera ad suum tumulum deportaret. Et cognovit vir quod eadem hora, qua votum uxor emiserat, propositum suum subito mutatum extitit quod omnino rediret Massiliam, et ita impressum cordi suo quod nullo modo ultra procedere potuit, non sine admiratione sociorum [1]; set statim versus Massiliam iter suum arripuit, sociique vero fecerunt versus Franciam viam suam. Testes predicti duo, vir et uxor.

122. – De gutta.

Iachobus Arnulphi tabernarius, qui moratur in Piscaria, guttam passus fuerat per v annos vel circiter in tibiis, que ipsum plurimum affligebat, et frequenter non poterat se in pedibus sustentare, nec remedium aliquod a medicis poterat invenire. In crastino autem, priusquam dictus sanctus fuit traditus sepulture [2], habuit devotionem apud sanctum Ludovicum et vovit sibi quod, si ipsum ab illa gutta, que tam diu sibi duraverat, liberaret, tibias de cera ad suum sepulcrum portaret. Et post modicum tempus fuit ab illa gutta, que sibi per quinquennium duraverat, totaliter liberatus. Testis Hugueta uxor predicti Iacobi.

123. - De febre continua.

Katherina balasteria, que moratur « els Escars », quandam habet nepotem [3], filiam Raymundi Vitalis fratris sui, que febrem continuam passa fuit per quindenam et amplius, que [4] in tantum ipsam afflixerat, quod ad mortem eam duxerat, et mortua iam erat indicio ipsius et omnium aliorum, quia reputabat [5], nec loquebatur, nec audiebat, nec videbat, nec intelligebat, nec pulsum habebat, nec spiritus vitalis in ea aliquis apparebat. *19v* Iohanneta autem, * filia dicte Katherine, que assistebat puelle, advocavit matrem suam, dicens ei quod Gantelmeta neptis sua expiraverat. Ipsa vero Katherina cucurrit ad puellam et accepit eam et suis manibus contrectavit, et tamen nullum signum vite in ea videbat, ymmo iuraret super sancta Dei evangelia quod ipsam credebat simpliciter esse mortuam [6]. Confidens tamen de meritis sancti Ludovici, vovit ei quod, si neptem suam iam mortuam sibi resuscitaret [7], eam cum uno stadale de cera ad suum tumulum deportaret. Mirabile dictu! Incontinenti, emisso voto, puella, quam credebat simpliciter esse mortuam, incepit respirare et revixit et sanata fuit, meritis et precibus dicti sancti. Testis magister Garnius de Mota pater dicte Katherine, Guillelmus de Penis vicinus eius.

124. - De infirmitate gule.

Petrus Barba marinarius, qui moratur iuxta Sanctum Iohannem, passus fuit in gula per quindenam et amplius in tantum quod comedere non poterat, nec etiam masticare, nec remedium aliquod poterat invenire. Hugua autem uxor dicti Petri, timens ne vir suus extingueretur propter infirmitatem predictam, vovit sancto Ludovico quod, si virum suum ab illa infirmitate gule sanaret infra sequentem dominicam, ita quod libere posset comedere et etiam masticare, unum caput de cera ad suum sepulcrum portaret; quod si non faceret, nil haberet. Et die sabbati sequenti libere masticavit, meritis dicti sancti. Testis [8] supradicti et alii de domo eorumdem.

---

[1] Cod. *sanctorum*. [2] Cf. supra, 260. [3] Sic. [4] Cod. *qui*. [5] Sic cod. *quia reputabat*; aliquid vel erratum vel omissum. [6] Cod. *mortuus*. [7] Cod. repetit *quod*. [8] Sic.

125. – De quadam puella que per vj annos contracta fuerat.

Aycelena fabressa, que moratur in carreria duorum Furnorum, quandam habet filiam octo annorum vel circiter, que contracta extiterat per sex annos, ita quod ire non poterat sine crocis. Promisit eam dicto sancto Ludovico quod, si filiam suam ab illa infirmitate liberaret et ita quod libere ire posset, duas croças [1] de cera ad suum tumulum deportaret. Et incontinenti, facto voto, dimisit unam crosam [2], et post modicum tempus duxit filiam suam predictam cum altera crosa ad sepulcrum sancti Ludovici cum crocis de cera quas promiserat; et facta modica oratione super tumulum, recessit libere sine crocis. Testis Hugo blanquerius, et Raymundus blanquerius, et multi alii.

126. – De quodam asino qui lesus fuerat in brachio [3] dextro.

Stephanus Majnerii ortolanus, qui moratur in Cavalhovo, habebat quendam asinum qui cecidit turpiter et lesus fuit in brachio dextro, ita quod ire non poterat et vix etiam se movere. Hugua autem uxor dicti Stephani, videns quod de asino, quem multum diligebat [4], se adiuvare non poterat, promisit sancto * Ludovico quod, si sanaret asinum * f. suum de infirmitate quam patiebatur in tibia, sibi unum asellum de cera ad suum sepulcrum portaret. Et in crastino mane sanus et incolumis exivit de stabulo et ivit, ut antea, ad laborem. Testes supradicti duo et alii de domo eorum.

127. – De gutta quam habebat in manu.

Bertrandus de Lambesco curaterius, qui moratur in Carreria, infirmitatem quandam passus fuit in manu dextra per tres menses et amplius, que quidem infirmitas, ut credit firmiter, erat gutta. Vovit sancto Ludovico quod, si guttam illam de manu dextra sibi auferret, unum digitum de cera ei portaret. Et statimelioratus fuit. Promissum tamen non reddidit, et tunc dolor reddiit vehemens in tantum quod quiescere non poterat vel dormitare [5]. Vovit iterum dicto sancto quod, si dolorem illum tam intolerabilem a manu auferret, non solum unum digitum de cera set unam manum integram de cera deportaret. Et incontinenti fuit a dolore manus plenarie liberatus. Testis G. Adymbardus et Petrus Adymbardus.

128. – De ydropisi quam passa [6] fuerat per tres menses.

Almuejs uxor Raymundi Saorrajre de Ronhas, qui moratur ibidem, ydropisim passa fuerat per tres menses et amplius, et quamvis multa expendissent in medicis sub quorum cura longo tempore fuit et multa medicinalia sibi fecissent, nullum tamen remedium potuit invenire. Bertrandus autem de Lamano domicellus dixit Raymundo predicto quod faceret quod uxor sua promitteret se sancto Ludovico, et staret pro certo quod statim curaretur. Et tunc ipse Raymundus ivit ad uxorem suam et dixit ei que predictus Bertrandus sibi de sancto Ludovico narraverat; et promiserunt ambo simul dicto sancto quod, si illam ab illa tam periculosa egritudine sanaret, unam ymaginem de cera duarum librarum ad suum sepulcrum portarent Massiliam, propriis pedibus ambulando. Et inmediate, emisso voto, venter eius tumefactus incepit dissolvi et ad statum redire pri-

[1] Cod. *crocas*. [2] Sic. [3] Sic. [4] Cod. add. *et*. [5] Cod. *formidare*.
[6] Cod. *de hydropisim qui passus*.

stinum, et post paucos dies sepulcrum suum cum promisso visitavit Massilie, sana et incolumis, precibus et meritis dicti sancti. Testes omnes fere de castro illo de Ronhas.

129. – De quadam muliere que non poterat audire.

Domina Raynauda Andrea, que moratur in via recta Massilie, steterat per duos menses et amplius quod nichil penitus audiebat. Intellexerat tamen quod mira Christus per merita sancti Ludovici operabatur. Promisit ei quod, si auditum sibi redderet, duas f. 20v aures de cera sibi portaret: et incontinenti auditum recuperavit et audivit * eque sicut unquam audiverat, precibus dicti sancti. Testis Peregrinus Andree et Beatrix, filii [1] dicte domine.

130. – De quodam qui amisit ancipitrem [2].

Peregrinus Andree, filius predicte domine, dum quodam die esset in venatione sua suum amisit ancipitrem, quem plurimum diligebat; et quamvis diligentissime duobus diebus et duabus noctibus ipsum quesivisset, nullo modo tamen eum vel eius vestigium potuit invenire. Tercia autem die, cum ipsum per deserta iterum sollicite quereret, nec eum invenire posset, dixit desperatus quod ipsum amodo recuperare valeret: « Sancte Ludovice, adiuva me cum Deo, et redde michi ancipitrem! Quod si feceris, unum ancipitrem de cera tibi deportabo ». Et statim ex insperato advolavit ancipiter et super manum suam se posuit non vocatus, et tamen gorgam fecerat valde bonam. Testis Iacobus Boysson, qui tunc erat cum eo.

131. – De dolore capitis.

Raymundus de Nicia macellarius, qui moratur in macello veteri, dolorem vehementissimum paciebatur in capite qui ipsum plurimum affligebat et in tantum quod visum sibi totaliter abstulit et etiam intellectum. Promisit sancto Ludovico quod, si dolorem illum de capite sibi auferret, unum capud de cera sibi portaret; et statim incontinenti, facto voto, fuit a dolore illo capitis subito liberatus. Post tres autem dies vel quatuor, febris illum arripuit, que terciana duplex nominatur, que ipsum in tantum afflixit, quod ad mortem ipsum duxit, et credidit simpliciter mori, nec sperabat modo aliquo videre crastinum diem. Tunc recordatus fuit qualiter Christus meritis sancti Ludovici ipsum a dolore capitis liberaverat; vovit iterum dicto sancto quod, si ipsum resuscitaret, quia se mortuum reputabat, suum sepulcrum cum [3] suo induto sudario visitaret. Et vix votum emiserat, quod eius revixit spiritus, et febris eum dimisit totaliter, et comedit. Testis Raymundina de Nicia uxor sua, et Catherina cognata ipsius et Iohannes Finaut et domina Ysnarda, quorum, dum erat in agonia, nullum cognovit.

132. – De gutta quam habebat in toto corpore.

Rixendis Cathalana, que moratur iuxta Templum, guttam in toto corpore passa fuit per quindecim dies continuos et amplius, que ipsam in tantum affligebat, quod de lecto se movere non poterat nec vertere nisi sicut ab aliis movebatur. Audiens autem a vicinis miracula que Christus in diversis infirmitatibus meritis sancti Ludovici operabatur, clamavit et dixit: « O sancte Ludovice, qui omnibus, pauperibus et divitibus [4], parvis et

[1] Cod. *filie*. [2] Cod. *ancipitem*: recte: *accipitrem*. [3] Cod. *qui*. [4] Cod. *diviciis*.

magnis, tuas ostendis virtutes, quare non ostendis in me paupercula [1] tuam mirabi-*lem potentiam, quod sanes me ab ista gutta pessima, ut possem de lecto surgere et lucrari panem meum et non peream hic fame? Quod si feceris, promitto tibi quod de paupertate mea unam ymaginem de cera tibi deportabo ». Erat enim pauper mulier valde. Et statim, facto voto, surrexit de lecto sanata omnino ab illa gutta, meritis sancti Ludovici. Testis Helis filia eius, et vicine. * f. 2

133. – De febre terciana dupliciter.

Maria de Boch, que moratur « als Escars », quandam habet filiam, Franciscam nomine, xviii^to annorum, que passa fuit febrem tercianam duplicem duobus mensibus et amplius, et quamvis multi medici multa ad auferendum febrem illam sibi fecissent, nullum tamen remedium ab eis vel aliis poterat invenire. Predicta autem Maria mater puelle, videns filiam suam sic afflictam nec valens [2] ipsam temporali remedio adiuvare, recurrit ad sanctum Ludovicum et promisit quod, si filiam suam a febre illa tam gravi et tam diuturna infra proximam sequentem dominicam liberaret, unam ymaginem de cera ad suum tumulum deportaret. Et eodem die quo petivit, scilicet die dominico, sanata extitit integre, meritis dicti sancti. Testes dicta Maria mater puelle et liberi eius.

134. – De quodam qui erat paraliticatus.

Petrus David de Insula Sancti Dionysii, qui ibi moratur, filium unum habet, Hugonem nomine, qui paraliticus extitit per duos menses et amplius in ancha dextra, que ipsum plurimum affligebat, et in tantum quod modo aliquo ire non poterat sine crosa, nec pedem nec tibiam ad se trahere, nisi cum ambabus manibus violenter. Fecit se [3] portare Massilie [4] ad sanctum Ludovicum et promisit ei quod, si ipsum ab illa egritudine coxe sanaret, sic quod sine baculo libere ire posset, unam coxam de cera sibi portaret. Et modica mora super sepulcrum facta, surrexit sanus et incolumis et cepit ire libere et sine baculo ambulare, videntibus omnibus qui astabant. Et i u r a v i t i n m a n u s c r i p t o r i s, in presentia Hugonis Geraldi de Massilia et Henrici de Areis.

135. – De quodam qui erat paraliticus.

Marchus Garcie de Valentia, Hispanus, pauper homo, quadam nocte, cum dormiret in lecto suo ibidem Valentie [5], ante galli cantum fuit percussus a demone, ut asserit, in dextra spatula, et tunc manum dextram paraliticatam habuit, ita quod cum ea pascere se non poterat vel in aliquo adiuvare, set semper eam clausam [tenebat], sic quod gratis vel violenter ipsam nullo modo poterat aperire. Vovit se beatis apostolis Petro et Paulo quod, si ipsum in paralisi dextre manus [6] cum adiutorio Dei sanarent, R o m e eorum limina visitaret; quod et fecit, et tamen nullum beneficium ab eis, peccatis suis exigen-* * f.
tibus, potuit obtinere. Octavo autem anno, quo percussus a demone [7] fuerat, rediens de Roma, venit Massiliam et audivit a multis miracula que Deus per servum suum sanctum Ludovicum operabatur. Venit ad sepulcrum predicti sancti et, modica oratione desuper facta, posuit manum illam dextram contractam s u b p a n n o a u r e o q u i s u p e r s e p u l c r u m s a n c t i s t a b a t, et incontinenti manum extendit, videntibus omnibus et admirantibus qui astabant, precibus et meritis dicti sancti. Et quod hoc verum erat,

---

[1] Cod. *paupercule.* [2] Cod. *ra'ent.* [3] Cod. *fecisset.* [4] Sic. [5] Cod. *nacentie.* [6] Cod. *manu.* [7] Cod. *demonum.*

iuravit super sancta Dei evangelia, in presentia Gileti et Bertrandi, qui morantur cum Fratribus.

136. – De quodam qui passus fuit guttam in sinistro pede.

Guillelmus Bonifacius domicellus, qui iuxta Sanctum Cannatum moratur, passus fuit guttam in sinistro pede per sex menses vel circiter, que ipsum plurimum affligebat, et in tantum quod ipse vix poterat nisi cum violentia maxima ambulare [1], quia non poterat, nec audebat, nisi cum violentia magna se in pede illo apodiare. Promisit sancto Ludovico quod, si guttam illam sibi auferret, unum pedem de cera ad suum sepulcrum portaret. Et post paucos dies fuit a gutta illius pedis plenarie liberatus. Testis na Marsilia uxor sua, et Alajceta filia eorumdem.

137. – De quodam equo infirmo.

Guillelmus, marescallus domini regis Cecilie, quendam habebat equum valde pulcrum et graviter infirmum, et quamvis equorum esset medicus, cum omni scientia sua et medicinis suis infirmitatem illam equo auferre non poterat, nec remedium aliquod procurare. Promisit sancto Ludovico, qui non solum sanitatem cum Deo infirmis procurat hominibus et mulieribus, sed etiam in animalia [2] infirma et languida reddit integre a[c] sospitat, quod, si equum illum sibi ab egritudine illa liberaret, ad suum sepulcrum unum equum de cera unius libre [3] portaret. Et incontinenti fuit ab illa infirmitate liberatus.

138. – De febre cotidiana.

Iachobus prepositus de Fossis, domicellus Bertrandi Porcelleri, febrem cotidianam passus fuit per mensem et amplius cum dolore splenis continuo, que ipsum plurimum affligebat, maxime dolor splenis. Audivit a multis miracula que Christus per suum sanctum Ludovicum faciebat; promisit ei quod, si ipsum ab illa febre cotidiana et splenis dolore sanaret, unam ymaginem de cera unius libre sibi portaret et sepulcrum suum Massilie, si vires recuperare posset, ambulando suis pedibus visitaret. Et post paululum fuit a febre predicta et dolore splenis totaliter liberatus. Et hoc super sancta Dei evangelia iuravit, in presentia Laurentii Porcelli * et Bartholomei Audra tabernarii.

f. 22r

139. – De quodam qui non valebat [4] ire sine ductore.

Petrus de Frejus medicus IIIJ^or annis fuit quasi cecus, ita quod sine ductore ire non poterat, nec in rebus aliquid [5] discernebat et quamvis omnia bona sua in medicinis et in aliis pro recuperando visum expendisset [6], nullum tamen remedium potuit invenire. Transiens per Aquis [7] audivit a multis mirabilia que Dominus per beatum Ludovicum operabatur. Promisit sancto Ludovico quod, si visum sibi redderet, toto tempore vite sue diem mercurii ieiunaret et duos oculos de cera, quam cito habere posset unde ipsos emeret, ad suum tumulum deportaret. Facto autem voto, venit Massiliam, et duobus diebus stetit iuxta sepulcrum. Tercia die vero vidit clare cum staret ad solem, iuxta Sanctum Victorem, expectans helemosinam monasterii vel regis cum aliis pauperibus, quia victum suum non valebat [8] acquirere et omnia bona que habebat, mobilia et inmobilia, expenderat in medicis requirendis per diversas partes orbis et in sanctorum

[1] Cod. om. [2] Sic. [3] Cod. *libri*. [4] Cod. *videbat*. [5] Cod. *aliquis*.
[6] Cod. *expedisset*. [7] Sic. [8] Cod. *videbat*.

peregrinationibus pro recuperanda luce oculorum, qua privatus extiterat IIIJ^{or} annis et amplius, ut predixi. Videns uxor sua quod omnes febre languidi, quacumque detinerentur infirmitate, solum quod dormirent super sepulcrum predicti sancti Ludovici, sani et incolumes rediverant [1], sic aggressa est virum suum [2]: « Quare stat hic ad solem et non vadit ad dormiendum super tumulum sancti Ludovici et curabitur [3] ab infirmitate sua oculorum, sicut ceteri infirmi dormiunt et curantur? Si dicit quod non potest [4] dormire ibi, bibat tantum de vino puro, ut postmodum dormiat, velit nolit ». Predictus autem Petrus respondit uxori sue: « Vade, mulier, nonne scis tu quia virtus sancti ita bene potest [5] me iuvare hic sicut ibi, et in vigilia sicut et in sompno? Nescis quid [6] dicis, et ideo apparet manifeste quod non habes fidem in sanctis ». Et cum modicum sic stetisset, aperuit oculos suos et ait: « Ego credo quod Deus michi faciet gratiam, meritis istius sancti Ludovici ». « Et quomodo? », dixit uxor. Et ipse respondit: « Quia video ibi unum pilare in ecclesia; video duo; video IIIJ^{or}; video quod domus illa cooperta est de tegulis; video quod iste est indutus tali panno, ille tali; video summitatem ville in tali signo et tali ». Et de omnibus dicebat plenariam veritatem. Et statim venit ad sanctum Ludovicum et vidit clare et discrevit [7] et cognovit omnia que sibi ostendebantur, meritis et precibus dicti sancti Ludovici. Et quod hoc verum sit, iuravit super sancta Dei evangelia, in presentia Raymundi de Campis, qui est de familia regis, et Laurentii de Vercio publici [8] * notarii. Beatrix autem de Sinha, pauper mulier, que diu fuit in * f. 22 hospitali cum predicto Pontio [9] et nunquam vidit eum euntem sine baculo et sine ductore; et credit firmiter quod nichil videbat nec in rebus aliquid [10] discernebat.

140. – De infirmitate oculorum.

Dulcia Pinhola de Aquis, que moratur ibidem in carreria Predicatorum, infirmitatem quandam paciebatur in oculis, que eam vehementer affligebat in tantum quod pre dolore quiescere non poterat, vix dormire. Habebat etiam brachium sinistrum sic grossum et inflatum, quod coxa melius quam brachium videbatur. Pejroneta autem de Aquis venit ad eam et dixit ei: « Dulcia, quare non promittis te sancto Ludovico et curabit te sicut sanavit quandam nepotem meam, que febrem durissimam paciebatur? ». « Et ego », ait predicta Dulcia, « promitto sancto Ludovico quod, si me ab infirmitate oculorum sanaverit et visum michi reddiderit, duos oculos de cera sibi portabo et suum sepulcrum personaliter visitabo. Et incontinenti, facto voto, videntibus illis qui presentes erant, claros habuit oculos sicut umquam habuerat et vidit clare. Et brachium, quod [11] inflatum sic habebat, quasi ad pristinum statum reddiit, meritis dicti sancti. Et iuravit super sancta Dei evangelia, in presentia magistri Poncii Marini notarii, et Iacobi Masselhes et Petri Tortelli. Heligissa autem Barrassa de Aquis testificatur hoc esse verum, et iuravit super sancta Dei evangelia.

141. – De quadam que passa fuerat quartanam duplicem per unum annum.

Bertraneta Hymberta de Arcis, que moratur ibidem, passa fuit quartanam duplicem per annum vel circiter, que ipsam plurimum affligebat in toto corpore, specialiter in

---

[1] Cod. *rediverint:* dein *egressa.* [2] Locutio directa, tertia tamen verborum persona adhibita, nescis an incuria scriptoris (vide notas sequentes), an potius sub quadam reverentiali forma loquendi. [3] Cod. *curaverit.* [4] Cod. *dicis* ... *potet.* [5] Cod. *potet.* [6] Cod. *quis.* [7] Cod. *dicernit.* [8] Cod. ut saepius *plubici.* [9] Sic pro *Petro.* [10] Cod. *aliquis.* [11] Cod. *quem.*

spina dorsi, quoniam videbatur ei quod eam sibi scinderent [1] cum cultello. Domine autem de Robaudo eiusdem loci dixerunt ei quod beatus Ludovicus cum adiutorio Dei infinita miracula operabatur Massilie, et quod voveret se ei, et sciret certissime quod ipsam ab illa febre quartana liberaret. Ipsa vero hec audiens promisit se dicto sancto quod, si ipsam ab illa quartane, quae tam diu sibi duraverat et eam durissime affligebat, sanaret (cum frequenter aliis sanctis pluribus se promisisset, nec adhuc ab eis aliquam gratiam in amotione quartana potuerit obtinere), sibi unum cingulum [2] de cera ad suum sepulcrum Massilie personaliter deportaret. Et statim curata extitit, nec postmodum, nisi in crastino postquam voverat, aliquid mali sensit. Et quod verum sit, iuravit super sancta Dei evangelia, in presentia Gileti Rufi et domine Hugue de Sancto Honorato.

. 23r

142. – * De febre continua.

Oliva uxor Poncii basterii, que moratur in burgueto « dels Oliers », quandam habet filiam, nomine Thomasetam, xij annorum, que febrem continuam passa fuit per multos dies, que ipsam plurimum affligebat in tantum quod de octo diebus nil comedit. Predicta autem videns quod filia sua moriebatur, quia a medicis erat totaliter tanquam mortua derelicta, promisit sancto Ludovico quod, si filiam suam, quam [3] semimortuam reputabat, resuscitaret, unam ymaginem de cera pro dicta filia sua, et aliam pro seipsa ad suum tumulum deportaret, si similiter sibi febrem auferret, quam per duos menses vel circiter passa fuit. Et nondum totaliter votum ab ore ipsius matris exiverat, quod sudor filiam arripuit et febris eam totaliter dimisit; et post paucos dies mater fuit a febre illa sanata penitus, meritis dicti sancti ac etiam precibus. Testis soror dicte Olive.

143. - De quodam qui habebat infirmitatem sancti Antonii.

Petrus Maleti fusterius, qui moratur iuxta Fratres Minores Massilie, quendam habet filium parvulum, Bertrandetum nomine, qui per tres menses et amplius quandam infirmitatem paciebatur in pedibus, que quidem dicebatur infirmitas sancti Anthonii [4]. Fetebat horribiliter, ita quod nutrix fetorem illum vix poterat sustinere. Cumque portassent eum ad Sanctum Antonium [5] et iacuisset ibi decem diebus et totidem noctibus, quia monachi Sancti Antonii affirmabant quod erat infirmitas dicti sancti, nullum tamen beneficium, propter moram illam decem dierum et noctium [6] et oblationem quam sibi fecerant de duobus pedibus medie libre, in puero cognoverunt. Tunc predictus Petrus pater pueri et Beatrix mater eius, videntes quod sanctus Anthonius puerum non sanaverat, quia meliorationem aliquam in puero non cognoscebant, quin pocius contrarium [7] appareret, territi et turbati, credentes firmiter quod infirmitas illa esset, et quod nisi per abs[c]isionem pedum curari amodo non valeret (quia nisi pedes absciderentur ei, infirmitas illa combureret totum corpus), convertit se pater pueri ad sanctum Ludovicum, de quo audiverat et viderat quod Deus ipsius meritis et precibus infinita miracula faciebat. Et vovit ei quod, si filium suum predictum ab infirmitate illa pedum liberaret, duos pedes de cera ad suum tumulum deportaret. Et, facto voto, puer convaluit, meritis sancti Ludovici; adhuc tamen remanent cicatrices. Testes predictus pater pueri et Beatrix mater eiusdem et Beatrix nutrix sua, que stat in domo de na Gaudemara, que moratur iuxta furnum de na Laurensa, « cara per cara [8] ».

---

[1] Cod. *scinderet*. [2] Cod. *singulum*. [3] Cod. om. [4] Sic; subaudi: Eremitae. [5] Sic. [6] Cod. *noctuum*. [7] Cod. *contructum*. [8] Id est: ex adverso: cara = facies.

144. – De febre ratica.

Petrus Bonifacii mercator, qui moratur iuxta Templum, febrem raticam habuit * tribus mensibus vel circiter, que ipsum nimium affligebat et tantum ipsum debilitaverat, quod etiam de eius vita omnes medici et alii desperabant, quia pro aliqua necessitate de lecto surgere non poterat, nec assistentes eum tangere audebant, timentes quod [1] spiritum exalaret. Aladaysis Bonifacia, mater ipsius, venit ad eum et dixit ei quod voveret se sancto Ludovico et statim curaretur. Quod et fecerunt, promittentes eidem sancto quod, si ipsum cum adiutorio Dei ab illa febre sanaret, suum sudarium ad suum tumulum deportaret. Et incontinenti, facto voto, febris incepit declinare, et in tantum quod post [2] paucos dies fuit ab illa febre totaliter liberatus. Testis predicta mater eius et Beatrix eius uxor et vicini Poncius Rodati et Raymundus Michael. * f. 2

145. – De gutta in ancha et tibia.

Hugo cabrier, qui moratur iuxta fontem Iudeum, guttam passus fuerat in ancha et in tibia dextra quatuor mensibus vel circa, que ipsum plurimum affligebat in tantum quod quiescere non poterat, vix dormire, ymmo de octo diebus nil dormivit, nec ire nisi modicum et hoc cum maxima violencia, nec de tribus mensibus lucrari potuit unum denarium, pre dolore. Promisit sancto Ludovico quod, si ab illa gutta, que tam diu sibi duraverat, ipsum sanaret, unam ancam de cera cum tibia ad suum sepulcrum portaret; et statim cepit gutta declinare, ita quod post paucos dies fuit ab illa gutta et dolore penitus liberatus. Testis Hugueta uxor eius, Guillelmus Bauseth.

146. – De febre cotidiana.

Thomas lanternier, qui moratur in carreria Lombardorum, febrem cotidianam passus fuit per tres menses et amplius, que ipsum plurimum affligebat. Promisit sancto Ludovico quod, si illum ab illa febre ratica que tantum sibi duraverat sanaret, diem proximum sabbati s u p e r s u u m t u m u l u m v i g i l a r e t. Et statim, facto voto, fuit a febre illa ratica totaliter liberatus. Promissum tamen non reddidit de vigilia, quia [3] F r a t r e s noluerunt sustinere; et post octo dies dolor capitis ipsum arripuit, qui ipsum in tantum vexavit, quod eum quiescere non sinebat. Promisit iterum sancto Ludovico quod, si eum a dolore illo tam gravi capitis curaret, unum capud de cera sibi portaret [4].

147. – De febre continua et terciana dupliciter.

Guillelmus Iohannis notarius, qui moratur iuxta fontem Iudaycum, quemdam habet filium, Poncietum nomine, qui tercianam duplicem passus fuit per mensem et * amplius. * f. 2
Postmodum venit in continua, que ipsum tantum afflixit, quod usque ad mortem eum deduxit. Predictus autem Guillelmus Iohannis pater pueri et Hugueta mater eius, videntes filium suum semimortuum, recurrerunt ad sanctum Ludovicum, promittentes eidem quod, si filium suum, quem quasi mortuum reputabant, eis resuscitaret, ipsum ad suum sepulcrum cum suo sudario deportarent. Et incontinenti, facto voto, puer fuit a febre, gratia Dei et sancti, totaliter liberatus. Testes pater et mater pueri et avia.

---

[1] Cod. om. [2] Cod. *per*. [3] Cod. *que*. [4] Sic desinit.

148. - De infirmitate oculorum.

Andrea Desdiera, que moratur iuxta Sanctum Augustinum, infirmitatem quandam passa fuit in oculis sex annis et amplius, que visum in magna parte auferebat. Videbatur enim quod capillos capitis in oculis deportaret, ita habebat visum impeditum et oculos lacrimosos. Promisit sancto Ludovico quod, si sanitatem suis oculis cum Deo procuraret, duos oculos sibi de cera deportaret. Et statim, facto voto, fuit ab illo impedimento quod habebat in oculis et a cojcitate [1] illa totaliter liberata. Testis Rostagna soror sua et Audilena eius filia.

149. - De gutta in anca et tibia.

Rostangua filia Petri Autardi, que moratur in carreria de Negrel, guttam passa fuit in ancha et tibia sinistra per duos menses et amplius, que ipsam plurimum affligebat in tantum quod erecta ire non poterat, nisi cum quatuor pedibus sicut canis. Promisit sancto Ludovico quod, si ipsam ab illa gutta curaret ita quod erecta ire posset, sibi unam ancham cum tibia de cera ad suum tumulum deportaret. Et quia quod promisit reddere non poterat, quia cum domino stabat ut ancilla, red[d]ita autem promissione sancto, tamen curata extitit et sanata, meritis dicti sancti. Et ivit erecta sine adiutorio cuiuscumque. Testis Guillelmus Rodelli notarius domini episcopi, et Hugua de Sancto Iohanne de Aquis.

150. - De gutta in spatula sinistra.

Bertrandus remier, qui stat iuxta Sanctum Iohannem, guttam paciebatur in spatula sinistra, que ipsum in tantum affligebat, quod non poterat dormire, ymo videbatur [2] sibi quod cum lanceís perforaretur in illa spatula ab una parte in aliam. Promisit sancto Ludovico quod, si [ipsum] ab illa gutta et dolore tam vehementi curaret, unam spatulam cum brachio de cera sibi deportaret. Et post paululum fuit ab illa gutta et dolore plenarie liberatus. Testis Esmenjardis uxor ipsius, et ancilla eorumdem Verdajna.

151. - De febre cotidiana.

24v Aycarda del Bausseth, que moratur in burgueto de Syon, filiam habet unam, * Alaycetam nomine, trium annorum cum dimidio vel circa, que febrem cotidianam passa fuerat per quinque menses vel circiter, que [3] ipsam plurimum affligebat et ita lividam [4] reddebat, quod melius pannus lividus videbatur quam [5] caro. Puella autem spiritu [6] Dei, ut credo, mota, quia discretionem ad hoc non habe[b]at, venit sola ad sepulcrum sancti Ludovici et, sicut videbat alios stantes iuxta sepulcrum, posuit se cum eis et dormivit. Et statim incepit sudare. Mater vero puelle, timens eam amisisse, querebat ipsam per vicinas; et una dixit ei quod eam dimiserat super sepulcrum sancti Ludovici dormientem. Ipsa autem accurrens venit ad dictum sepulcrum et invenit filiam suam, ut vicina sibi dixerat, dormientem et sudantem; et dimisit eam stare. Post sompnum vero puella surrexit sana et incolumis, meritis dicti sancti, nec postmodum aliquid mali passa fuit. Mater autem interrogavit filiam suam, quare ad sepulcrum sancti Ludovici venerat. Respondit quod venerat ad sanctum Ludovicum ad dicendum ut sanaret eam. Testis Bertrandus Eubrini pater puelle.

---

[1] Sic. Videtur esse *cecitate*. [2] Cod. *paciebatur*. [3] Cod. *quem*. [4] Cod. add. *erat*. [5] Cod. *quod*. [6] Cod. *sps*.

152. - De quadam que passa fuit infirmitatem rupture.

Nicholava uxor Iohannis Borgonho, de parrochia Sancti Martini, passa fuit quandam infirmitatem, que dicitur ruptura, decem et octo annis et ultra, que eam aliquando vehementissime affligebat, et in tantum quod intestina frequenter inferius descendebant [1]. Promisit sancto Ludovico quod, si ipsam ab illa secreta et tam longa infirmitate curaret, unam ymaginem de cera ad suum tumulum deportaret. Et statim, facto voto, fuit ab illa egritudine plenarie liberata. Testis ua Ganjosa vicina eius.

153. - De infirmitate oculorum.

Iohanneta uxor Alberti de Sansamans, que moratur in Speciaria, dolorem vehementissimum passa fuit tribus septimanis vel circiter in oculis, qui in tantum [eam] affligebat, quod ut parturiens clamabat. Quiescere non poterat, vix dormire, ymo plus mori quam vivere diu desiderabat in illo dolore, quod similem nunquam senserat etiam in partu, in tantum quod [2] credebant [3] fere omnes quod oculos amitteret pre [4] dolore. Rostanguus autem filius dicte Iohannete, puer quinque annorum, videns matrem suam sic afflictam, ait matri sue: « Domina, quid habetis? ». « Fili [5] », dixit mater, « patior in oculis dolorem vehementissimum ». « Domina », ait puer, « flectatis genua et promittatis vos dicto sancto Ludovico et statim curabimini, quia quedam domina infirmitatem magnam paciebatur in oculis et promisit se dicto sancto et statim fuit curata ». Tunc dixit mater: « Fili, non sum digna * quod ipse audiat me, quia peccatrix sum; sed vos promittatis sibi ». Et ambo simul mater et filius, flexis genibus, promiserunt sancto Ludovico quod, si ipsam ab illo tam intollerabili dolore curaret, duos oculos de cera ad suum sepulcrum portaret. Et vix votum emiserat, quod ipsa ab illo dolore plenarie fuit curata, meritis et precibus dicti sancti. Testis Aubertus predictus et Cecilia mater Iohannete, et alii de domo eorum.

154. - De terciana dupliciter et dolore capitis.

Petrus Capellani curaterii de Aquis, qui moratur ibidem in Curateria, tercianam duplicem passus fuit per sex septimanas et amplius cum dolore capitis, que ipsum in tantum afflixerat, quod usque ad mortem ipsum deduxit, ita quod medici ipsum reliquerant [6], de eius vita totaliter desperati. Habebat etiam manum dextram paraliticam [7] et totaliter impotentem. Guillelma autem Capellani, mater ipsius, promisit sancto Ludovico (quia [8] ipse non poterat nec sensum ad hoc habebat), quod, si cum adiutorio Dei filium suum ab illis tribus infirmitatibus, febre, dolore capitis et impotentia manus dextre curaret [9], ipse filius suum sepulcrum Massilie cum uno sudario et ymagine de cera et uno stadali personaliter visitaret. Et incontinenti, facto voto, fuit ab omnibus illis infirmitatibus plenarie liberatus; et postquam aliqualiter convaluerat, sepulcrum, sicut promiserat, visitavit [10]. Testis predicta mater et Mateues uxor sua.

155. - De quodam qui passus fuit febrem quartanam.

Guillelmus Catelli, qui moratur « en la Nonaria Sobejrana », febrem quartanam passus fuit quatuor mensibus continuis, pro qua amittenda [11] infinitas inunctiones et me-

[1] Cod. *descendebat.* [2] Cod. om. [3] Cod. *credebat.* [4] Cod. *pro.* [5] Cod. *filii.* [6] Cod. *relinquerant.* [7] Cod. *paraliticum.* [8] Cod. *quod.* [9] Cod. *curarent;* mox *suus.* [10] Cod. om. [11] Cod. *imitanda;* dein *inunctionis.*

dicinalia medicorum et aliorum cum filio fecerat, et nullum remedium poterat invenire. Videns autem quod dicta quartana diu sibi duraverat et eum plurimum et nimium affligebat, et non erat, ut eam posset amittere. qui salubre consilium sibi daret, et quod dictus sanctus Ludovicus omnes qui ad eum devote recurrerent a quacumque detinerentur [1] infirmitate sanabat, promisit dicto sancto quod, si ipsum a febre illa quartana liberaret, unam ymaginem de cera sibi portaret. Et hora illa qua accessionem [h]abere debebat, venit ad sepulcrum dicti sancti, et mora aliquantula ibi facta, nichil de accessione habuit nec postmodum aliquid mali sensit, meritis ipsius sancti. Testes omnes de domo sua.

156. – De quadam que habuit guttam in ancha et tibia dextra.

Isabel, que moratur in domo Iohannis Barreta in parrochia Sancti Laurentii, guttam
25v habuit in ancha et in tibia dextra per annum et amplius, que ipsam plurimum * affligebat. Promisit sancto Ludovico quod, si cum adiutorio Dei guttam illam a coxa et tibia auferret, coxam de cera [2] et pedem ad suam ecclesiam deportaret. Et statim, facto voto, fuit ab illa gutta totaliter liberata, gratia dicti sancti; a qua curari [3] non poterat medicamine cuiuscumque. Testis Iohanna de Avinione et alii de domo in qua stat.

157. – De febre continua.

Iachobus Crejsso et Dulcia Petita de Aquis, qui morantur ibidem, unum habuerunt [4] filium, Ponsetum nomine, novem mensium, qui febrem continuam passus fuerat per sex continuas septimanas, que ipsum plurimum affligebat et lividum quasi terreum reddebat. Promiserunt sancto Ludovico quod, si puerum illum ab illa febre continua et duplici terciana curaret, unam ymaginem de cera cum puero ad suam ecclesiam Massilie deportarent; quod et fecerunt. Et modica morula super sepulcrum facta, sanum et incolumem et sine febre omnino deportaverunt puerum, gratia Dei et meritis dicti sancti. Testes predicti pater et mater pueri.

158. – De infirmitate capitis.

Bevenguda uxor condam Hugonis de Sala, que moratur iuxta Acuas, dolorem vehementissimum passa fuit in capite per mensem continuum, qui ita dure eam affligebat, quod quiescere non poterat, vix dormire. Vovit sancto Ludovico quod, si dolorem illum tam intolerabilem a capite suo auferret, unum capud de cera ad suum sepulcrum deportaret. Et vix votum emiserat, quod fuit ab illo dolore capitis plenarie expedita. Testis Garinus filius [5] eius.

159. – De quadam que passa fuit in auribus dolorem.

Aladaycis Dagulha uxor Gaufridi de Agulha, que moratur ibidem, surditatem magnam passa fuit in auribus suis per annum et amplius, ita quod non plene sed aliqualiter audiebat. Gaufridus autem predictus vir suus dixit ei quod promitteret se sancto Ludovico, si vellet curari, quia multos detentos diversis infirmitatibus sanabat et reddebat incolumes a quacumque egritudine tenerentur. Quo audito, promisit sancto Ludovico quod, si eam ab illa surditate aurium curaret, sic quod audire posset et intelligere

---

[1] Cod. *detinerent*. [2] Cod. om. *auferret-cera*. [3] Cod. *qurari*. [4] Cod. *habuit*. [5] Cod. *Garinum filium*.

que sibi dicerentur, unum capud de cera ad suum sepulcrum Massilie personaliter deportaret. Et incontinenti, voto emisso, aperte sunt aures eius et audivit plene, ac ut [h]actenus que sibi dicebantur, ipsius sancti meritis, intellexit; et votum suum de visitando sepulcrum sancti Massilie adimplevit. Testes predictus Gaufridus vir suus, et omnes de domo sua.

160. - De febre continua et gutta in tibia.

* Iohannes Macingaut de Rocello iuxta vineam, qui moratur modo continue Massilie * f.
in parrochia Sancti Cannati, passus fuit febrem continuam simul cum gutta in tibia dextra, quas infirmitates, ut credit, omnes acceperat propter tria honera de blado, que portaverat ultra vires. Erat enim manobra et portator bladi, et sic victum suum, ut poterat, acquirebat. Cumque multum ex utraque infirmitate affligebatur in tantum quod sine baculo vel [1] cum quatuor pedibus sicut canis ambulare non poterat, nec per consequens [2] acquirere victum et sic sibimet in suis necessitatibus providere, venit ad sepulcrum sancti Ludovici et dixit: « Sancte Ludovice, tu scis [3] quod adiutorium non habeo nisi membra mea, cum quibus, si vivere volo, necesse habeo lucrari panem meum. Ostende virtutes tuas in me et sana me ab istis infirmitatibus; et ero semper ad servitium tuum, quia pauper homo sum ». Et dormivit super sepulcrum, et in dormitione illa fuit visum sibi quod unus homo traheret sibi tibiam; et surrexit a somno illo sanus et incolumis a febre et gutta et dolore tibie, meritis dicti sancti. Et dimisit Iohannem [4] et recessit. Testis Bertranda uxor sua, et Guillelmeta filia sua, et gener suus Petrus Biani.

161. - De quadam parvula de qua exiverat oculus totaliter extra.

Mathea [5] Farauda uxor Guillelmi Faraudi, de parrochia Sancte Trinitatis, filiam habet unam, Faraudam nomine, octo mensium, que passa fuit infirmitatem quandam in oculo dextro, ita quod oculus exiverat extra capud et pendebat inferius. Aladajcis, avia puelle, et mater eius predicta et etiam vicini territi et stupefacti de tam terribili et gravi infirmitate [6], clamaverunt [ad] sanctum Ludovicum, promittentes eidem quod, si oculum puelle ad statum reduceret pristinum, duos oculos de cera ad suum tumulum deportarent. Et statim, facta promissione, videntibus cunctis, oculus ad statum pristinum est reductus. Testes supradicti.

162. - De febre fortissima et dolore capitis.

Gaufrideta Alvernhassa uxor Iohannis Alvernhas, de parrochia Sancti Laurentii, febrem fortissimam passa fuit cum dolore capitis vehementissimo. Qui quidem dolor in tantum afflixerat eam, quod quiescere non poterat, nec dormire, nec cum sensu vix aliquid loquebatur. Promisit, sicut scivit, sancto Ludovico quod, si febrem et dolorem capitis sibi auferret, unam ymaginem de cera ad suum sepulcrum portaret. Et incontinenti, emisso voto, fuit a febre illa et dolore capitis integre liberata, meritis dicti sancti. Testis predictus Iohannes vir eius, et alii de domo eorumdem.

---

[1] Supple *nisi* vel quid simile. [2] Cod. *consecutus*. [3] Cod. *sis*. [4] Sic. Quid si legeres: *dimisit Iohannes baculum*? [5] Littera initialis rubricatoris est *N*, sed scriptor in margine indicaverat *m*. [6] Cod. add. *et*

163. – De gutta in utraque tibia.

26v Stephana [1] de Cucuro, que ibidem moratur, guttam passa fuit per quin-*quennium in utraque tibia, que ipsam plurimum affligebat in tantum quod vix vel parum sine baculo poterat ambulare, et plus solito infra annum fuit afflicta. Venit ad sepulcrum sancti Ludovici Massilie, et oravit ibidem per triduum. Tercia vero die, facta oratione super sepulcrum, surrexit sana et incolumis et ab illa gutta totaliter liberata [2], meritis dicti sancti; et reiecit baculum et incepit currere, videntibus omnibus qui astabant. Et hoc iuravit super sancta Dei evangelia, in presentia Terrici de Ponto Montonnis et Raymundi de Sant Andiol et Raymunde de Ventabren.

164. – De gutta in toto corpore.

Bertranda uxor Iohannis Anglici, que moratur in parrochia de Acuis, passa fuit guttam in toto corpore per mensem et amplius, que ipsam plurimum affligebat in tantum quod ire non poterat, ymo quando de loco ad locum se mutare volebat, semper a viro suo vel a filia portabatur, et sicut mortua ponderabat. Audiens autem miracula que Christus operabatur precibus et meritis sancti Ludovici, promisit dicto sancto quod, si ipsam ab illa gutta, que tam diu intolerabiliter afflixerat eam, sanaret infra talem diem, unam ymaginem de cera ad suum tumulum deportaret. Cumque sanctus differret [3] illam sanare (nondum tamen dies transierat postulata), irata nimium pre dolore illius gutte, dixit: « Sancte Ludovice, nisi guttam istam abstuleris [4], auferam tibi vigiliam quam nudius tercius ad tuum tumulum deportavi ». Et postmodum plene curata extitit illa die quam petiverat, meritis dicti sancti. Testis predictus maritus suus et Beatrix filia eius.

165. – De infirmitate aurium.

Beatrix de Berra uxor garde regis, que ibidem moratur Berre, infirmitatem quandam in aure dextra passa fuit VIJtem mensibus et amplius, que ipsam vehementissime affligebat, ita quod vix aurem illam tangere audebat pre dolore, et [5] cum ea nichil penitus audiebat. Cumque a pluribus audivisset quod infinita mirabilia Deus per gloriosissimum sanctum Ludovicum in diversis diversarum infirmitatum detentis [6] operaretur, promisit dicto sancto quod, si ipsam ab illa surditate auris dextre liberaret, duas aures de cera ad suum sepulcrum Massilie deportaret. Et post tres dies, facta promissione, fuit ab illa surditate auris et dolore perfecte liberata, ita quod eque bene audivit cum illa sicut cum altera et sicut aliquis homo de mundo audire potest et intelligere aure bona. Testes Iohannes garda regis, maritus eius.

166. – De digito curato [7].

Bertrandus Clementis, qui moratur Massilie in furno Damprodome, cum semel in-
27r caute * duceret aysam suam, percussit digitum suum auricularem [8] manus sinistre, [qui] ita transitus [est] in nodo, quod nil remansit in quo se teneret penitus nisi pellis. Cumque desperatus quod cum illo digito non posset se amodo adiuvare, ymmo ipsum perdere totaliter formidabat, promisit sancto Ludovico quod, si ipsum ab incisura sui digiti curaret,

---

[1] Cod. *Stephanus,* sed in sequentibus narratio genere feminino fit, excepto uno solo casu, scil. *liberatus.* [2] Cod. *liberatus;* dein *reiessit.* [3] Cod. *deferret.* [4] Cod. *abstulerit.* [5] Cod. *nec.* [6] Cod. *detentibus.* [7] Cod. om. titulum. [8] Id est « quintum » sive « minimum ».

unum digitum de cera ad suum tumulum deportaret. Et incontinenti, facto voto, extendit digitum totaliter solidatum et coniunctum, ita quod nisi cicatrix in alvis apparebat. Et incepit cum illo et cum aliis digitis libere, ut consueverat, operari. Testis Gaufrida uxor sua.

167. - De tempestate maris in captione piscium.

Durandus Gal piscator, de parrochia Sancti Iohannis, quodam die lune ivit ad mare ad piscandum sardinas cum suis sociis, et cum per totam ebdomadam piscarentur et quasi nichil prendidissent, ita quod vix lucrati fuerant aquam quam biberant, pre nimia tempestate que erat in mari, et voluissent redire Massiliam desolati die sabbati mane, predictus Durandus promisit sancto Ludovico quod, si daret eis bonum tempus ad piscandum, ita quod sardinas caperent in habundantia et ad propria [1] cum verecundia vacui non redirent, unam sardinam de cera ad suum sepulcrum mitteret vel portaret. Et statim, facto voto, cessavit ventus et mare fuit tranquillum, et proiecerunt rethe in mari et extraxerunt XII banastas seu cofinos de sardinis, meritis dicti sancti. Testes Bertrandus Labet et Bertrandus Empenha et Petrus Fruchier et alii quinque, qui erant de societate.

168. - De febre cotidiana.

Nicholava de Pas, que moratur iuxta Fratres Minores, quandam habet filiam, Huguetam nomine, que detenta fuit a febre cotidiana per novem ebdomadas vel circiter; que ipsam plurimum affligebat in tantum quod erat quasi totaliter altera [2] et mutata, quod vix [ab] aliis cognoscebat[ur]. Puella autem instigabat matrem suam quod promitteret sancto Ludovico unam ymaginem de cera pro ea, et statim curaretur. Mater vero promissionem illam facere differebat [3]. Finaliter autem videns quod filia a febre illa curari non poterat, promisit sancto Ludovico predicto quod, si filiam suam a febre illa cotidiana qua tenebatur liberaret [4], unam ymaginem de cera ad suam ecclesiam deportaret; et facto voto, fuit a febre illa totaliter liberata, meritis et precibus dicti sancti. Cumque ex avaricia [5] differret sancto solvere quod promiserat ut ingrata, quedam persona de bursa sua et bursa predicte filie quosdam [6] extraxit denarios, quos secum furtive asportavit [7]. Ipsa vero videns quod denarii sibi furati et filie extiterant, cogitavit [8] propter suam ingra-* * f titudinem et avariciam, quia non reddiderat quod promiserat sancto Ludovico [9]; et ait: « Sancte Ludovice, si reddideris [10] michi pecuniam [que] hodie furata extitit, tibi portabo, antequam comedam, ymaginem quam promisi ». Et statim, facto voto, venit mulier que furata fuerat dictos denarios; et interrogavit eam si ipsa furata fuerat dictam pecuniam. Mulier autem iurabat per Deum et sanctos quod nesciebat que diceret. Et tunc apparuit capud cuiusdam panniculi iuxta collum mulieris [11]. Et videns quod denarii erant ibi ligati [12], accepit pannum illum de sinu suo et invenit denarios suos perditos ibi ligatos. Et incontinenti ymaginem, quam sancto promiserat, deportavit, faciens gratias ei de sanitate reddita et de pecunia restituta. Testis Aladaycis Chatberta avia puelle, et Cecilia Pagana.

---

[1] Cod. *propriam.* [2] Sic. [3] Cod. *deferebat.* [4] Cod. om. [5] Cod. *et allaricia.* [6] Cod. *quod.* [7] Cod. *adportavit.* [8] Supple *hoc accidisse* vel simile. [9] Cod. *sanctus Ludovicus.* [10] Cod. *reddiderit.* [11] Cod. *mulieri.* [12] Cod. add. *et.*

169. - De dolore dentium.

Hugua de Mari uxor condam Olivarii, de parrochia Sancti Martini, quendam habet filium, Olivarium nomine, qui dolorem in omnibus suis dentibus longo tempore passus fuit, qui ipsum vehementissime affligebat in tantum quod mastigare non poterat, vix dormire. Cumque audisset miracula que per servum suum Ludovicum Christus operabatur, promisit ei cum cordis contritione quod, si filium suum ab illo dolore dentium liberaret, tot dentes de cera quot [1] habebat in capite ad suum sepulcrum per eundem filium mitteret vel portaret. Et incontinenti, emisso voto, fuit puer ille ab omni dolore dentium penitus liberatus. Cito [2] autem, partim ex negligentia, partim ex avaritia, non reddidit quod promisit. Post xv dies vero dolor in dentibus iterato ipsum puerum arripuit ita [3] vehementer sicut prius. Ipsi vero cogitantes et firmiter credentes, quia quod promissum non reddiderat, quod dolor rediret sanctus permiserat [4] Ludovicus, cucurrit puer ad illum qui facit ymagines de cera, et mandavit tot dentes de cera sibi fieri quot habebat in capite.

170. - De gutta.

Ademarius de Roceto, rector ecclesie de Curvornio Tholosane [5] dyocesis, guttam passus fuit in ancha dextra per IIIJor annos et amplius, que ipsum plurimum affligebat in tantum aliquando, quod equum ascendere sine adiutorio alicuius [non poterat]. Cumque quadam [6] nocte iacens in lecto plus solito affligeretur, vovit sancto Ludovico quod, si guttam illam, que tam diu [eum] afflixerat, auferret, unam ancam de cera ad suum sepulcrum Massilie personaliter deportaret; et vix votum emiserat, quod fuit ab illa gutta totaliter liberatus. Et veniens de Tholosa Massiliam sancto reddidit quod promisit.

171. - De esquinantia.

28r * Guillelmus de Varages, qui moratur in carreria Forensium [7], infirmitatem magnam per plures dies passus fuit in collo, que esquinantia ab aliquibus dicebatur, que ipsum plurimum affligebat in tantum quod vix aliquid [8] nisi liquidum poterat transglutire. Tunc Guillermeta soror sua, timens de subitanea [morte] et suffocatione fratris sui, promisit sancto Ludovico quod, si fratrem suum ab infirmitate gule liberaret, unum capud de cera cum cum collo ad suum sepulcrum deportaret; et post duos dies fuit ab illa esquinantia integre liberatus.

Predicta autem Guillermeta, antequam istud fratri suo contingeret, quodam die, cum tempore vindemiarum racemos colligeret, subito amisit visum dextri oculi totaliter, et promisit sancto Ludovico predicto quod, si visum sibi redderet, unum oculum de cera ad suum tumulum deportaret; et incontinenti, facto voto, perfecte visum recuperavit optatum. Testis frater suus predictus.

172. - De gutta.

Iohannes de la Balma de Massilia, de parrochia de Acuis, guttam passus fuerat in anca sinistra per duos menses vel circa, que ipsum in tantum affligebat, quod vix ire poterat, quiescere nec dormire. Promisit sancto Ludovico quod, si ipsum ab illa

---

[1] Cod. *quod*. [2] Cod. *Scito*. [3] Cod. add. *ut*. [4] Cod. *promiserat*.
[5] Cod. *Tholosani*. [6] Cod. *quandam*. [7] Cod. *Forentium*. [8] Cod. *aliquis*.

gutta curaret, unam aucam de cera ad suum sepulcrum deportaret; et statim fuit ab illa gutta totaliter liberatus. Promissum tamen reddere distulit, partim ex negligentia, partim ex avaricia; et ideo post IIIJ^{or} dies dolor in eadem auca rediit eque vehemens sicut prius. Et statim recordatus fuit quod sancto non reddiderat quod promisit. In lecto iacens, de quo surgere non poterat pre dolore predicte gutte, promisit iterato sancto Ludovico quod, si a lecto surgere posset [1], statim iret ad faciendum unam aucam de cera et ei solveret quod promisit. Et incontinenti, vix votum emiserat, quod surrexit de lecto sanus et incolumis meritis dicti sancti, et aucam quam ei promiserat deportavit. Testis Guillelma de la Balma.

173. - De febre quartana.

Bermonda Gervajsa de Aralate, que moratur ibidem, detenta fuit a febre quartana per annum et tres menses, que ipsam in tantum afflixerat, quod ubi eam arripuit, inibi [2] remanebat, quia totam eam enervaverat et quasi reddiderat inpotentem. Audivit famam sancti Ludovici et virtutes quas Christus ipsius meritis faciebat. Promisit dicto sancto quod, si ipsam ab illa febre quartana, que tam orribiliter et tam longo tempore ipsam afflixerat, curaret, unum stadale ad suum sepulcrum Massilie personaliter depor-portaret; et quamvis eodem die, quo votum emisit, pati deberet secundum cursum quartane, nichil tamen tunc nec postmodum passa fuit. Et hoc iuravit super manum sacratam, in presentia Iohannete de la Vouta * et Aladaycis Boyssona. * f.

174. - De infante qui suggere non poterat.

Iachobeta del Vent, de parrochia Sancti Laurentii, quandam habebat filiam quinque ebdomadarum, que mammas sugere nolebat nec poterat, ymmo credebant firmiter pater et mater quod dominicam crastinam non videret. Pater autem puelle, Iohannes de Vento, et predicta mater sua promiserunt sancto Ludovico quod, si filiam eorum restauraret ita quod mammas suggeret, quia ipsam sicut unicum [3] diligebant, pater suum sudarium, mater vero unam ymaginem de cera ad suum tumulum deportarent. Et incontinenti, ex quo votum emiserant, puella eque bene sicut unquam fecerat suxit mammas, mirantibus omnibus qui astabant. Testes predicti duo, domina Iohanna et na Cahossa.

175. - De surditate.

Raymundus de Tritis qui moratur « a las Torres », in domo Bertrandi de Tritis avunculi sui, omnino quasi surdus fuit per VIJ menses et amplius, ita quod curari non poterat, nec credebat a surditate illa amodo posse curari. Promisit sancto Ludovico quod, si auditum sibi redderet, unum stadale cum duabus auribus de cera ad suum sepulcrum omni anno deportaret; et statim, emisso voto, fuit a surditate illa plenarie liberatus. Testis predictus Raymundus avunculus suus, et alii de domo sua.

176. - De febre quartana.

Bertrandus de Vitrola febrem quartanam passus fuit per IIIJ^{or} menses et amplius, que ipsum plurimum affligebat. Promisit sancto Ludovico quod, si ipsum a febre illa quartana curaret, unam ymaginem de cera ad suum sepulcrum Massilie deportaret. Et incontinenti fuit a febre illa quartana integre liberatus.

---

[1] Cod. repetit *quod*. [2] Cod. *ubi etiam arr. inibitum rem.* [3] Sic.

177. - De defectu nature.

Francisca uxor Gaufridi Anglici, que moratur in carreria de Negrel, defectum nature passa fuit per mensem et amplius, que ipsam in tantum afflixerat, quod comedere non poterat, quiescere nec dormire, set stabat in lecto continue semimortua. Cumque desperaret de vita, quia continue erat in langore, promisit sancto Ludovico quod, si eam ab illo dolore et defectu nature et langore sanaret, unam ymaginem de cera sibi daret, et nunquam nisi coacta garlandam in suo capite deportaret. Et incontinenti incepit meliorari et convalescere de illo langore. Quadam autem die, predictus vir suus dixit ei, quod bendaret se et acciperet garlandam suam, quia irent amal.[1] conserviat[2] amicum suum. Ipsa vero respondit quod nullo modo acciperet garlandam, et[3] quod nunquam in capite suo portaret, quia hoc iam sancto Ludovico promiserat. Coacta tamen habuit eam accipere, vellet nollet. Et statim quando ipsam habuit in capite, dolor capitis et
29v debilitas ipsam arripuit in * tantum quod ire non poterat nisi sicut ebria vel insanis[4]; finaliter autem ad domum illius, cum violentia tamen et verecundia, quia sic ibat, pervenit. Dixit tandem viro suo quod sibi acciderat, et amovit garlandam de capite[5] cum licentia mariti sui; et inmediate, amota garlanda, fuit ab illo dolore et vanitate totaliter liberata.

Ipsa[6] autem habebat amorroydas que ipsam irremediabiliter corrodebant. Promisit sancto Ludovico quod tres amorroydas de cera sibi portaret, et statim fuit ab illis amorroydis integre sanata.

Cumque esset in debilitate pretacta, quodam die cecidit et fregit sibi unam costam, cuius[7] fractione plurimum affligebatur. Apposuit tandem unum pegomas[8], quod ita adhesit[9] carni, quod ipsam[10] amovere non poterant quo[quo] modo; nec propter[11] hoc dolor in aliquo diminuebatur. Videns quod curari non poterat, venit ad sepulcrum dicti sancti; et, modica oratione facta desuper, cecidit per se lo pegomas[12], et fuit liberata totaliter a dolore.

178. - De fractura.

Hugo de Oleriis, qui moratur ad Auriol, quodam die cum unum honus indiscrete[13] portaret, cecidit ad terram et credidit firmiter quod sibimet fregisset totaliter spinam dorsi, et sicut potuit in lecto se posuit, credens firmiter quod nunquam erectus amodo posset ire. Tandem, sicut desperatus de recuperanda salute, promisit sancto Ludovico quod, si sanitatem ei redderet, unam ymaginem de cera Massilie ad suum sepulcrum personaliter deportaret. Et in crastino a lecto surrexit sanus et incolumis, gratia dicti sancti; et quod sibi promiserat, ad suam ecclesiam Massilie deportavit.

179. - De quodam qui debebat amittere pedem.

Guillelmus Raynerii de Aquis, qui moratur ibidem in Turribus, quia de regno redierat[14] nimis cito et sine licentia, captus fuit, in curia regis detentus et in compedibus positus, et quod pedem deberet amittere vel vingintiquinque libras solvere per iudices

[1] Sic. [2] Sic legendum videtur. Sed haec duo verba vel nomina propria praetenduut, utcumque ab amanuense transscripta, vel potius textum profunde corruptum signant. [3] Cod. *quia.* [4] Sic. [5] Cod. *capud.* [6] Cod. *Ita.* [7] Cod. *eius.* [8] Sic = emplastrum? [9] Cod. *ab eis.* [10] Sic. [11] Cod. *proprii.* [12] Sic. [13] Cod. *indiscerte.* [14] Cod. *redieirit.*

iudicatus. Ipse autem anxius, quia non habebat unde illas xx^{ti} v^{c} libras posset solvere et timens pedem amittere, promittens sancto Ludovico (quia audiverat quod virtutes mirabiles faciebat) quod, si sine amissione alicuius menbri sui carcerem evadere [posset], unum pedem de cera ad suum sepulcrum Massilie personaliter deportaret. Et post paucos dies, postquam votum emiserat, fuit a carcere sicut petiverat liberatus, et statim sepulcrum sancti Massilie, sicut promiserat, visitavit.

180. - De lesione tibie.

Symonetus de Vento, filius condam Stephani de Vento, de parrochia Sancti Martini, cum quodam die incaute [1] iret cum aliis pueris per galeas regis, percussit * de tibia in quodam banco unius galee et lesit sibi tibiam in tantum quod post duos dies inflatam habuit tam fortiter quod ire non poterat, nec quiescere pre dolore. Puer vero sciens, quia multociens viderat [2], miracula que Dominus per sanctum Ludovicum operabatur, dixit: « Sancte Ludovice, si tu auferas michi istum dolorem quem in tibia patior, unam tibiam de cera ad vestrum tumulum deportabo ». Et statim surrexit et ivit, et in crastino fuit ab omni dolore totaliter liberatus. Testis domina Bonifacia Massselhesa avia pueri. *f. 2

181. - De recuperatione barche.

Petrus Federici, de parrochia Sancti Martini, quodam die veneris rediens de piscatione sua, venit ad portum Massilie, et ibi ligavit barcham suam iuxta alias, ut moris est; et eadem nocte dicta barcha, quam (vix erat mensis) fecerat sibi fieri, extitit furata. Cumque die sabbati mane venisset [3] ad portum ad locum ubi eam ligaverat, volens ad piscationem redire, invenit barcham suam furatam fuisse. Et nesciens quid faceret pre dolore et tristicia, quia cum barcha illa victum suum sibi et sue familie acquirebat, quesivit diligentissime per totam diem in diversis locis barcham suam et misit nuncios ad diversas partes, si possent de barcha illa aliquid invenire. Et non invenientes, in sero illius diei sabbati promisit sancto Ludovico cum cordis compunctione (quia ante sicut insanis [4] ibat et non fuerat recordatus de sancto) quod, si barcham suam sibi redderet, unam barcham de cera eodem die quo ipsam recuperaret, si comode fieri posset, ad suum tumulum deportaret. Et in crastino mane, die scilicet dominico, barcha illa inventa fuit ad xx^{ti} millaria [5] prope Massiliam, et die lune sequenti sibi extitit denunciatum quod barcha sua inventa fuerat in « Devez [6] de Suffres ». Cucurrit ad locum predictum et invenit barcham suam, sicut sibi fuerat denunciatum; et gaudens et exultans et magnificans sanctum, cuius meritis et precibus barcham suam recuperaverat, venit Massiliam fideliter, et integre votum sancto reddidit quod promisit. Testis Iohannes Gregorii et Guillelmus Nicholau « del cartier » Sancti Iohannis, et isti eam invenerunt.

182. - De recuperatione bonitatis vini.

Nicholava de Sancto Petro, uxor Iacobi de Sancto Petro qui moratur in Piscaria, unum habebat vas plenum vino veteri contine[n]s XVI milhayrolas, quod vinum potuissent vendi[di]sse XIJ solidos milhairola [7], set differebant illud vendere, ut carius possent vendere. Cumque illud vendere voluissent, invenerunt vinum ita mutatum et turbulen-

[1] Cod. *incaute.* [2] Cod. *miderat.* [3] Cod. *venissent.* [4] Sic. [5] Sic [6] Cod. *deve;.* [7] Sic.

tum, quod non vinum sed aqua turbulenta pocius videbatur [1] seu apparebat. Et tunc 30r tristis et dolens de amissione tanti vini albi quod, ut predixi, XIJ solidos * vendere poterant, recurrit dicta Nicholava ad sanctum Ludovicum dicens: « Sancte Ludovice, si tu feceris michi istam virtutem, quod vinum meum, quod iam perditum cerno, revertatur ad statum pristinum, unam boutam seu dolium de cera ad tuum tumulum deportabo ». Et extraxerunt illud de dolio illo et posuerunt in alio; et post IIIJ^or dies vel V^e invenerunt vinum illud eque clarum et pulcrum sicut umquam fuerat; et vendiderunt illud XIJ solidos, sicut vendere potuissent. Testis predictus Iacobus et Franciscus tabernarius.

183. – De infirmitate in manibus.

Bertranda Vintena uxor condam Christiani lapicide, que moratur iuxta Predicatores, infirmitatem quandam passa fuit in manibus suis per duos annos et amplius, que ipsam plurimum affligebat, et in tantum quod aliquando et frequenter de ipsis manibus non poterat aliquo [modo se] adiuvare, nec de nocte existens in lecto se cooperire. Promisit sancto Ludovico quod, si ipsam ab infirmitate illa manu[u]m sanaret, duas manus de cera ad suum sepulcrum deportaret. Et, facto voto, protinus fuit ab illa egritudine manuum plenarie liberata. Testes Iohannes Christiani, et Bonetus Christiani filius eius.

184. – De febre cum apostemate.

Iachobeta filia Petri Pelat macellarii de Massilia, de parrochia Sancti Martini, febrem cum apostema[te] passa fuit per tres septimanas et amplius, que ipsam ad mortem fere deduxerunt, ita quod tres medici de ipsa penitus desperabant et eam sicut mortuam reliquerunt [2]. Rixcendis autem, mater dicte Iachobete, desperata cum medicis de vita filie sue, una cum filia ipsa promisit sancto Ludovico quod, si ipsam ab apostemate et febre liberaret, ipsa filia unam ymaginem de cera et mater unum stadale ad suum sepulcrum deportarent; et ultra per unum annum, ipsum [3] feria sexta discalciatis pedibus suum tumulum visitarent. Et statim, emisso voto, apostema [c]repavit, et eiecit [4] illud, et fuit ab apostemate et febre plenarie liberata. Testis predicta mater, et magister Iohannes Guibert et Vitalis, physici [5].

185. – De febre acuta.

Symon cerdo de Majranegues, qui moratur ibidem, quendam habet filium, Guillelmetum nomine, viginti annorum, qui febrem acutam passus fuit per tres septimanas et amplius, que ipsum in tantum afflixit quod freneticus factus fuit, nec credebant quod ab illa infirmitate posset evadere quoquo modo. Cumque pater pueri cum ceteris astantibus desperaret de vita filii sui, venit ad eum Philippa [6] de Cadenal et dixit ei quod, 30c si vellet quod filius suus ab illa febre acuta curaretur, * [7] promitteret eum sancto Ludovico quod, si ipsum cum adiutorio Dei sanaret, restitutum eum sibi cum sudario suo duceret ad sepulcrum suum Massilie, [quod] visitaret. Quo audito, cum compunctione cordis promisit eum predicto sancto, sicut sibi dixerat domina supradicta. Et facto voto, protinus incepit febris declinare, et sensum et intellectum recuperavit amissum; et post modicum tempus restitutus [est] sanitati plenarie, meritis dicti sancti. Testis predictus Symon et Guillelma mater pueri.

---

[1] Cod. *videbantur*. [2] Cod. *relinquerunt*; dein sic. [3] Sic. [4] Cod. *eiessit*.
[5] Cod. *fisissi*. [6] Cod. *phā*. [7] Cod. repetit *quod*.

186. – De morbo in animali.

Hugua [1] de la Costa de Auriolo, qui ibidem moratur, duos mulos ducebat Massiliam honeratos annone [2]; quorum unus turpiter cecidit, ita quod nec ipse nec alii de loco surgere non valebant [3], nec etiam credebant quod de loco surgeret vivus. Videns autem mulum in periculo et considerans virtutes quas Deus faciebat meritis et precibus dicti sancti Ludovici, promisit dicto sancto quod, si mulum suum sibi salvaret, unum muletum de cera, antequam exiret de Massilia, ad suum tumulum deportaret. Et statim, facto voto promissionis, surrexit sanus mulus de terra et onus suum, eque bene sicut ante, Massiliam deportavit. Testis Guillelmus de Costa.

187. – De recuperatione visus.

Beatrix filia Hugonis de Manoasca quendam habet filium, Petrum nomine, trium mensium, qui infirmitatem gravissimam passus fuit fere per mensem, que puerum intolerabiliter affligebat. Et stetit [4] bene per xv dies quod nichil videbat, ymmo si quando oculos aperiebat, prime [5] exibant; et erant nigri totaliter sicut olla, ita quod ex terrore vix audebant [6] ipsum respicere, nec sperabant quod unquam magis videre posset. Audivit a pluribus stupenda miracula que Dominus per servum suum sanctum Ludovicum operabatur Massilie. Promisit dicto sancto quod, si filio suo visum redderet, suum sepulcrum Massilie cum puero predicto filio suo [visitaret] et unam ymaginem de cera ad pondus mitteret vel portaret. Et facto voto, venit Massiliam cum Raymunda matre sua et filio predicto; et statim incepit meliorari de oculis. Et post novem dies, quibus stetit Massilie circa sepulcrum, puer habuit oculos claros et pulcros, et vidit meritis et precibus dicti sancti. Testis domina Raymunda avia pueri, et mater supradicta.

188. – De gutta in anca.

Raymundus Bergnegniers de insula Sancti Genesii, et ibidem moratur, quemdam habet filium, Bertrandum nomine, XVIIJ^to annorum, qui sex septimanas detentus fuit a gutta in anca dextra et tibia, que ipsum in tantum affligebat, quod movere se non poterat, nec in lecto vertere; nec ipsum pro aliqua necessitate tangere audebant; et si quando loquebatur, videbatur ei quod verbum suum percuteret ancam suam guttosam veluti si [7] gladio et * sagitta percuteret; et non poterat remedium aliquod [8] invenire. Cumque predictus pater audivisset a multis miracula que Dominus meritis sancti Ludovici operabatur Massilie, promisit quod, si filium suum ab illa gutta quam paciebatur in anca [curaret], prima die qua ire posset, unam ancam et tibiam Massilie deportaret et suum tumulum visitaret. Et facto voto, puer incepit meliorari et libere per se vertit se in lecto et induit se; et post paucos dies venit Massiliam, ut promisit. Testis dictus pater suus et mater sua.

189. – De febre continua.

Domina Mabilia de Barraton de Manoascha, que moratur aliquando Massilie, unum habet filium, Petrum Gebas nomine, qui continuam febrem habuit per octo dies et am-

---

[1] Cod. sic; sed nomen masculinum esse debet, ut ex sequentibus patet. [2] Sic. [3] Sic.
[4] Cod. *stetis*. [5] Sic; pro *grume* vel *strume*? [6] Cod. *audiebant;* dein *recipere*.
[7] Cod. *sicut*. [8] Cod. *aliquem*.

plius, que ipsum in tantum afflixit, quod usque ad portas mortis deduxit. Ymmo dixit[1] magister Petrus Gariboth quod simpliciter mortuus erat, et ita credebant alii circumstantes. Cumque predicta mater ipsius filium mortuum vel quasi mortuum respiceret, promisit sancto Ludovico quod, si filium suum sibi resuscitaret, ipsum resuscitatum et viribus restitutum ad suum sepulcrum duceret et suum sudarium deportaret. Et vix votum emiserat, quod revixit dictus Petrus et convaluit, meritis et precibus dicti sancti. Testis predicta mater eius et domina Stacha et medicus.

190. - De infirmitate in naso.

Guillelmus de Albania, qui moratur Cellono, quandam[2] habet filiam, Katherinam nomine, unius anni vel circiter, que quandam habebat in naso infirmitatem, que lippia[3] communiter appellatur, que sicut deformem[4] eam reddebat; et videbatur quod cornu sive banam[5] in naso portaret, tantum creverat infirmitas illa. Et aliquando trahebatur per illud cornu; et tantum videbatur dolorem sentire, quantum si cornu esset. Predictus autem Guillelmus dolens de infirmitate filie, quia ipsam tanquam unicam diligebat, et intelligens a pluribus stupenda[6] miracula que Dominus per servum suum sanctum Ludovicum operabatur Massilie, promisit dicto sancto quod, si deformitatem seu infirmitatem de naso predicte filie sue auferret, unum nasum de cera ad suum sepulcrum Massilie deportaret. Et postquam votum emiserat, vix steterat per spacium unius *Ave Maria,* quod infirmitas illa crepuit, et sanata fuit puella meritis dicti sancti, videntibus et admirantibus qui astabant. Testis Petrus Bonus, et Dulcia mater puelle, et Bartholomea neptis dicti Guillelmi.

191. - De gutta.

Bertrandus Aycardi de Flassans, qui moratur ibidem, guttam passus fuit in toto 31v corpore per tres septimanas et amplius, que ipsum in tantum affli-*gebat, quod quiescere non poterat, vix dormire, nec in lecto se vertere, nec ire poterat nisi cum quatuor pedibus sicut canis. Promisit glorioso sancto Ludovico quod, si ipsum ab illa gutta curaret et de illis carceribus[7] ipsum extraheret, unam ymaginem de cera Massilie ad suum sepulcrum portaret. Et facto voto quodam sero, in crastino summo mane surrexit sanus de lecto et incolumis et fortis ad laborandum sicut unquam fuerat, meritis et precibus dicti sancti. Testis Maria mater eius et Garsendis.

192. - De surditate.

Hugo de Berra, qui moratur Massilie « als Escars », passus fuit surditatem in utraque aure per octo menses et amplius, ita quod nichil penitus audiebat. Promisit sancto Ludovico quod, si auditum sibi redderet, duas aures de cera ad suum tumulum deportaret. Et vix votum emiserat, quod audivit perfecte eque bene sicut audiverat antequam in auribus pateretur. Testis Dulcia de Berra uxor eius, et Guillelma et Pauletus, filii[8] eius.

193. - De febre.

Guillelma de Celo, que moratur « als Escars », et Iohanneta filia eius, ambe passe fuerunt febrem satis longo tempore, que ipsas plurimum affligebat. Promisit sancto Lu-

[1] Cod. *duxit.* [2] Cod. *quendam.* [3] Cod. *lepra;* cf. supra, p. 244 sq. [4] Cod. *sicut de femore in eam;* ex loco citato sic amplius corrigi posset: *sic crevit quod deformem* etc. [5] Sic. [6] Cod. *stupendia.* [7] Sic. [8] Cod. *filiorum.*

dovico, nesciente una de altera, quod, si infra talem diem febrem eis auferret, quelibet unum stadale de cera ad suum sepulcrum portaret. Et sicut petiverunt, sic eis dictus sanctus cum Domino impetravit.

Ipsis autem a febribus curatis, meritis dicti sancti, quedam infirmitas dictam Guillelmam arripuit, que ascendit usque ad cingulum [1]; et inflate fuerunt sibi tibie et coxe, quod mo[n]strum melius quam coxe vel tibie videbantur. Promisit iterum dicto sancto quod, si [eam] ab illa infirmitate tibiarum et coxarum liberaret infra talem diem, duas tibias de cera cum coxis ad suum tumulum deportaret, quam cito [2] iret. Et sicut petivit, sic obtinuit meritis dicti sancti. Testis Iohannes vir eius, qui promissionem una [3] cum ea fecit, et Iohanna que ei serviebat.

194. — De infirmitate in tibia.

Bernardus Picol pelliparius de Monte Pessulano infirmitatem quandam paciebatur in tibia, que sibi satis diu duraverat et ipsum pre dolore nimio ex inflatione plurimum affligebat, nec remedium aliquod [4] a medicis vel ab aliis poterat invenire. Cumque pro negociis necessario venire haberet Massiliam (equitando tamen, quia aliter non poterat ambulare) et fuisset Sellone [5], audivit a multis mirabilia que Christus operabatur Massilie per sanctum Ludovicum. Promisit dicto sancto quod, si eum ab illa infirmitate tibie sanaret, unam tibiam de cera ad suum sepulcrum incontinenti cum esset Massilie deportaret. Et vix votum emiserat, quod * crepuit infirmitas illa; et antequam esset * f. 3
Massilie, quamvis in crastino crepata infirmitate equitasset, curatus plenarie extitit et sanatus, meritis et precibus dicti sancti.

195. — De febre cum apostemate.

Beatrix Paula uxor Pauli macellarii, de parrochia Sancti Martini, febrem cum apostema[te] passa fuit, que ipsam duxit usque ad portas mortis, ita quod medici tres, qui eam habebant in cura, ipsam mortuam reliquerunt [6]; et inventa et candela ad os deportata et bis benedicta, quando, ut circumstantibus videbatur, spiritum ex[h]alabat. Cumque Aladaycis Rostangna et Hugueta sorores dicte Beatricis sororem suam vidissent quasi mortuam, ymmo ipsam mortuam indicabant et credebant, recurrerunt ad sanctum Ludovicum quod, [si] sororem suam resuscitaret cum adiutorio Domini, suum sudarium cum una ymagine de cera, quam cito [7] posset ire, ad suum tumulum deportaret. Et incontinenti, facto voto, revixit spiritus eius et cepit loqui, gratias referentibus [8] Deo et dicto sancto, cuius meritis resuscitata fuit, omnibus qui astabant. Et post paululum plene convaluit, et sudarium cum ymagine sancto, sicut promiserat, deportavit. Testes vir suus et predicte due sorores sue, et plurimi alii.

196. — De febribus et dolore in capite.

Bartholomeus Cassa filius Bartholomei Cassa, de parrochia de Acuis, febres diversas, tercianam videlicet et quartanam, passus fuit per duos menses et dimidium et amplius, que ipsum in tantum afflixerant, quod quiescere non poterat, vix dormire. Habebat enim dolorem quasi continuum in capite, et tibias inflatas et quasi impotentes in

[1] Cod. *singulum*. [2] Cod. *scito*. [3] Cod. *unam*. [4] Cod. *aliquem*. [5] Cod. *Sellon̄*.
[6] Cod. *relinquerunt*. Deinde sequitur textus corruptus: *et inventa — exhalabat*. [7] Cod. *scito*.
[8] Cod. *referentes*.

tantum quod, quando a sompno surgebat, nichil de tibiis suis sentiebat, nisi quantum si abscisas totaliter habuisset. Promisit sancto Ludovico quod, si infirmitates illas sibi auferret, unam ymaginem de cera unius libre ad suum tumulum portaret. Et statim, facto voto, incepit meliorari et post paululum ab omnibus illis egritudinibus, dicti sancti meritis, fuit totaliter liberatus. Testis Iohanna Cassa mater ipsius, et Bertraneta soror sua.

197. - De dolore.

Dominus frater Petrus, abbas monasterii de Lura, quadam nocte [1], dum diceret matutinum circa auroram, incurrit [2] dolorem viscerum vehementem, qui in tantum excrevit, quod ipsum in toto corpore generaliter sudare faceret sudorem frigidum quasi mortis, et ita destitutus fuit omnibus menbris corporis, ut extrema, sicut manus et pedes, sibi quasi mortua viderentur. Capud nichilominus ita erat a naturali compag[in]e
f. 32v corporis dissolutum, quod ipsum regere non poterat, sed tremore continuo vacillabat [3]. * Recordatus de sancto Ludovico sancte memorie, que[m] paulo ante visitaverat apud Massiliam iam sepultum [4], preces fudit humiles et instantes, ut ipsum tanquam [in] mortis articulo constitutum [per] suam clementiam adiuvaret, vovens sibi unam ymaginem. Et statim quasi subito dolor [5] ille cessavit vehementissimus, menbris omnibus et corpore restitutis, eodem die ante nonam, pristine sanitati.

198. - De ruptura.

Isoardus Berengarii de Pellissana, qui [6] moratur ibidem, ruptus fuit sive crepatus in parte dextra, que quidem ruptura ipsum affligebat, quod [7] sine lumbari speciali ire non poterat, quin statim intestina exirent in maxima quantitate. Cumque a pluribus audivisset miracula stupenda [8] que Christus per servum suum sanctum Ludovicum operabatur Massilie in diversis egritudinibus, promisit dicto sancto quod, si ipsum cum adiutorio Dei [9] ab illa ruptura sanaret, oblationem duorum solidorum et dimidii [10] Massilie ad suum tumulum deportaret. Et facto voto, post IIIJor dies vel quinque fuit ab illa ruptura totaliter liberatus et sanatus, in tantum quod sine lumbari libere ire poterat, quod non fecisset iam elapsi fuerant VIJ anni. Testis Dulciana mater eius, Iacobus Piscis de Sallono et magister Marchus de Aquis.

199. - De febre continua et duplici.

Vivaudeta uxor Petri de Monte Olivo, de parrochia Sancti Martini, febrem continuam cum terciana duplici per X dies et amplius passa fuit, que ipsam plurimum affligebat, nec remedium aliquod poterat invenire, quamvis esset sub regimine diversorum medicorum. Domina autem Cecilia mater ipsius, videns filiam suam a febre continua sic affligi, promisit sancto Ludovico quod, si filiam suam predictam a febre illa continua curaret, unam ymaginem de cera ad suum tumulum deportaret. Et missa sibi ymagine, quia, [ut] asserebant [11], ipsa personaliter non potuit deportare, et statim fuit plene a febre continua liberata.

Remansit tamen sibi febris cotidiana, que ipsam in tantum afflixit et debilitavit, quod vix quiescere potuit, comedere nec dormire, quia et ita erat ut medici affirma-

---

[1] Cod. *quandam noctem.* [2] Cod. bis *incurrit.* [3] Cod. *vascillaberat.* [4] Cod. *sepulcrum.* [5] Cod. *dolore.* [6] Cod. *que.* [7] Cod. *quem.* [8] Cod. *stipendia.* [9] Cod. *ipsum tam adiutorio si ab.* [10] Cod. *dimidium.* [11] Cod. *assistebant.*

bant. Confidens tamen de meritis sancti, licet cum labore et invitis [1] parentibus, venit ad tumulum sepedicti sancti. Promisit eidem cum cordis compunctione et donatione quod, si ipsam ab illa hetica febre liberaret infra octo [dies], quolibet anno quamdiu viveret unum stadale sibi portaret; et mater sua predicta promisit similiter [quod], si eam curaret, suum sudarium deportaret. Et post paucos dies in septimana fuit ab illa egritudine totaliter liberata. Testis predicta mater et Iacobeta Grifesa et Hugua Bonifacia.

200. - De morbo in animali.

Iohannes de Lauch, qui moratur iuxta Sanctam Claram, quendam habet asinum, qui quodam * die accepit ictum quendam in uno oculorum suorum, propter quem visum suum totaliter amisit illius oculi. Ipse autem dolens, quod cum asino suo lucrari non poterat, ut consueverat, panem suum (erat enim pauper et quasi nichil habens preter asinum), promisit sancto Ludovico quod, si oculum et visum asino suo cum adiutorio Dei restitueret, oculum unum de cera ad suum sepulcrum portaret. Et post paucos dies eque bene vidit cum illo oculo infirmo sicut cum alio, et tamen non sperabat quod cum illo oculo unquam [2] amodo videre posset.

201. - De febre continua.

Domina Aladaycis de Bona, que moratur iuxta Predicatores, infirmata fuit de febre continua longo tempore, que ipsam in tantum affligebat, quod non credebat quod posset evadere quoquo modo, nisi miraculose fieret. Jaufreza de Borma filia sua et beguina Predicatorum, dolens et timens de infirmitate matris sue, recurrebat quasi continue una cum matre sua ad gloriosum sanctum Ludovicum, ut matrem suam sanaret et febre illa liberaret. Et finaliter promisit ei cum cordis conpunctione quod, si hoc faceret, sudarium matris ad suum tumulum deportaret. Et facto voto, post paucos dies fuit a febre illa continua totaliter liberata, meritis et precibus dicti sancti. Testis dicta Jaufreza et Hugueta soror sua.

202. - De infirmitate in oculo et recuperatione visus.

Laurentia Auriola uxor Bertrandi Gafreda, que moratur ibidem, infirmitatem quandam passa fuit in oculis per medium annum et amplius, que ipsam in tantum gravabat, quod vix valebat [3] operari. Accidit quodam die, cum vicinis suis ivit ad colligendum glandes pro porcis suis, et ibi totaliter visum perdidit, ita quod glandes non valebat [4] colligere, nec aliquid aliud sub celo, quantumcumque oculos aperiret; nec sperabat umquam magis videre, nec ad domum propriam sine ductore se posse redire. Dolens igitur et tristis de amissione tanti beneficii, promisit sancto Ludovico (quia audiverat a multis quod Christus per ipsum mirabilia operabatur Massilie) quod, si visum sibi restitueret, ita quod ad domum suam sine ductore ire posset, unam candelam sue longitudinis cum duobus oculis de cera ad suum sepulcrum deportaret Massilie. Et vix votum emiserat, quod vidit clare et ad domum sine ductore rediit onerata; et paucis elapsis diebus, vidit melius et clarius et longius quam unquam viderat toto tempore vite sue. Testes omnes vicine sue, que fuerunt cum ea.

---

[1] Cod. *invictis*. [2] Cod. *nunquam*. [3] Cod. *videbat*. [4] Cod. *videbat*.

203. - De dolore.

Pascha, que moratur « en la Correiaria », dolorem vehementissimum passa fuit 33v multis diebus in corde, qui quidem dolor pre nimia vehementia usque ad * capud resultabat, et in tantum ipsam affligebat, quod non credebat posse evadere quoquo modo. Promisit tandem sancto Ludovico sibi portare unum capud de cera; et incontinenti, facta promissione, a dolore cordis et capitis extitit integre liberata.

204. - De captione piscium.

Iohannes Auriol piscator, qui iuxta Trinitatem moratur Massilie, quod[am] die lune ivit ut consueverat ad piscandum. Cumque multis diebus in piscatione illa plurimum laborasset, nichil tamen capere potuit, quamvis alii piscatores circumstantes, ipso vidente, pisces caperent affluenter. Verecundatus igitur et totus rubore perfusus, quia alii pisces capiebant in habundantia, ipse vero nichil penitus lucrabatur, recurrit ad sanctum Ludovicum et promisit ei quod, si pisces capere posset, ita quod vacuus ad domum suam cum verecundia non rediret, unum thonum de cera ad suum sepulcrum Massilie mitteret vel portaret. Et facto voto, incontinenti proiecit[1] rethe in mari, et in uno ictu extraxit novem thonos, stupentibus et admirantibus qui astabant; et promissum sancto reddidit, capta preda[2].

205. - De infantis resuscitatione.

Sancia uxor domini Hugonis de Bautio, qui moratur a Tribulana, erat pregnans et ante tempus pariendi peperit filiam mortuam; et venerunt ad eam obstetrices et dixerunt ei quod unam filiam peper[er]at mortuam. Ipsa autem, audiens filiam esse mortuam, ait: « Sancte Ludovice, morietur filia mea sine baptismo et dampnabitur? Sancte Ludovice, succurre michi et ei, ostende virtutem tuam in ea ». Et statim puella incepit plorare; et balneaverunt eam et ibidem obstetrices ipsam baptizaverunt. Ipsa autem non contenta de illo baptismo, dixit: « Sancte Ludovice, postquam fecisti michi tantam gratiam quod filiam meam resuscitasti, augmenta[3] michi gratiam et prolonga sibi vitam, donec per sacerdotem fuerit baptizata ». Et sicut petivit, sic obtinuit; et baptizata puella per sacerdotem, ut moris est, spiritum reddidit Deo et mortua est.

Dicta autem mater fuit eodem tempore propter dictam parturitionem, meritis predicti sancti Ludovici et precibus, miraculose iudicio omnium medicorum a mortis periculo liberata. Testes sunt quamplures, quos propter festinantiam non potuit nominare.

206. - De febre et torsetura.

Domina Bertranda, uxor domini Ricavi de Lamano, quendam habet filium, Petrum nomine, et duas filias, Marietam de Sinha et Alayetam. Petrus autem laborabat de febre 34r gravi per xv dies, et Alaeta per sex septimanas; nec poterant a medi-*cis vel ab aliis remedium aliquod invenire. Marieta vero torseduram seu fracturam habuit in anca dextra per duos menses et amplius, que ipsam plurimum affligebat; et quamvis multa consilio[4] medicorum ibi fecisset, nullum tamen remedium prestiterunt. Omnes igitur sic diversis infirmitatibus afflicti recurrerunt ad sanctum Ludovicum, suum adiutorium suppliciter et devote postulantes quod, si eos ab illis tam gravibus[5] infirmitatibus et tam diuturnis

[1] Cod. *proiescit.* [2] Cod. *predicta.* [3] Cod. *augmentata.* [4] Cod. *concilio.* [5] Cod. *gravis.*

liberaret, quilibet cum sua ymagine de cera suum sepulcrum Massilie personaliter visitaret. Et statim, emisso voto, fuerunt omnes ab illis febribus omnibus ipsius sancti meritis liberati plenarie et sanati.

207. - De gutta.

Iohannes, qui moratur in carreria de Negrel, guttam passus fuit in capite per tres menses et amplius, que ipsum in tantum afflixit, quod facies sua et capud ita era[n]t inflata, quod vix ipsum poterat sustentare, et melius mo[n]strum quam capud hominis videbatur. Promisit se portare unum capud de cera ad sepulcrum sancti Ludovici; et incontinenti dolor et tumor [1] de facie et de capite ab[s]cessit penitus et restitutus est pristine sospitati. Testis Martha uxor ipsius.

208. - De voce recuperata et febre terciana.

Dominus Andreas Grassi de Massilia, quandam habet filiam, Franciscam nomine, [in] monasterio de Syon, que cum inter alias bene sciret officium suum ecclesiasticum et conpetenter cantaret, nesciens qua de causa amisit quasi totaliter vocem suam, ita quod sic tremulentam vocem habebat, quod eam regere non poterat et vix etiam nisi cum magno labore in ecclesia lectionem legere. Cumque predictus dominus Andreas, pater ipsius, audiret quod predicta filia sua Francisca, quam unice diligebat, cantare non posset nec Deum cum voce sua, ut consueverat, laudare, promisit sancto Ludovico quod unum cereum unius libre sibi portaret, si vocem dicte filie sue redderet, cum qua posset Deum, ut consueverat, conlaudare. Et cum denunciatum ei fuisset quod pater suus pro ea sancto Ludovico sic voverat, respondit dicenti sibi: « Dicatis domino patri meo quod solvat promissum sancto, quia iam recuperavi, ipsius sancti Ludovici [meritis], vocem meam ».

Postmodum autem predictus dominus Andreas incepit infirmari de terciana duplici, que duravit sibi per quinque septimanas et amplius. Eum finaliter fere usque ad mortem deduxit. Nam inunctus fuit, quia medici et alii de eius vita totaliter desperabant; neminem enim cognoscebat. Invocabat tamen frequenter sancti Ludovici patrocinium, ad quem devotione [2] permaxima ferebatur, quia f r a t e r M i n o r f u e r a t et habitum * *f. sancti Francisci portaverat, quem tenere semper dilexerat, tum etiam quia sanctum ipsum simpliciter reputabat; et promisit ei, sicut [3] potuit, portare ad suum sepulcrum, si sanitatem sibi cum Deo procuraret, unum alium cereum alterius libre. Et paucis diebus elapsis, facta promissione sancto, restitutus e[s]t ipsius sancti Ludovici meritis et precibus pristine sanitati. Testes omnes de domo sua.

209. - De gutta.

Durandus de Artiga, de parrochia Sancti Iacobi, rediens de Sardinia venit Niciam, ubi audivit aliqua de miraculis que Christus per servum suum sanctum Ludovicum operabatur Massilie; non tamen relatis adhibuit plenam fidem, sed sicut Thomas dubitavit [4]. Et cum processisset et venisset ad castrum quod vocatur Carces prope Brinoniam, eodem sero gutta tam valida in ancha dextra ipsum arripuit, quod ire non potuit, nec de loco se movere, vel in lecto vix vertere. Et tunc astantes dixerunt ei quod se sancto promitteret Ludovico, si vellet cito ab illa gutta plenarie liberari. Et quamvis nondum

---

[1] Cod. *timor*. [2] Cod. *denotionem*. [3] Cod. *sicut sicut et potuit*. [4] Cf. Ioan. 20, 24 sqq.

plenam habuisset fidem, quia tot dicebant sibi et ita affirmabant hoc firmiter esse verum, promisit dicto sancto unam ymaginem de cera, si eum ab illa gutta cum Dei adiutorio liberaret. Et facta promissione, in crastino mane surrexit sanus et venit Massiliam pedibus suis ac si nil mali fuisset passus, restitutus plenarie sospitati meritis et precibus dicti sancti.

210. - De fistula.

Raymundus Chatberti, baiulus castri de Rogerio, quendam habet filium xv annorum, Iachobetum nomine, qui fistulam in anca dextra habuit per septem annos vel circiter, que sibi aliquando unum, aliqua[ndo] diversa et plura foramina in anca faciebat; et quamvis longo [tempore] in cura cirurgicorum stetisset, nullum tamen remedium poterat invenire. Contigit quod ante festum Nativitatis Christi per mensem, circa festum silicet sancti Andree, predictus Raymundus pater pueri venit Massiliam ad domum fratrum Minorum, et videns ymagines super sepulcrum gloriosi confessoris Christi sancti Ludovici, et intelligens stupenda [1] miracula que Christus suis meritis et precibus operabatur, motus devotione ad sanctum et compaccione ad filium, promisit sancto Ludovico quod, si usque ad Nativitatem Domini filium ab illa fistula sanaret, cum una anca de cera, transacto festo, ipsum sibi duceret, et omni anno puer, quamdiu viveret, suus peregrinus esset et suum sepulcrum cum una candela visitaret. Quo facto, rediit Rogerium, et quod fecerat narravit dicto Iachobeto filio suo; qui gavisus de promissione et voto patris, dixit quod firmiter sperabat per sancti Ludovici merita ab illa fistula
35r liberari. Et transactis octo diebus, incepit gravari infirmitas et anca nimium inflari, * in tantum quod quasi desperati fuerunt, ne unquam [2] posset ab illa fistula liberari nec curari. Post tres dies vero crepuit inflatura et unum foramen fecit permaximum et sanies exivit in maxima quantitate, ita quod nichil ibi remansit, et postmodum foramen post paucos dies per se clausum fuit et dolor et inflatura totaliter ab[s]cessit, ita quod in festo Nativitatis Christi nichil in anca apparuit nisi cicatrix tantum, et in vigilia Apparitionis Christi pater cum filio et cum promisso corpus sancti Ludovici Massilie visitavit, restituto puero [3] ipsius sancti meritis plenarie sanitati.

211. - De febre quartana.

Andreas de Ama[l]fia, notarius regis Sicilie [4], detentus fuit Aquis a febre continua per mensem et dimidium, que ipsum in tantum debilitavit et afflixit, quod non sperabat posse [5] evadere, nec unquam [6] resumere vires suas, nisi Deus miraculose in eo operaretur, quia medicinalia que sibi medici preparabant, nullum remedium vel iuvamen sibi prestabant. Recurrit ad medicum animarum, et cum plena fide et cordis conpunctione promisit sancto Ludovico quod, si ipsum ab illa febre terciana que tam diu [eum] afflixerat liberaret, cum una ymagine de cera, viribus utcumque resumptis, suum sepulcrum Massilie visitaret. Et vix votum emiserat, quod febris illa ipsum dimisit totaliter, meritis et precibus dicti sancti. Et paucis elapsis diebus, suum sepulcrum, sicut promiserat, visitavit.

---

[1] Cod. *stupendia*. [2] Cod. *nunquam*. [3] Cod. *restitutus puer*. [4] Cod. *Cisilie*. [5] Cod. *posce*. [6] Cod. *nunquam*.

VITA

S. LUDOVICI EPISCOPI TOLOSANI

AUCTORE

IOHANNE DE ORTA

CODICES ADHIBITI:

A Londiniensis Musei Britannici MS. Additional. 23775, saec. XV, fol. 12v-74r.

B Ibidem MS. Cottonian., Cleopatra B. II, saec. XV, fol. 186r-212v.

D Dubliniensis Collegii SS. Trinitatis cod. E. 3. 11, saec. XIV/XV, fol. 113r-122v.

L Lipsiensis, Bibl. Universit., cod. 845, saec. XIV, fol. 144v-174r.

M Monacensis, Bibl. Status, cod. lat. 7894, saec. XIV, fol. 40r-72v.

N Neapolitanus in Archivo Status, cod. XXX, saec. XIV, fol. 193r-257r.

P Parisiensis, Bibl. Facultatis Theol. Protestant., non num., saec. XV, fol. 149rb-167ra.

S Mediolanensis Biblioth. Ambrosianae, N. 39 Sup., saec. XIV, fol. 5v-24v.

EDITIONES:

b Editio ap. *Analecta Bollandiana,* IX, Bruxellis 1890, p. 278-80, curante Franc. Van Ortroy, S. I.

c Editio ap. *Analecta O. Min. Capuccinorum,* XIII, Romae 1897, 343-351, 361-372; XIV (1898), 16-27, 83-89, curante Eduardo Alenconiense, O. M. Cap.

Incipit prologus.

1. Scripturus vitam beati antistitis Ludovici, *habitatorem* eius invoco *Spiritum*[1] sanctum, ut qui ei *virtutes* largitus est[2], mihi ad narrandum eas sermonem tribuat, et sua clementia vires praebeat, quas mea imperitia denegat. Licet enim in me non abundet scientia, nec suppetat facundia ad huius sanctissimi viri mirabilia, prout condecet, depromenda, inductus tamen, tam devotione qua ipsi sancto ex pluribus beneficiis et suffragiis per eum receptis obligor, quam requisitione quorundam virorum valde solemnium, quibus obedire ex caritate compellor, ipsius gesta, non quidem omnia, quia nec ego omnia didici aut scire potui, sed aliqua pauca, quae partim in eius domo et societate exsistens oculata fide perspexi, partim a quibusdam viris fide dignis auditu percepi, ad Dei et sanctissimi servi sui gloriam exponere decrevi, sermone licet rudi ac simplici, brevi tamen admodum et veraci.

Ut autem quae sequuntur facilius se offerant requirenti, septem infra positis capitulis sunt distincta. Agitur enim primo de ipsius nobili origine et sacrae vitae inchoatione. Secundo de orationis gratia et eius reverentia ad divina. Tertio de mira ipsius scientia ac sapientia et discreta prudentia. Quarto de eius fervida caritate, austeritate vitae et pietate. Quinto de ipsius profunda et admiranda humilitate. Sexto de eius felici obitu et consummatione. Septimo de ipsius miraculis, canonizatione et translatione.

Explicit prologus.

---

1. 1. Inc. prol.] *sic* S; Vita s. Ludovici ep. Tolosani, filii Caroli secundi Siciliae regis, profuse et accurate conscripta a Iohanne de Orta de civitate Tranl, Apulo, eius archidiacono, eleemosynario, capellano domestico ac familiari, et aliquandiu confessario, synchrono et oculato teste A; Incipit vita s. Ludovici episcopi et confessoris, regis Siciliae primogeniti, Ordinis Fratrum Minorum D; Incipit prologus in vitam b. Ludovici episcopi Tolosanensis de Ordine seraphici confessoris s. p. n. Francisci M; In nomine Domini n. Iesu Christi incipit prologus in vita b. Ludovici episcopi N; *om.* B L P 2. Ludovici antistitis N inhabitatorem B D M P eius *om.* M invoco] scilicet ipsum *add.* M Spiritum] ipsum S 3. mihi-eas *om.* L 4. enim] autem B D P; *om.* M non] nec S 5. abundat D L suppetat] suppeditet A; suspectat S ad] proferendum *add.* L; *infra om.* depromenda 6. ind. tam.] verumtamen motus L sancto] obligor A; obligor sancto c 7. obligor *om.* A quam] etiam (*sic*) *add.* S quorumdam *om.* L 8. non *om.* D 8-9. quia nec] *sic et* B 9. ego *om.* M pauca *om.* B D M P 10. oculata] occulta B 11. audita M sanctiss.] sancti N servi sui] *sic* M; viri B D P; servi *om.* A L N S exponere] explanare B P; *om.* L 12. decrevi] in *add.* S sermone] quidem *add.* A L N; quodam *add.* B D P licet *om.* L c

13. autem] ea S inquirenti M septem] *sic et* S 14. nobili] genere et *add.* M 15. rever. eius B D P 16. ipsius] eius A B D et de discreta S caritate] et *add.* M S 17. vitae auster. B D P et] ac M S ipsius] eius L 18. mir. ipsius B D P; et *add.* L P 20. Expl. prologus *om.* A B D P

---

[1] Cf. Rom. 8, 11. [2] Cf. I Cor. 12, 28 s.

Incipit vita beatissimi Ludovici episcopi et confessoris, inclyti regis Siciliae, Caroli videlicet secundi, filii primogeniti, Ordinis Minorum Fratrum professoris et alumni devotissimi.

Et primo de ipsius nobili origine et sacrae vitae inchoatione.

Primum capitulum.

2. Ludovicus, *fidelis* Christi *famulus* [1] humilisque Francisci discipulus, *Dei summi sacerdos* et *pontifex sanctus* [2], ex patre Carolo secundo rege Siciliae a regibus Francorum ducente progeniem, matre vero Maria regis Ungarorum filia, exortus est; cuius felices parentes cum in primo iuventutis suae flore felicem hunc filium feliciter genuissent, ob devotionem beati Ludovici Francorum regis, sanctitatis eius et morum imitatorem eum esse vehementer affectantes, ipsum vocari L u d o v i c i vocabulo censuerunt. Et recte, divina operante providentia, hoc factum est in futurorum praesagium meritorum, ut scilicet diceretur L u d o v i c u s, qui erat futurus l ucidus fama, d otandus sapientia, v ividus Christi gratia, c u stodiendus divina clementia, l ucisque daturus exempla, d octurus sacra v itae spiritualis subsidia et c u stodiae pastoralis praesidia saeculo praebiturus.

Puer igitur Ludovicus, in nobili corpore *sortitus animam bonam, ad corpus incoinquinatum* accessit [3]. In ipsa namque pueritia non pueriliter vixit, sed ab ipso pueritiae suae tempore cor gerens senile [4], aetatemque moribus transiens, nulli dedit animum voluptati. Quinimo a primis fere annis divinam potius servitutem sacra illustris pueri infantia aspiravit. Quasi enim alter Salomon, puer exsistens optavit *et datus est* ei *sensus*; et invocavit, *et in* eum *sapientie* et intellectus *spiritus* supervenit [5].

3. Unde cum alii pueri, qui secum nutriebantur, interdum more puerili puerilibus iocis intenderent, ipse iam non annis sed sensibus canus, divini amoris stimulos primitivos praesentiens, ludentium consortium fugiens, devotis orationibus aut sacris actionibus insistebat.

---

2. 1-3. Incipit - devotissimi] Incipit vita beati Lud. ep. et conf. Ordinis Fratrum Minorum M; Incipit vita b. Lud. episcopi N; *om.* A L S 4. Et *om.* S Et primo *om.* L, *pergit* De eius origine] genere M Et-inchoatione *om.* A Primum cap. *om.* A M N S 6. Christi fidelis A humilisque] humilis B D P; sancti *add.* L 7. secundo *om.* A N 8. progeniem] *sic et* S; progenie P Ungariae M S 9. cum suae ipsius iuv. fl. B D P florem P 10. Ludovici *om.* D sanctitatem N, *om.* eius 11. vehementius A affectabant A L M N S Ludovici] Ludovicum c 11-2. censuerunt] voluerunt B D P; decreverunt M; consueverunt S 12. recte] recta S; *om.* A providentia] prudentia M futurum M 13. Lud. diceretur N 14. divina] providentia vel *add.* S clementia] providentia A lucisque] spiritualis *add.* B D L P 14-5. docturus... subsidia, lucisque... exempla *transp.* B D P 15. exempla docturus *om.* M docturus] donaturus L sacrae A B D spiritualis *om.* L
17-8. incoinquinatum] coinquinatum non L 18. ipsa namque] ipsaque A M N S; prima igitur L 18-9. ab ipsa pueritia suo tempore L 19. suae] *sic et* B; *om.* M S aetatem D nulla L animum dedit B D P 20. pueri *om.* M 20-1. aspiravit infantia L 21. enim] etenim S puer *om.* B D P exsistens] geniosus *add.* M 21-2. sensus et] sensus A 22. invocant S; invocavit in A N et in] et venit in B D P eum] spiritus *add.* B P sapientia L intellectus] *sic et* B
3. 1. puerilibus] pluribus B D P 2. iam ipse B D P 3. ludentium] lubricorum M aut] et B D L N P

---

[1] Hebr. 3, 5. [2] Hebr. 7, 1, 26. [3] Sap. 8, 19-20. [4] Cf. Tob. 1, 4. [5] Cf. Sap. 7, 7.

[Mirabile [1] valde, sicut a serenissima domina regina eius matre et ab aliis qui eius nutriendi curam habebant, didici. Cum puerulus esset annorum septem et delicate ut tanti regis filius nutriretur, saepius lectum dimittere et in tapetiis iacere inventus est et quasi alter Iohannes Baptista in sua aetate puerili poenitentiam faciens [2], carnis delicias abhorrere coepit, eligens potius super humum quam in regali lecto dormire. Videbatur enim intelligere, quod nondum legerat, illud videlicet Sapientis verbum [3]: *Adolescens iuxta viam suam* gradietur, et cum *senuerit, non recedet ab ea*].

Animus quoque eius circa monasteria aut circa ecclesias semper intentus, meditabatur adhuc in aetate puerili quod postea devotus implevit. Porro mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia et tractabilitas ultra humanum modum, conversationisque maturitas supra puerilem statum, quibus puer *bonae indolis* [4] Ludovicus certis florere conspiciebatur indiciis, quaedam videbantur esse praeludia sanctitatis, quod copiosior super eum foret in posterum divinae benedictionis gratia diffundenda.

4. Quoniam vero Dei erat non adulterinus sed legitimus filius, necesse fuit ut eum tribulationis tentatio susciperet, et electum suum *tamquam aurum in fornace* Dominus comprobaret [5]. Ideoque [6] puerilibus annis more patriarchae Iacob [7] simpliciter domi transactis, Deo disponente qui *flagellat omnem filium quem recipit* [8], cum iam annum quartumdecimum attigisset, in Cataloniam est adductus, et ibidem pro patris sui liberatione pacisque reformatione cum duobus suis germanis fratribus obses mansit [9]. Ubi cum in septem annis, quibus inibi obses fuit, plura adversa sustinuerit tam propter custodiae eorum securitatem quam propter aliquorum custodum incurialitatem, tamen vultum semper *hilarem* et iucundum animum re et signo exhibens [10], in omnibus *patientiam* conservavit [11], aliosque suis sacris exemplis ac salutaribus monitis ad patientiam animavit. Unde et aliquando quibusdam de sua tam iucunda et humili patientia in tot eius adversitatibus admirantibus et requirentibus quomodo inter tot adversa sic hilaris posset esse, fertur *vir Dei* [12] taliter respondisse: « Tempus », inquit, « adversitatis servis Dei

5-11. Mirabile - ab ea *om.* A M N S. *Circa hanc additionem vide notam 1.* 5. domina *bis* L 6. esset puerulus L septem annorum A B L 7. nutriretur] et care ut *add.* L dimitteret b iacens b est *om.* B 9. in lecto nobili et regali dorm. L 10. verbum Sap. L 11. gradietur et *om.* L
12. Animus quoque] Animusque A N S; Animus M semper *om.* M 13. adhuc] ad hoc L quod] quae b adimplevit L mansuetudinis] *sic et* S 14. et *om.* L M 14-5. conversationisque] conversationis etiam B (*sic*) D P 15. super b certis *om.* M 16. quod] quia B D P; quae b c 17. diffundentia S
4. 1. erant S 2. tentationis tribulatio L 3. Ideoque] Idem A; Ideo c pueril.] pluribus M 4. flagellat] flagebat S 5. in] inde B D P 6. pacisque reform. *om.* M duobus fratr. suis atque germanis B D P cum in] tamen in L; cum S 7. sustinuit L 8. secur.] severitatem L tamen *om.* B D P vultum] multum M 9. animum] *sic* M; animo B D N P S; exhibens animo A animum re] et more L exhibens *om.* A 10. conservavit] *sic et* S; observavit L sacris suis L 11. et *om.* M S 12. admirant. et *om.* A req.] inquirentibus M possit N 12-3. esse posset A 13. virum B D P servus S

[1] Quod hic inter uncos [ ] inclusimus (lin. 5-11) desideratur apud codices qui priorem Legendae redactionem praebent, quique ad textum stabiliendum, ut plurimum, securiores duces nobis sunt. Tamen in hac additione serius apposita idem auctor nobis excludendus non videtur, cum in prima persona adhuc loquatur et notitiam hauriat e fonte qui ipsi auctori aditu erat facilis, aliis vero locutionum tantum subversoribus impervius. [2] Cf. Matth. 3, 4; Luc. 1, 80; 3, 3 ss. [3] Prov. 22, 6. [4] III Reg. 11, 28. [5] Cf. Sap. 3, 6. [6] Hinc incipit n. 4 apud *An. Boll.* [7] Cf. Gen. 25, 27. [8] Hebr. 12, 6. [9] Ad *Processum canonizationis* supra editum, ut fontem vel confirmationem, cum occurrat, remittimus, hoc modo: *Proc.* cap. 2, p. 11. [10] Cf. Eccli. 35, 11. [11] Cf. Eccli. 2, 21. [12] I Reg. 9, 7 etc.

multo est utilius quam tempus prosperitatis ad meritum conquirendum; ideoque in adversis est potius quam in prosperis exsultandum »[1]. Pluries quoque post suam liberationem dixit quod pro toto mundo nollet in illo carcere, qui sibi tam utilis fuerat, non fuisse. Inducebat quoque ad hoc illud Psalmistae[2]: *Laetati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Dixit etiam quod numquam rogaverat Deum pro sua liberatione, nisi semel, cum conditione: si expediret animae suae; necnon asserebat quod in castro de Siurana, in quo quatuor annis detentus exstiterat, bene et quiete manserat, nec umquam in detentione praedicta aut adversis quibuscumque inibi supportatis fuerat fastiditus; et statum illum desiderare adhuc etiam videbatur.

5. Licet autem *in captivitate positus,* velut alter Tobias *viam veritatis non deseruit*[3]. Disposuit tamen clementer divina providentia, quae ipsum ad altiora reservabat, afflictionem addere iam afflicto, ut variis pressurarum tunsionibus in Domini vas electum et admirabile formaretur. Incurrit igitur, in castro quod Siurana dicitur exsistens, infirmitatem gravissimam, in tantum quod sputum foetidum et sanguine corrupto plenum emitteret, et ipsius pulmonem vulneratum fore medici formidarent. In vigilia autem Purificationis beatae Mariae in tantum fuit infirmitas aggravata, quod fere fuit distillatione rheumatis suffocatus. Videns igitur se in tam arcto periculo positum, recurrens ad Deum, intra se votum emisit, promisitque Deo et beatae Mariae et beato Francisco, quod si ab huiuscemodi infirmitate liberaretur, fratrum Minorum habitum assumeret et perseveranter in eo Domino deserviret. Dei igitur et sanctorum quos invocaverat patrocinio liberatus ac sanitati plenarie restitutus, accepti beneficii non ingratus, in sequenti festo Pentecostes, sancto inspiratus Spiritu, mane intrans eiusdem castri capellam, ad honorem beatae Mariae Virginis dedicatam, quod prius voverat tacite, vovit expresse, super altare se ipsum offerens *holocaustum* Domino *medullatum*[4].

6. Quadam autem die, dum in praenominato castro de licentia custodum fuisset permissus una cum uno de fratribus suis ad hoc idoneo, videlicet domino Roberto, qui postmodum ad regnum Siciliae gubernandum divina providentia est assumptus, armis assumptis militaribus in equo cursum facere, sicut exercitantibus se in militia moris

14. ad meritum conquirendum [consequendum D] quam tempus prosp. *transp.* B D P ad - conquir. *om.* A N ideo M S 15. est *om.* A Pluribus B P liber. suam *transp.* S 16. nollet *om.* S tam utilis sibi B D P fuerat] se *add.* B D P 17. quoque] quippe B P; namque D 18. humiliasti] et *add.* M etiam] et S rogavit A; rogaverit L 19. semel] selis (*sic*) S expedieret P S necnon *om.* B D P 19-20. asserebat] praeterea *add.* B D P 20. Surana B D L P 21. in] ibi L; ibi de M adversis] adversitatibus B D L P 21-2. in - fuerat] ibi fuerat (fuerit A) *cetera om.* A N 22. inibi] ibi B D P desiderare - etiam] etiam desiderare L, *om.* adhuc etiam] et S; *om.* B D M P

5. 1. autem *om.* M velut] ut B D L P 1-2. deseruerit B D P 2. providentia] clementia M 3. iam *om.* M S tunsionibus] mensionibus A Domini] Deum M S; domo *add.* B D P 4. Surana B D L P 4-5. Incurrit - exsistens] Igitur exsistens in castro quod de Siur. dicitur incurrit N exsistens *om.* B D M P 5. sang. corr.] sanguinem corruptione B D P; corruptum sanguine L 6. et] ac B D P fore] esse A 7. beatae] sanctae L Mariae] Virginis B D P fuit] fluxit N 8. igitur] itaque B D P tam arcto] tanto M 9. emisit promisitque] promisit M Mariae] Virgini *add.* B D L P 10. huiusc.] hac L habitum] Ordinem B D P 11. serviret B D P 11-2. invocavit M 12. sanitati] pristinae *add.* B D L P; sanitate plenaria M 13. ingratus] ignarus D Spir. sancto inspiratus D inspirante M Spir. inspiratus B P eiusdem] eodem S 14. castri] *sic et* S beatissimae B D P ad - dedicatam *om.* A N Mariae *om.* S Virginis Mar. D P Virginis] Dei Genitricis *add.* M quod] *sic et* S 15. Domino holocaustum D

6. 1. dum *om.* A 1-2. permissa N 2. uno de] duobus *add.* B D P hoc] haec L 2-3. videlicet - assumptus *om.* A N 3. ad regnum *om.* M. 4. assumptis *om.* M sicut] sic S se in] se S

[1] *Proc.* cap. 17, p. 13, 100, 109. [2] Ps. 89, 15. [3] Tob. 1, 2. [4] Ps. 65, 15.

exstat, hoc cum vir Dei acceptasset pro consolatione praedicti fratris sui, ut creditur, qui se libenter in huiusmodi exercebat (cui vir dulcis et prudens fraterne compatiens saepe in his et in aliis caritative et benigne, quantum poterat, condescendebat bono modo), custodibus vero hinc inde cum reliqua familia in locis eminentioribus exercitium huiusmodi exspectantibus, subito equus cui insedebat, licet esset magnus et fortis, in ipso cursu impingens cecidit; ipseque simul cum equo cadens sic sub equo resupinus iacuit, quod equus pedibus versus caelum erectis, spinaque dorsi ad terram conversa, super ipsum in terra prostratum revolutus tribus vicibus se convertit. Liquefactis autem prae dolore, vel prae stupore potius arefactis cunctis qui ad spectaculum convenerant, pro tam horrenda morte qua talem ac tantum virum interfectum ac contritum penitus aestimabant, subito sanctus vir surrexit de terra, tergensque faciem suam a pulvere qui sibi inhaeserat, contra spem omnium apparuit incolumis et in nullo quidquam habens penitus laesionis [1]. Quod quidem cernentes et stupentes qui aderant Deum pariter collaudarunt, qui *servos suos sperantes in se* [2] de immensis periculis mirabiliter eruit et defendit.

7. Vir autem Dei, considerans profundius ex hoc facto hominis caducam fragilitatem, Deique omnipotentis dulcissimam bonitatem, attendens quoque propensius, iuxta dictum propheticum, *fallacem* fore *equum ad salutem* [3], nec Dominum habere *in equi fortitudine voluntatem,* sed potius *super timentes eum* esse *Domino beneplacitum et* ipsum *in eis qui sperant super eius misericordia* delectari [4], totis cordis medullis ad Deum sua vota convertit, et ex alto contempta fallacis saeculi pompa ac relicta caduci mundi militia, Christo Domino vero, *qui solus habet immortalitatem* [5], sicut iam ante animo devoto conceperat et expresso verbo devoverat, statuit firmiter militare, et ex tunc numquam arma portare nec equum voluit equitare. Quinimo etiam postquam factus est episcopus, memor pauperis Regis et humilis caelestisque Pontificis Christi Domini nostri, qui asello paupere subvectus fuit et vili [6], non quidem equo sed super mulo parvi valoris et vilis pretii insedebat.

---

5. exstat] exsistit B D P hocque vir N c cum *om.* L accept.] attentasset B D P; acceptans L praedicti] dicti *M*; *om.* N c 6. exercebat] se *hic repetunt* A N 7. saepe *om.* c et in] et L caritative] caritatem *M* 7-8. bono m. poterat cond. A N; b. m. condesc. B D P 8. vero *om.* A N 9. huius A spectantibus *M* insedebat] Ludovicus *add.* B D P 10. ipseque] ipse quoque B D P; et ipse *M*; ipse S cum equo simul *M* 11. resupinus cum equo *transp. et var.* B D P iacuit] iacens ita L versus caelum pedibus B D P versus] inversus A spina B D P 12. ad terram L *M* prostratus L 13. vel] *sic et* S potius prae stup. B D P 14. constrictum b 15. existimabant L vir sanctus L 16. sibi] ei B D L P nullo] membro *add.* *M* habens quidquam D L 17. Quod] *sic et* S et stupentes *om.* D 17-8. collaudabant B D P; collaudaverunt L *M* 18. qui] *sic* B *et ceteri codd.*; quod b de] ab N mirabiliter *om.* A *M* N

7. 1. Dei *om.* *M* 3. dictum] *sic et* S Dominum] Deum *M* 4. fortitudinis *M* et] in *add.* *M* S 5-6. medullis - relicta] medullis contemnens fallaces saec. pompas sua vota conv. ad Deum ac relicta *M* 6. vota sua L ex alto] extemplo B D P relicto P 7. vero Domino B P vero *sic et* S; *om.* L iam *om.* B D P ante] antea N; *om.* A L 8. dev. animo L verbo *om.* A statuit - et *om.* B D P 9. arma - equitare] arma portavit nec equitare voluit *M* equum] equ[it]ando S 9-10. postquam - episc.] factus episcopus B D P 10. episcopus est A *M* et humilis *om.* D 10-1. Chr. D. n.] Domini n. I. Chr. [*om.* D] B D L P 11. et vili] viliter B D P; et *om.* N super] semper N; *om.* *M*

---

[1] *Proc.* p. 95. [2] Cf. Ps. 85, 2; Dan. 13, 60 etc. [3] Cf. Ps. 32, 17. [4] Cf. Ps. 146, 10-11. [5] I Timoth. 6, 16. [6] Cf. Matth. 21, 2 sqq.; Luc. 19, 30 sqq.

De orationis gratia et eius reverentia ad divina.

Secundum capitulum.

8. Quoniam vero servus Altissimi Ludovicus, unctione eum docente interius[1], sciebat devotum spiritum caelesti sponso per orationis gratiam copulari, idcirco vehementer sitiens Christi Iesu suavibus affici gustibus, dulcibusque adstringi complexibus, orationis studio tam publico quam privato nisus est se totum devotissime mancipare[2]. Unde adhuc positus in habitu laicali, Officium diurnum pariter et nocturnum secundum consuetudinem romanae Ecclesiae impraetermisse ac integre et sine syncopa quotidie Domino persolvebat; multumque moleste ferebat et severe arguebat si quem cerneret nimis festinare aut modo quolibet divinum Officium perturbare. Psalmos autem, quasi Deum praesentem haberet, cum mirando fervore spiritus proferebat. Orabat saepe et tam devote, ut alios etiam indevotos ad devotionis gratiam excitaret. In omni quippe oratione sua vultum praetendebat placidum ac serenum, ut serenitatis et iucunditatis spiritus, quem habebat interius, vultus extrinseci gratiosa compositio testis esset. Et[3] quia ubi cor ibi oculus, orans in ecclesia in Crucifixum attente suos oculos infigebat.

9. Ultra quotidianum vero Officium dicere solitus erat psalmos poenitentiales cum litaniis, noctibus singulis rigans et lavans cum Propheta compunctionis *lacrimis stratum* suum[4]. Psalmos nihilominus[5]: *Voce mea ad Dominum clamavi,* et *Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus,* in quibus devotionem specialem acceperat, quotidie dicebat, et in fine cuiuslibet Horarum *Salve Regina* cum quibusdam devotis orationibus, et post Completorium Septem beatae Virginis Gaudia cum oratione eadem continente. Plura quoque alia laudum praeconia ac orationum munera Domino offerebat, necnon et Crucis Officium singulis horis dicebat, cum uno de Fratribus Minoribus sociis suis sibi magis familiari intrans *cubiculum, ostio* semper *clauso*[6]. Volensque dolorosae poenae Christi pro nobis crudeliter crucifixi aliquid in proprio corpore experiri, quamdiu Crucis durabat Officium, stans in modum crucis expansa brachia tenebat continue et extensa. Quod quidem sic erat poenosum, ut Frater ei assistens, idem in se ipso facere tentans, vix posset prae afflictionis angustia tolerare[7]. Nomen quoque Iesu

8. 1. gratia or. M 4. devotum] devotionis B D P vehementius A 5. sitiens] sciens D Ies. Christi B L P suavius M affici] refici B D P dulcisque L constringi B D P amplexibus B D P 6. Unde et D 7. laicali] saeculari M Officium] divinum *add.* B D P 8. sanctae romanae A N Ecclesiae] Curiae L M 8-9. persolvebat] psallebat D 9. multumque] multum etiam B D P arguebat] quod *add.* M 10. modo quol.] quomodolibet B D L P autem] quoque B D L P 11. spir. ferv. B D L P 12. etiam] et S ad dev. gr.] ad devotionem M suam B 13. et] ac L spiritum B D P habebat] gerebat D P; gerebant B 14. cor *om.* M 15. in Cruc.] ad Cruc. B D P oculos suos B D P

9. 1. vero] enim L 2-3. stratum] lectum B D P 3. Septem Psalmos D nihil.] nos *sic* S Dominum] Deum B 4. est] ex S psalmus *om.* L spec. dev. A M N conceperat N 5. Horarum] Hore B D L P; dicebat *add.* M Regina] misericordiae *add.* S quibus D 6. et] est A; *om.* B earumdem M 7. continente] contentiva M; contenta S Plura quoq.] Pluraque M Domino *om.* A 8. et] sanctae *add.* M; *om.* D S horis] diebus c 8-9. Minoribus *om.* D 9. suis *om.* D m[a]gis B familiaribus D semper] super *omnes codd.*; super se B D L M P 10. dolor. poenae] poenarum B D P in *om.* S 11. durabat sanctae Cr. Off. L expansa] extensa M continue] quotidie L; *om.* B D P 12. extensa] expansa M erat sic B D P 12-3. in se ipso idem L facere] experiri B D P 13. vix posset] vix tolerare posset A; tolerare vix potuit N tolerare *om.* A N

[1] Cf. I Ioh. 2, 27. [2] *Proc.* cap. 3, p. 11. [3] Hinc incipit n. 9 apud *An. Boll.* [4] Cf. Ps. 6, 7. [5] Pss. 76 vel 141, et 146. [6] Matth. 6, 6. Conicimus *semper* pro *super* (certe corruptum), ut sensus resultet et cursus permaneat. [7] *Proc.* cap. 5, p. 11 sq., 21, 99, 107.

tanto venerabatur affectu, quod cum in divino Officio occurrebat, iubilo quodam repletus, aut profunde caput et totum corpus inclinans, aut genuflectens et terram osculans, sacro Nomini debitam reverentiam exhibebat.

10. Devotioni quoque eius testimonium efficax praebet ordinum sacrorum devotissima susceptio, praecipue sacerdotii, quod cum devotione permaxima et lacrimis maximis quasi per totam Missam indesinenter continuatis tamquam angelicus vir suscepit. Sacramentum autem Dominici Corporis saepe sumebat cum tam stupenda devotione et tam gratiosa consolatione, quod et aspicientes stupentes reddebat et tepidos ad sacramenti reverentiam provocabat. Ut autem se divinis aptius coaptaret, cum grandi diligentia sacris et devotis libris legendis operam impendebat et audiendis verbis divinis reverenter et humiliter intendebat. Propter quod, et antequam foret episcopus et post, semper dum comedebat, et in collatione quando ieiunabat, de sacris Scripturis coram se legi aliquid faciebat, ut ex *fontibus Salvatoris aquas* compunctionis salubriter exhauriret [1], quas orationis tempore coram Domino fundens, terram cordis sui salubrius irrigaret.

11. Antequam quoque Missas singulis diebus audiret confessionem devotissimam praemittere consueverat, praecipue cum erat sacram Eucharistiam recepturus, ut virtute salutiferae poenitentiae emundatus *Agnum sine macula* [2] immaculato corde et corpore manducaret [3]. Communicabat autem, antequam esset sacerdos, in quolibet festo praecipuo [4]. Postquam vero sacerdos fuit effectus, etiam cum fuit episcopus, licet plurimum propter officium regiminis occupatus, omni fere die praemissa confessione devotissime celebrabat, ita quod nec propter laborem itineris istud facere omittebat. Imo saepe etiam in aestivi temporis angustia post viginti miliaria et eo amplius aliquando peragrata, cum ad locum hospitandi pervenerat, Missam cum devotione maxima celebrabat [5]. Semel etiam rediens de Francia, cum equitasset per decem leucas cum pluvia et cum lutis, pervenit ad quamdam ecclesiam, in qua, licet non invenisset sacerdotale vestimentum nisi vile et sordidum, calicemque de piltro [6] nigro cum patena plicata, ex fervore tamen spiritus vir sanctus et humilis Missam devotissime celebravit [7]. In comitatu quoque de Palas similiter

14. divino] Dei L 15. et tot.] aut tot. L 15-6. deosculans B D P
10. 1. sacrorum ord. L 1-2. devotiss.] sacra c 2. quod] quem ordinem B D L P praemaxima b continuans M 3. tamquam] quasi A vir *om.* L 4. sumebat] suscepit B stupenda] stupendam B; oratione *add.* A N 5. et quod *transp.* S 5-6. rev. sacram. B 6. divinis se D divinis aptius se L captaret A coaptaret cum] *sic et* S grandi] grava *sic* L; *om.* D 7. et devotis] devotionis B D P 8. intendebat] insistebat B D P Propter et *sic* S, *om.* quod et antequam] etiam ant. M 9. Scripturis sacris B D P 9-10. aliquid legi B D P 14. exhauriebat M 11. salubriter B D P
11. 1. Antequam quoque] Porro etiam [*sic et* B] antequam B D L P; quoque *om.* M; Ante quoque quam S diebus singulis B D P 2. consuebat *sic* L erat] esset B D; *om.* P percepturus M 3. emendatus M macula] puro et *add.* B D P, *om.* et corpore 4. Communicabatur A autem *om.* L antequam - praecipuo] in quol. ... praec. ant. ... sacerdos *transp.* A sacerdos esset D in *om.* M quolibet] *sic et* B; quibus S 5. vero] etiam L; autem N sac. f. eff.] est sacerdotii dignitatem adeptus B D P fuisset eff. L etiam] et N S; sic *add.* c cum f.] cum esset B D P plurimum *om.* M S 6. regim. officium B D L P omni] enim *add.* S 7. istud] illud B D L P etiam *om.* D 7-8. aestivi temp. angustia] aestivo tempore M 8. post *om.* B D L P miliaribus ... peragratis B D L P 9. pervenisset B D P celebraret B D P 10. cum pl. et c. lutis] in pl. et in luto M; c. pl. et lutis N; luto et pluvia plurimum madidatus [madefactus P] B D P 12. calicemque] calicem vero B D P; et calicem L piltro] idest auricalco *add.* M ex] in M ferv.] furore N 12-3. sanctus] sacer A B D L M P 13. celebrabat B D P

[1] Cf. Is. 12, 3. [2] Cf. Exod. 12, 5; I Petr. 1, 19. [3] *Proc.* cap. 6, pp. 12, 34, 51. [4] *Proc.* cap. 8, pp. 12, 108 etc. [5] *Proc.* cap. 39, pp. 17, 57, 104, 114 etc. [6] Explicat verbum cod. M inter variantes. [7] *Proc.* cap. 40, pp. 17, 76, 86, 104, 114 etc.

cum paramentis similibus vice alia celebravit. Noverat enim Deum delectari potius in sacris affectionibus devotae mentis quam in corporalibus ornamentis. Per[1] montes quoque Pyreneos aliquando transitum facientem asperrimae viae difficultas ab hac celebrandi devotione non potuit cohibere.

12. In dominicis vero et festivis diebus Missam solemniter celebrabat, et decantari cum multa solemnitate Officium faciebat. Ordines autem et virginum ac ecclesiarum consecrationes devotissime et cum mira omnium gratia celebrabat. Videbatur nempe viro sancto se ad orationis et lectionis exercitium a Deo gratiam recepisse; ideoque de oratione ad lectionem et a lectione ad orationem recurrere indefesse iugiter appetebat. Illud enim tempus, quo de Deo non cogitabat, se amittere reputabat. Unde in sero saepe tam prolixe orabat, quod etiam familiares eius et socii gravabantur. Sed et vocatus ad comestionem non statim venire volebat, sed in oratione secreta paululum persistens nitebatur caelestis pabuli dulcedinem praegustare. Quia vero se indignum ad obtinendum per se reputabat, libentissime et instantissime ab aliis orationum suffragia postulabat. Exsistens denique in carcere, et etiam extra multo tempore, tamquam Crucifixi fidelis amicus supra se detulit de ligno Crucis cum multis aliis reliquiis pretiosis; crucemque quam pro passagio ultramarino susceperat, usquequo religionem intravit, publice in vestibus deportavit.

13. Eius itaque devotioni omnis boni adversarius invidens, conatus est eum nonnumquam ab orationis studio perturbare. Unde, cum semel exsistens obses in Catalonia, aestimans omnes qui secum erant in camera obdormisse, surrexit intempestae noctis silentio ad orandum; eidem devote oranti in specie cati horribilis diabolus apparuit, ut illum immisso terrore turbaret, et pavidum redderet ad vigilandum in orationibus, et pusillanimem ad surgendum *mediis noctibus*[2] *ad nomen Domini confitendum*[3]. Sed sanctus adolescens confisus in Domino, signo crucis se muniens, a se pavorem huiusmodi potenter excussit et figuram terribilem protinus effugavit. Cum autem perpendisset dominum Raymundum Berengarii fratrem suum, qui tunc puer exsistens in eadem camera dormiebat, evigilasse et factum vidisse, iuramentum ab eodem exegit

14. cum par. simil. *om.* M alia] Missam *add.* S potius *om.* L 15. montem B P 16. faciens B D L P asperae B D P 17. devotione] eum *add.* B D P potuit] eum *add.* L cohiberi D

12. 1. vero et] in *add.* B D P solemn. Missam B 1-2. decantari - Officium] Officium ... decantari *transp.* B D P 2. autem] quoque D; sacros *add.* L et] ac M; *om.* B D P ac] et B L M P 3. mira] misericordia D nempe] namque M 4. se *om.* M ad lect. et orat. *transp.* L exercitia A N accepisse L 5. appetebat] properabat B D P 6. enim *om.* M S quo] quod M in *om.* L saepe *om.* A 7. tam] ita B L P etiam] et L et socii] socii B D P Sed et voc.] Revocatus quoque B D P ad *om.* S 8. persistens] videbatur caelestis pabuli vel *add.* S 9. degustare M Quia] Quod S indignum se B D P ad] et P 9-10. per se *om.* B D P 10. et] ac B D L P multo] omni M 12. super b tulit S ligno] salutiferae *add.* B D P multis *om.* L pretiosis] crucem pretiosam B D P crucem quoque B D M P 13. quam pro passagio] *sic et* S pro [pas]sagio P publice *om.* B D P 14. portavit M

13. 1. itaque] autem M; quoque N; inque S (*sic legitur, non autem* inquam, *ex errore vel incuria amanuensis, qui* itaque *vel* namque *intendebat*) adversarius] *sic et* S 2. cum - exs.] exsistens semel L 3. existimans M S omnes *om.* M in camera *om.* S 4. eidem] cui sic B D N P; ei denique (*pro* eidemque) M oranti devote L cati] canis N cati horribilis] horribili B D P; tam horribili M 5. illum *om.* D N et] ut D 6. pusillanime S ad nomen] et nom. B D P; et nomini L 7. se signo crucis L 8. excussit] exclusit A L M N; exduxit *sic* S figuram terr.] portentum terribile A L N; teterrimum illum spiritum B D P 9. Raym. Berengarii] regem Ungariae A; regnum Ungarii N; R. Berengarium b exsistens] et *add.* L 10. vidisse] extemplo *add.* B D L P eodem] eo B D P

[1] Hinc incipit n. 12 apud *An. Boll.* [2] Tob. 4, 9. [3] Ps. 121, 4 et 141, 8.

quod numquam ipso vivente factum hoc alicui revelaret. Quod quidem, ut promiserat, celans quamdiu sanctus in hoc corpore vixit, post eius obitum ad Dei et sancti gloriam pluribus propalavit [1].

De mira ipsius scientia ac sapientia, discretaque prudentia.

Tertium capitulum.

14. Sed quia, iuxta testimonium Sapientis [2]: *Clara et quae numquam marcescit sapientia,* sicut *in malevolam animam non* intrat, *nec in corpore subdito peccatis* habitat, sic econtra *facile videtur ab his qui quaerunt illam:* idcirco sancto suo Ludovico, qui tanquam alter Daniel *vir* sanctorum *desideriorum* [3] exsistens noluit de mensa regis Babyloniorum pollui, *nec de vino potus eius* inebriari, sed potius ab omni immunditia carnis et spiritus abstinere, *ut* posset *animum* suum *transferre ad sapientiam* [4], quam medullitus diligebat ac studiosissime requirebat, dedit *Deus scientiarum Dominus* [5] *scientiam et disciplinam* [6] in omni libro et sapientia, ita quod infra septennium illud, quo in Catalonia obses stetit sub instructione Fratrum Minorum, quos habebat secum continue familiares et socios ac magistros, in moribus et doctrina fuit sufficienter instructus, in scientiis divinis pariter et humanis, in tantum quod de eisdem publice ac private disputaret subtiliter et decenter, sicut et e g o i p s e v i d i B a r c i n o n a e, praesentibus religiosis et saecularibus, eum pulchre et optime *de quolibet* respondentem. Christo quoque eidem suam infundente *sapientiam* [7] et tribuente sibi tamquam viro apostolico os et linguam [8], tam clero quam populo solemniter bene et gratiose ac subtiliter praedicabat. In Capitulis nihilominus conventualibus et provincialibus religiosorum in sacra Pagina instructorum, et in regum ac pontificum pluriumque doctorum praesentia, et etiam aliquando coram toto collegio Cardinalium, proponebat confidenter et efficaciter verbum Dei [9].

15. Ad huiusmodi autem praedicationes faciendas sic promptus et repente paratus erat, ut recte non ipse, sed in eo loqui, iuxta Salvatoris promissum [10], caelestis *Patris Spiritus* videretur. Cum [11] enim aliquando nec tempus nec opportunitatem ad praemeditandum [12] sufficienter posset habere, superabundanter tamen in eo *Spiritus sancti gratia* [13],

---

11. factum *om.* M hoc *om.* A 12. celans] celavit A; *om.* M corpore] tempore D eius] vero *add.* S

14. 1. ac] et M P et discreta L et de (*sic*) discreta S discretaque prud. *om.* P 3. Sed] Et B D P S Sapientis] sapientia *add.* L Clara] est *add.* M 3-4. sapientia *om.* L 4-5. habitat *om.* M 5. facile] facilis L S; faciliter M sanctorum desid.] scientiarum N 7. Babilonis B P pollui] crapulari B D P 8. possit b animam suam M 9. ac - requirebat *om.* S dedit] autem ei *add.* B D L M P S 10. ita *om.* A ita quod] *sic et* S infra] in P 11. stetit] fuit D M S secum habebat D 13. in tantum *om.* N ac] et B L 14. sic A et ego] *sic et* S; ego M in Barcinona S 15. de quolibet *om.* L 16. suam *om.* L tribuente sibi] tribuentes S 17. solemniter] et *add.* S et gratiose] gratiose M; gratioseque S 17-8. ac subtil.] ac salubriter B D P; *om.* L 18. et] ac M 20. etiam] *sic et* S fidenter A L N

15. 1. huiusmodi] eius *sic* S et] ac B D L P repente *om.* M 2. recte] certe S 3. Cum] Ubi B D P enim *om.* A 3-4. praemeditandum] praedicandum B D L M P S 4. posset suffic. A M N superabundanter] *sic et* S; superabundantius M

---

[1] *Proc.* cap. 21, p. 13, 36, 95 etc. [2] Cf. Sap. 1, 4; 6, 13. [3] Cf. Dan. 9, 23; dein ib. 1, 8. [4] Eccles. 2, 3. [5] I Reg. 2, 3. [6] Paral. 1, 12. [7] Cf. Luc. 21, 15. [8] Cf. Is. 1, 6 sqq. [9] *Proc.* cap. 2, p. 11. 33, 60 etc. [10] Matth. 10, 20. [11] Hinc tantum incipit n. 15 apud *An. Boll.* [12] Cf. Luc. 21, 14. [13] Act. 10, 45.

quae nescit tarda molimina, gratiose Dei mirabilia eructabat. Unde, prima die qua fuit clericatus, in nuptiis reginae Aragoniae sororis suae praedicavit de festo Omnium Sanctorum et de nuptiis quae eodem die fiebant, praesentibus regibus Siciliae et Aragoniae et duobus archiepiscopis, legatis Sedis apostolicae, pluribusque aliis praelatis et baronibus, maximaque multitudine populi atque cleri. Semel quoque transitum faciens per Ilerdam, cum de loco fratrum Minorum ubi hospitabatur pararet se ad eundum causa visitationis ad domum fratrum Praedicatorum eidem loco propinquam, sibique dicenti non habere quid proponeret, quidam frater Minor breviter sibi recitasset quamdam collationem, statim profectus non sine Fratris qui ei recitaverat admiratione, fundans se super auditis, proposuit in eorumdem Fratrum Capitulo bene et laudabiliter *verbum Dei* [1].

16. Ex multo etiam fervore spiritus, quamquam debilis esset corpore multisque attritus laboribus, sciens abscondentem *frumenta in populis* maledicendum [2] et servum non erogantem *talentum acceptum nummulariis* a Domino iudicandum [3], frequenter clero et populo praedicabat, postquam episcopus fuit factus, non solum in sua dioecesi sed etiam in dioecesibus alienis, ad haec cum devotione multa a praelatis et populis invitatus. Unde cum fuit Parisius, Universitati scholarium cum multa admiratione et gratia audientium, non quidem in pontificalibus sed in humilitatis exemplum et ob paupertatis amorem in fratris Minoris simplici habitu, praedicavit. Ex eisdem causis Tolosae et alibi idem fecit. Pluries quoque ex magno fervore spiritus *verbum Domini* [4] etiam bis in die solemniter proponebat. Unde cum semel venisset ad locum Tarasconi, ubi in maiori ecclesia sacrum corpus beatae Marthae Christi hospitae venerabiliter requiescit, superveniente eiusdem sanctae solemnitate, praedicavit de mane immenso populo qui ad diem festum illuc convenerat, et circa vesperas provinciali Capitulo fratrum Praedicatorum, quod erat ibi tunc temporis congregatum.

17. Disputabat etiam libenter cum Iudaeis ac Saracenis, et ipsorum duritiem sacrae Scripturae sententiis atterebat et errorem perniciosum rationabiliter convincebat [5]. Discre-

---

5. nescit] nescire A; *om.* L molimina] volumina A 5-6. qua f. cler.] clericatus sui M 6-7. Sanctorum *om.* M 7. eadem M Siciliae et] scilicet L 9. cleri et populi B D P 10. Ilerdam] *sic et* S; Ilardam D hospitab.] hospitatus fuerat B D P eundem B 11. propinqua A; propinquum B D L P 11-3. sibique - collationem] ubi Capitulum celebrabatur applicuit. Rogabant eum interea Fratres ut de illo sacro pectore aliquod divinum diffunderet [diffenderetur D]. Quibus [Qui B] cum respondisset humiliter non se habere modo quid proponeret, affuit protinus quidam frater Minor, qui breviter cum coram sancto viro quamdam collationem recitasset 12. haberet S sibi *om.* S 13. profecte L; profectus est M sine] ipsius *add.* B D P ei *om.* M 13-4. fundens B 14. Capitulo *om.* S 15. Dei *om.* B

16. 1. quamquam] etiam *add.* B 2. labor. attritus A N 4. praedicabat] etiam *add.* B D P postquam] autem *add.* L fuit factus episc. B D P factus fuit L, *et add.* praedicabat 5. etiam *om.* S ad - multa *om.* B D L P alienis et prael. L haec] hoc M populis] a populo L 6. cum fuit] cum aliquando f. B D P et gratia *om.* M S 7. humilitas S 8. fratribus Minoribus S simplicis L M praedicavit] Et *add.* A L N 9. idem *om.* M bis etiam L 11. ecclesia maiori A M sacrum] sanctum A L S corpus sacrum B D P Christi hospitae *om.* A 12. sanctae *om.* L de] in M 13. festum diem L illuc] hunc M convenerant B D L M P vesperos M S 14. quod erat] *sic et* S ibi *om.* B D P congregatum] praedicavit *add.* M

17. 1. etiam] et S libenter *om.* A ac] et B M et ipsorum] ipsorumque B D P; ac ips. M duritiam B D M P 2. atterebat] attendebat B et] ac A N

---

[1] Luc. 11, 28. [2] Cf. Prov. 11, 26. [3] Cf. Matth. 25, 18-27. [4] Is. 28, 14.
[5] *Proc.* cap. 16, p. 13, 23, 35, 53, 109.

tionem nempe ingenitam, prudentiamque naturalem sibi a naturae Conditore liberaliter inditam, ac post superna gratia in eo clementer auctam et multiplicatam, sine qua caeterae virtutes exorbitant, virum istum sanctum habuisse perfecte ex hoc potissime comprobatur quod, in quocumque statu fuit, semper se gessit et composuit prout proprio statui competebat, et vitata Dei offensa ac reprehensibili indiscretae singularitatis nota, se prudenter et secundum rectae rationis iudicium pro cuiuslibet status exigentia ordinavit. Siquidem in laicali seu militari statu militariter, in clericali clericaliter, in regulari regulariter, et in pontificali pontificaliter, tam in vestibus quam in moribus perfecte se gessit et habuit, servato semper in unoquoque gradu *Dei timore* [1] et rectae iudicio rationis. Sed et statui, quem de novo assumebat, ita decenter se protinus coaptabat ac si in eodem fuisset a pueritia educatus, sicut non sine grandi admiratione testantur et asserunt hi qui eum in diversis statibus inspexerunt.

18. In signum quoque verae prudentiae, Sapientis sequens consilium [2], *non innitebatur suae prudentiae* sed in dubiis a personis religiosis et devotis orationum suffragia postulabat, bonorumque prudentium consilium requirebat. Et ob hoc ad suum consortium viros industrios, vita probatos et doctrina peritos adscire solitus erat, quorum consilio ac prudentiae se suaque negotia committere posset secure et absque periculo disponenda. Sicut patet de domino Iacobo de Osa, iuris civilis professore solemni, qui post episcopus et cardinalis effectus, nunc divina providentia in cathedra beati Petri residet, sanctissimus scilicet pater Iohannes papa XXII, et de fratre Gulielmo de Falgario, fratreque Richardo de Mediavilla Ordinis Minorum, doctoribus eximiis et sacrae Paginae professoribus, pluribusque aliis viris solemnibus et sapientibus, tam religiosis quam saecularibus, quos vir sanctus in sua habuit comitiva. Sciens etiam quod *vir prudens,* iuxta Salomonis sententiam [3], *non abhorrebit correctionem,* vir sanctus, caelesti prudentia praeditus, non solum *correctionem non abhorrebat,* sed etiam exquirebat, et correctorem specialiter diligebat et a calumniantibus ipsum super hoc dulciter defendebat ac humiliter excusabat, prout in sequentibus, cum de ipsius humilitate dicetur, explicatius ostendetur [4].

---

3. prudentiam L natura B conditione B D P 4. inditam] praeditam A post] receptam *add.* B D P supernam gratiam B D P clementer in eo B D P clementius S auctum B 5. hoc *om.* S potissimum A 6. fuit] fuerit ita B D P 7. et] ut B D P reprehensibilia S indiscretae - nota] et indiscreto sing. vitio M 8. iudicium] dictamen M exigentiam L 9. seu] in *add.* L 10. et - pontificaliter *om.* A S 11. recto B D P 12. statui] statim A N; statum S se decenter L 12-3. captabat A 13. a puer. fuisset L non] nec S 14. et] ac B D P eum] eumdem B D P inspexerunt] agnoverunt B P; cognoverunt D

18. 1. quoque] vero B D M P 2. suae] propriae B D M P 3. bonorumque] bonorum quoque P D P; virorumque L 4. adscire] assumere B D L P; occurrere M; adstare N erat solitus M 5. ac] et B prudentia M se *om.* A et absque] sine B D P 6. patet *om.* D de] in L Ossa S civilis iuris A M N professoris M; professione S solemni *om.* A 6-7. episc. et *om.* A N 7. divina] vero *add.* M beati *om.* B 7-8. scil. sanctiss. A N S 8. scilicet *om.* L pater] et dominus *add.* M; et dom. dominus *add.* S de *om.* L Falgaria B D P; *ceteri codd.* Fulgario 9. fratreque] fratre B D L P; fratre quoque M Ordinis] fratrum *add.* L doctorum B 10. viris *om.* M 11. habuit in sua B L quod vir] quod D 12. sententias L abhorrebis N vir] unde L 13. non *om.* L S 14. et (corr.)] cum M; *om.* B correctorem] correctionem B D M P S et a] ac a L a calumn.] calumniantes M hoc] se *add.* L 15. dicetur] scribetur B D P explicatius] plenius B L; planius D P

---

[1] II Cor. 7, 1. [2] Cf. Prov. 3, 5. [3] Eccli. 38, 4; cf. II Mach. 6, 12. [4] *Proc.*, cap. 18-19, p. 13, 100.

De eius fervida caritate, et austeritate vitae ac pietate.

Quartum capitulum.

19. Caritatem ferventem, qua Sponsi amicus Ludovicus erga Deum et proximum totus ardebat, contemptus terrenae felicitatis et affectus fraternae pietatis patenter comprobant et ostendunt. Siquidem pro amore dulcis Iesu, quem propter amorem hominum crucifixum *intra* mentis suae *ubera,* velut *myrrhae fasciculum* iugiter baiulabat [1], successionem regni, quod sibi hereditario debebatur iure, virili contemnens animo, clericus fieri praeelegit. Porro patri ei persuadenti ut uxorem duceret et promittenti quod ei statim provinciam traderet, nullatenus acquiescere voluit, sed primam tonsuram, non sine admiratione et fletu circumstantium, genu flexo cum lacrimis devotissime suscepit, clamans cum Propheta et dicens [2]: ***Dominus pars hereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi;*** interpretansque realiter nomen clerici [3], nihil praeter Dominum voluit possidere.

20. Insuper, ut *acceptabilius* Domino suum fieret *holocaustum* [4], divino instigante se Spiritu, antequam clericatum assumeret, *votum vovit Domino* [5] de servanda castitate perpetua et de vita ac religione paupere, fratrum Minorum videlicet, assumenda [6]. Cuius quidem voti complendi desiderium semper in eo continue augebatur, licet sibi a quibusdam persuaderetur contrarium, sicut aliquando suis familiaribus voti eius consciis familiariter referebat. Cuidam porro *viro* prudenti *Deumque timenti* [7] bono zelo familiariter persuadenti quod omnino expediens erat ut regni gubernacula non renueret, sed potius Dei ordinationi se subdens susciperet, allegando quod ex hoc in republica quamplura bona sequerentur, mala corrigerentur ac evitarentur, et etiam sua merita augerentur, vir *Deo plenus* [8] respondit quod, quia timebat se ponere in dubio offendendi Deum, ideo renuebat, addens insuper quod quia, iuxta Apostolum [9], ***non sunt facienda mala ut veniant bona,*** magis volebat Dei offensam vitare quam quaecumque bona ex suo regimine provenientia procurare. « Si enim », inquit, « peccare est Deum inhonorare, magis velle debeo etiam caelum terramque et omnia creata perire quam *peccare contra*

---

19. 1. De - pietate *om.* A et *om.* B D L P vitae auster. B D P vitae *om.* L ac] et B D L P ac piet. *om.* M 3. et *om.* S 4. patentus S 4-5. patent probant M comprobarunt S 5. Iesu quem] *sic et* S amorem hominum] hominem L homini M 7. quod] quidem S hereditarie L iure debeb. A virili] naturali B D L M P S contemnens] in *add.* S animo] omnino B D P 8. ei] eius B D P suadenti L; persuadente M 10. admirationem S circumstantium] circumastantium B L P; *om.* A devotissime *om.* B D P 12. interpretansque] interpretatus est B; interpetratusque est D P; interpretans quoque M nomen realiter B D P clerici] quia *add.* B D P 13. praeter] propter b

20. 1. Insuperque A N acceptabilis S fieret] foret B D P 2. se *om.* B D P Domino] Deo L; S *recte legi potest;* et *add.* A 3. ac] et B D P paupere *om.* B D L P videl. Min. B D P 4. eo] et *add.* A 5. contrarium *om.* L 5-6. voti - consciis *om.* B D P 6. Cuidam - viro] Cuidam vero B D P 7. omnino] non M regno A renueret] renunciaret M 8. quod ex] per L 10. augerentur] cui *add.* S se *om.* B D P poneret M offendi S 10-1. offend. Deum] Dei offensam incurrere B D P 11. ideo *om.* L quod *om.* B D P quia *om.* M sunt *om.* S 12. eveniant B D L P; veniebat *sic* S volebat] inquit volo B D P bona *om.* L 13. suo] meo B D P provenienda A N inquit] ait B D P 14. velle - etiam] vellem B D P

---

[1] Cf. Cant. 1, 12. [2] Ps. 15, 5. Cf. *Proc.* cap. 22, p. 110. [3] Idest, in sortem Domini vocatus; cf. Num. 18, 20 sqq. [4] Cf. I Petr. 2, 5 et Ps. 39, 7. [5] Ps. 131, 2. [6] *Proc.* c. 14, p. 12, 35, 52, 108. [7] Cf. Iob. 1, 1. [8] Cf. Gen. 41, 38 [9] Rom. 3, 8.

Deum[1], cuius honorem constat creaturis omnibus praeponendum ». Ob hoc etiam asserebat vitam hanc non esse appetendam, quia hic sumus *inimici Dei* et Deum *offendimus,* saltem venialiter, multipliciter et frequenter[2]. Ex[3] quibus verbis clare perpendi potest, quanto amoris glutino mens viri sancti huius erat Domino copulata, cuius honorem tam fortiter sitiebat et offensam tam vehementissime perhorrebat.

21. Quia vero voluntas ficta et inefficax comprobatur, quae si adsit operandi possibilitas effectui minime mancipatur, idcirco cum post liberationem suam venisset ad Montem Pessulanum, *votum* quod voce *voverat* volens *Domino reddere*[4] et opere *adimplere,* se obtulit Ministro Provinciae et Fratribus, humiliter supplicans et instanter expostulans ut eum ad Ordinem reciperent et suum tam diu digestum desiderium adimplerent. Verum Ministro Provinciae et Fratribus propter patris timorem hoc omnino facere recusantibus, fidelis Domini famulus non habens quid amplius facere posset, ibidem *votum* quod *fecerat*[5] solemniter iteravit[6].

22. Tandem ad Romanam curiam, scilicet cum patre suo, perveniens, cum per piae recordationis Bonifacium papam provisum fuisset de eo ecclesiae Tolosanae, provisioni huic nullatenus consentire voluit, quousque *votum* quod *fecerat*[7] de intrando Fratrum Minorum religionem adimplevit, et in manu generalis Ministri solemnem professionem fecit, eius sanctis votis et desideriis pie annuente eodem summo Pontifice, ac etiam ad vitandum patris scandalum, qui tunc Romae ubi haec agebantur praesens erat, dispensante quod ad tempus, super religionis habitum, uteretur clericalibus indumentis[8]. Verum instigante se fortiter Spiritu et sancto ipsum desiderio perurgente, non multo post, patris terreni contempto furore, caelestis Patris amore, cui vehementer optabat non solum interius sed etiam exterius conformari, relictis vestibus aliqualiter pretiosioribus secundum clericalis decentiam honestatis, in pauperculo fratrum Minorum habitu, pedibus nudis funeque succinctus, sicut iam diu concupierat, voluit apparere. Ipsoque

---

15. Ob - asserebat] Obesse B D P 16. hanc] et *add.* B D P appetendam] appetendum B; asserebat *add.* B D P 17. quantum L 18. huius sancti viri mens Dom. erat *transp.* B D P

21. 1. adsit oper.] adesset B D P operandi] facultas *add.* L 2. effectum S · 3. voce] ore B D P 4. sese B D P 4-5. constanter A L N S 5. expostulans] flexis in terra (*sic et* B) poplitibus B D P; *om.* L reciperet S suum *om.* M S digestum] gestatum M 6. Ministris A Provinciae *om.* A M S et] ac B D P 6-7. facere omnino B D P 7. facere *om.* L Domini] servus et *add.* M S qui S 8. ibidem *om.* A; idem b quod] voverat vel *add.* S iteravit] *sic et* S

22. 1. cum patre suo ad Rom. Cur. *transp.* B D P scil.] simul N; *om.* B D M P piae] propriae N; ac felicis *add.* B D P 2. record.] dominum *add.* B D P papam] *om.* L; VIII *add.* B D L P 2-3. nullatenus huic prov. B D P 3-4. intranda ... religione A N 4. adimpleret M et] tunc *add.* M manus c solemnem *om.* M 4-8. et - indumentis] Cuius sanctis votis votis et [*om.* D] desideriis pie annuente eodem summo Pontifice in manu d. Iohannis episcopi Portuensis tunc eiusdem Ordinis gen. Ministri flexis genibus solemniter professionem fecit. At tunc ad vitandum patris scandalum qui tunc in romana Curia ubi haec agebantur praesens erat dispensatum est quod ad tempus super religionis habitum clericalibus uteretur indumentis B D P 6. etiam] eius S; *om.* L M patris] eius *add.* A hoc agebatur M S 7. uteretur] sub *add.* S 8. fortiter *om.* c et *om.* B D P S ipsum] ipsiusque B D P desideriis A 9. post] plus S furore] fervore A; terrore furore M; favore N 10. etiam] et S 10-1. aliqual. pret.] caris et pretiosis B D P 11. clericalis] *sic et* S 12. nudus c Ipsoque] Ipso quoque B D P; Ipso namque L

---

[1] Gen. 39, 9. [2] Iac. 3, 2. [3] Hinc incipit n. 21 apud *An. Boll.*
[4] Cf. Eccle. 95, 3; tunc cf. Matth. 5, 17. [5] Cf. Num. 6, 2. [6] *Proc.* cap. 22, p. 14 lin. 13-6, 54, 66, 101, 111. [7] Cf. Lev. 27, 2. [8] *Proc.* cap. 31, p. 15 sq., 26, 39, 85, 103.

die de ecclesia Sanctae Mariae de Aracaeli, quae est ecclesia fratrum Minorum in loco Capitolii, in qua praesentibus duobus Cardinalibus de consensu summi Pontificis, in festo sanctae Agathae, haec publice sunt peracta, usque ad Sanctum Petrum, per luta romana, licet sociis et familiae displiceret, sicut unus Frater pauperculus, cum fratribus Minoribus suis sociis pedes ivit [1]. Sciebat enim quod, « quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo » [2], non oportet quemquam de paupertate pro Christo voluntarie assumpta verecundari, sed potius gloriari.

23. Quod exsistens episcopus observavit. In pauperculo siquidem habitu, mantello cum bottono [3] rudi de eodem panno, scilicet de media lana, ad modum nucis grosso, et soleis chordaque rudi cinctus ambulabat, et aliquando etiam pedibus omnino nudis sine soleis et mantello. Nec habebat habitum nisi unum; sed Frater eius socius, de habitu vetere qui eiusdem Fratris fuerat, ei quemdam habitulum fecerat, quem ad molestiam caloris, sudoris et sorditiei evitandam, cum lectum intrabat ad dormiendum aliquando induebat. Tunicas quoque pauperes habebat et cortinas ac alia lecti suppellectilia paupertatem vilitatemque significantia in pretio pariter et colore [4].

Quando etiam intravit Ordinem Minorum voluit induere quemdam habitum sui socii satis vilem. Sed exsistens episcopus, cum indigeret habitu, fecit sibi portari quemdam vilem et pauperem cuiusdam socii sui, gratulandoque dicebat se scutiferum vel vallectum [5] fore ipsius Fratris, quia eius mutatoria deferebat [6]. Cappam quoque, quam pro eo suus camerarius emerat, deferre recusavit et cuidam episcopo pauperi dari fecit, quia pro se in pretiositate eam excedere iudicabat. Habitum etiam quemdam dissui fecit, quia nimis curiose sutum fore sibi visum fuit. Quibusdam quoque sedilibus pro eo factis, quia non vili colore cooperta erant, uti penitus recusavit. Pannos etiam pretiosos amoveri faciebat, qui ob honorem sui in praedicatorio [7] ponebantur. Semel quoque, exsistens episcopus,

---

13. S. Mariae ecclesia de Arac. quae eccl. fr. Min. est *transp.* D 15. per] super B 16. luta rom.] lutosa et aspera B D P 17. sociis suis L pedes *om.* B D P quod *om.* B D P pro nobis *om.* A 18. pauperem fecit A M N oporteret M Christo] nobis B D P

23. 1. Quod] etiam *add.* M; et *add.* N Quod - observavit] Quam utique vilitatem ac [*sic et* B] nuditatem etiam cum episc. esset observavit licet praelatus esset tam magnus ac filius tanti regis B D P habitu] et *add.* B L P; ac *add.* D 2. bottone D; boteno M scilicet] seu b nucis] satis L grossa B D P 3. et aliq.] ut saepius B D P etiam aliq. *transp.* L 4. habitum *om.* B sed] et *add.* B D P 4-5. vetere hab. *transp.* L 5. quemdam] qdam *sic* S habitulum] habitaculum L; habitum M; habitu S quem] quam S ad *om.* B 6. et sord.] sorditieique B D P vitandam M S; evitanda N 7. et] ac M lecti *om.* B suppellectilia] quae *add.* B D P 8. vilitatem L vil. sign.] ac vilitatem praedicabant B D P significantia] sapientia N S; *om.* M et] in *add.* L colore] servabat *add.* M

9. etiam] et S Ordinem] fratrum *add.* L M hab. quemdam *transp.* B D L P socii sui D L 10. Sed exs.] Exsistens etiam *sic* M S portare B P 11. pauperem] habitum *add.* c sui socii A M N vel] aut B P vel vallectum *om.* M vallectum] vasallum B D P; vayletum S 12. fore] esse A; *om.* B D P immutatoria M; mutuaria B D P 13. dare M quia] qui N pro se *om.* A se] *sic et* S 14. in - excedere] eam in pret. praecellere B D P pretiositatem S iudicavit A; radicavit S fecerat B P 15. curiose - fuit] pretiose curioseque sibi fore visus fuit consutus L sutum] suum N fore] esse A, *om.* sibi sibi fore visum fuit sutum *transp.* B D P quoque] vero M 17. qui] quando c honorem] et reverentiam *add.* B D P sui in *om.* M in praedicatione B D P

---

[1] *Proc.* cap. 32, p. 16, 26, 56, 103. [2] Ex *Regula II,* c. 6; *Opuscula,* 68. Cf. II Cor. 8, 9. [3] *Bottonus.* = glans, fibula, quibus vestes nectuntur. [4] *Proc.* cap. 45, p. 18, 40 sq., 57, 91. [5] *Proc.* cap. 48, p. 18, 28, 105, 113. [6] *Proc.* cap. 48, p. 18, 28. [7] *Proc.* p. 30: « in loco ubi debebat praedicare ».

cum barbam radi sibi vellet, pelvi quadam argentea uti noluit, sed cum quadam pelvi, qua equorum mensurabatur annona, radi potius praeelegit [1].

Hoc quippe vir sanctus semper observavit, quod quidquid umquam ad salutem animae suae necessarium iudicavit, quantumcumque difficile et verecundum et carissimis suis displicibile foret, pro viribus adimplevit; propter quod, licet patri suo, quem plurimum diligebat, sciret displicere supra modum et ipsum pro viribus impedire sui status mutationem, nullatenus acquievit, inducens illud Gregorii [2]: « Quasi per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum prava nobis ingerit, non auditur ».

24. Denique pro amore Domini Dei sui non solum « regnum mundi et omnem ornatum saeculi » contempsit [3], sed etiam corpus proprium maceravit multipliciter et afflixit. Siquidem carnem suam teneram et naturaliter delicatam, ab ipso pueritiae tempore, ieiuniis, vigiliis, laboribus et austeritatibus variis atterebat. Semper in Parasceve Domini omnibusque festorum beatae Mariae vigiliis, *panem* tantum et *aquam comedens* [4] ieiunabat. Antequam religionis sumpsisset habitum, continue iacebat indutus, et stamina aspera et rugosa pro camisia utebatur, portans ad carnem cinctam chordam grossam et hispidam ac nodosam. Ut plurimum qualibet nocte et in die pluries, manu propria, et interdum alicuius Fratris socii sibi magis familiaris, catenulis ferreis se disciplinabat, aliisque pluribus modis carnem servire spiritui compellebat, ut *thesaurum* impretiabilem continentiae virginalis, quem portabat in *fictili vase* [5], possideret in sanctitudinis honore, per utriusque hominis integerrimam puritatem. Propter quod etiam tanta rigidate disciplinae sensuales arcebat appetitus, ut vix necessaria sustentationi naturae sumeret, in tantum quod suis familiaribus, de eius nocumento metuentibus, plurimum displiceret [6].

25. Nullam unquam mulierem, cuiuscumque conditionis exsisteret, familiarem habuit, sed nec etiam, cum de longinquis partibus venirent, volebat sorores suas nec matrem propriam osculari. Omnino colloquia et aspectus mulierum et quorumcumque indecentium

---

18. sibi radi B D   sed cum] sed M; alia *add.* B D P   cum qua A
20. Vir quippe B D P; *om.* Hoc   semper] sollicite B D P; *om.* M   quidquid] quidquam B S
21. diffic. et] diffic. seu B D P   suis *om.* N   23. ipsum] *sic* M; *ceteri codd. om.*   sui status mut. impedire *transp.* B D P   24. acquievit null. L   acquievit] tamen *add.* M   indicens L   illud] *sic et* S   Quasi] enim *add.* B D P   diligitur *om.* A S

24. 1. regnum] regimen M   1-2. saec. ornatum B D L P   2. sed] sicut L   etiam] et S   proprium corpus B D P   3. naturaliter *om.* B D P   pueritiae] suae *add.* B D P   3-4. ieiuniis] et *add.* M   4. laboritiis A B D L P   5. festorum *om.* N   tantum et aq. *sic et* S   tantum comedens et aq. *transp.* L, *add.* bibens   6. sumpsisset] assumpsit B   hab. sumpsisset D L   indutus stam. D   et] super *add.* L   stramina L; straminia N; stamenia S   6-7. aspera et] veste *add.* L   6-8. indutus - nodosam] in lecto seu stratu carne cincta corda grossa hispida et nodosa M   7. grossam *om.* L   7-8. grossam - ac] hispidam ut plurimum et B D P   8. Ut] Et L   Ut plur. *om.* B D P   qualibet] etiam *add.* B D P   pluries *om.* B   9. socii *om.* B D L P   disciplinavit B D L P   aliisque] aliis quoque M; e *add.* L   9-10. quampluribus N   10. impretiabile D   11. portavit B D L P   12. etiam] et S   disciplinae *om.* c   12-3. sensualem arc. appetitum M   13. arc. app.] motus arcebat B D P   necessaria] in ecclesia A   sustentatione M   14. displicebat M

25. 1. Cuiusquam P; cuiusque c   2. venirent] *sic* L S; venire D; *ceteri codd. et edd.* veniret   nolebat b c   suas *om.* c   3. et (quor.)] atque D   indicentium A   3-4. Omnino - evitabat] Colloquia frivola et aspectus mulierum atque indecentia quaeque omnino evitare studebat B D P

---

[1] *Proc.* cap. 37, p. 16, 48, 75 sq.   [2] *Hom. in Evangelia*, lib. II, hom. 37; apud Migne, *P. L.* 76, 1275.   [3] Cf. in Brev. Rom. Officium communis non Virginis, VIII Resp.   [4] Cf. I Esdr. 10, 6.   [5] II Cor. 4, 7.   [6] *Proc.* cap. 10-1 et 21, p. 12, 14 lin. 8-10, 34 sq., 37, 44, 52, 60, 101, 108, 110 sq.

evitabat, sciens per haec debilem frangi et fortem saepe spiritum infirmari [1]. Ideoque verba turpe vel inhonestum aliquid sonantia dicere vel audire penitus abhorrebat; et si quando quemquam loquentem talia audiebat, dure arguebat et aspere increpabat [2].

26. Unde, exsistens in custodia, statutum procuravit fieri obligans omnes, tam custodes quam alios inibi exsistentes, ut quicumque modo aliquo diceret verbum aliquod turpe sonans, comederet super mensam mappis nudatam in prandio vel in coena; eratque iniunctum quod quicumque audiret aliquem sic loquentem, sub certa poena accusare dicentem protinus teneretur. Quam quidem poenitentiam aliquando coëgit facere fratres germanos suos propter aliqua huiusmodi verba levia, de quibus fuerant ab aliis incusati. Unus etiam miles de numero custodum qui in hoc erat vitiosus, licet moleste ferret, frequenter habuit facere poenitentiam supradictam. Semel nihilominus, vir totius honestatis zelator, licet in rei veritate non esset culpabilis, occasione cuiusdam verbi ab eo dicti, quod miles supradictus et quidam alii male interpretabantur, se tamquam culpabilem punivit, ut daret exemplum eidem militi et aliis statutam legem patientius tolerandi et a verbis indecentibus abstinendi; praefatamque poenitentiam cum magna laetitia fecit, quam alii saepe cum murmure et impatientia faciebant. Tanto igitur pudicitiae et castitatis splendore hic sanctus emicuit, ut etiam cum obses in custodia teneretur, plures de custodibus, qui hactenus impudice et lubrice vixerant, suae sanctae conversationis exemplo emendatos, ad castitatis et pudicitiae tramitem revocaret [3].

27. Ad tuendam quoque et conservandam tam pudicitiam quam famam suam, cum quavis muliere sola solus loqui refugiebat, sed quando cum aliqua, exigente causa, loqui habebat, viris bonis assistentibus loquebatur [4]. Ad tutelam nihilominus et testimonium suae integerrimae puritatis, in camera sua duos fratres Minores, et interdum quatuor, iacere faciebat; camerariosque habebat duos antiquos viros laicos, scapulariis aliisque vestibus religiosis indutos, qui sibi in familiaribus obsequiis serviebant. Taliter denique se gerebat in omnibus, quod non posset quicumque maliloquus reperire occasionem fingendi de eo quomodolibet quidquam mali [5].

---

4. haec] hoc M et fortem *bis* A 5. verba] verbum L M S; *om.* N turpia D P vel inh.-dicere *om.* M aliquid] quid B P; *om.* D aliq. sonantia] aut L; ad sonans *sic* S

26. 1. Statutum] statum S obligans] viriliter *add.* A N 2. aliquo modo B D P 4. iniunctum] statutum B D P sub] que S certa poena] *sic et* S 5. protinus *om.* L tenentur D 6. suos germanos B D L P huiusm. aliqua D 6-7. accusati B D P 7. Unus] Unde M etiam] et S 8. ferret] faceret *add.* S freq.-supradictam] hanc poenitentiam freq. facere oportuit L habuit freq. B D P suprad.] praedictam M 9. honest.] sanctitatis B D L P 10. ab eo dicti] ab eodem prolati M; *om.* B D L P alii quidam B D P alii *om.* A male *om.* L M 11. eidem mil. et aliis ex. daret *transp.* B D P patient. stat. legem *transp.* B P patientius] patienter M; *om.* D 12. a verbis et *transp.* S verbis] quoque *add.* M praefatamq.] praefatam autem B D L P 13. quam] cum tamen B D P murmuratione A facieb.] eam fecerint B D P igitur] itaque A 14. hic sanctus *om.* M ut *om.* B 15. pluries S de] e A N S impud. et *om.* L et lubrice *om.* M 16. revocavit N

27. 1. et conserv.] ac servandam N; *om.* D 2. quamvis S solus] solis S fugiebat M sed] si B D P quando] vero *add.* B D P; *om.* M 3. assist.] astantibus B 5. faciebant B camerariosque] camerarios quoque A N; camerarios insuper B D P duos hab. B D P viros ant. L 6. fameliari *sic* S 7. maliloq. quicumque M 7-8. quomodolibet reperire fingendi de eo *transp.* B D P 8. quomod. de eo L quomodolibet] quantumlibet M; quodlibet S

---

[1] *Proc.* cap. 4, p. 11, 21, 33sq., 51, 99, 107. [2] *Proc.* cap. 9, p. 12, 34. [3] *Proc.* p. 52, 73 lin. 34sqq. [4] Vide citata supra, not. 1. [5] Cf. Iudith 8, 8. — *Proc.* cap. 27, p. 15, 25, 49, 61, 84, 89, 102, 112.

28. Verum quoniam Rex caelestis hunc caelicum virum *introduxerat in cellam vinariam* atque in eo ordinaverat *caritatem* [1], idcirco mira affectione diligebat et honorabat viros bonos, quantumcumque pusillos; et quos *timentes Deum* [2] sciebat, quamvis secundum saeculum despectos cerneret, glorificabat ac etiam quantum poterat extollebat; quos autem malos et Dei contemptores noverat, quantumcumque essent nobiles et potentes, quasi pro nullo computatos in conspectu suo ad nihilum deducebat; et si essent de familia vel iurisdictione sua, acrius arguebat et humiliabat ac correctione debita castigabat, eis etiam, si indigni vel insufficientes erant, beneficia ecclesiastica auferendo.

29. Quamobrem clericos, quibus de beneficiis ecclesiasticis providere volebat, examinabat de articulis fidei, vita, scientia et moribus diligenter, indignos repellens quamvis essent divites et nobiles, et dignos admittens licet pauperes aut ignobiles secundum saeculum censerentur. Unde cum semel fuisset rogatus ut cuidam nobili clerico de quodam pingui beneficio provideret, invento post examinationem diligenter factam eum propter defectum scientiae insufficientem fore ad tantum beneficium obtinendum, nullatenus ad dandum illud sibi inclinari potuit vel induci; cumque ex insperato quidam pauper clericus coram eo venisset supplicans ut eidem de aliquo beneficio provideret de quo posset aliquatenus sustentari, post examinationem diligentem inveniens eum sufficientem et beneficio dignum esse, beneficium quod nobili insufficienti negaverat licet a magnis viris fuisset interpellatus, pauperi sufficienti contulit, pro quo nullus intercesserat advocatus. Quemdam quoque clericum, qui in forma pauperum obtinuerat beneficium in episcopatu suo, repulit, licet examinatum se assereret in Curia, quia sibi insufficiens pro beneficio ecclesiastico videbatur [3].

Volebat nihilominus quod clerici incederent honeste in habitu et tonsura, et quod etiam pueri portarent magnas tonsuras. Cum autem semel faceret ordines generales, quibusdam portantibus capillos magnos, qui erant ad maiores ordines ordinandi, iam indutis, ipsemet coram altari usque ad aures capillos eorum incidit.

30. Quamvis autem servo Dei, caritate pleno, zelo veritatis et iustitiae, placeret malorum correctio et indignorum humiliatio, tamen quorumcumque detractio plurimum

---

28. 1. caelicum virum hunc N 2. [v]inariam *vel potius* mariam S mira] misericordi D et] sic L 3. quos *om.* B D P, *dein om.* sciebat 4. cerneret *om.* B D P etiam] et S; *om.* A N extoll.] tollerabat 5. contemptores Dei D quantumc.] quamquam B D P 6. nullo] nihilo B D P computatos] computato B; computans c suo consp. B D P deducebat] pro eis tamen suppliciter Deum deprecabatur ut sua eos clementia visitare dignaretur *add.* B D P 6-7. et si - acrius] si autem de sua familia vel iurisd. fuissent arctius B D P 7. vel] et N; in *add.* c 8. etiam] et S erant] aliquando *add.* A N auferebat B D P

29. 1. clericis B D P 2. scientia *om.* A 3. divites] dites b admittentes S aut] et B D N P aut ign. *om.* M 5. pingi D diligentem B 6. fore insuff. B D P 7. illud] id S sibi illud L sibi *om.* B D P inclinati S cumque] cum M 8. de *om.* N S 9. aliquantum M; aliqualiter A N 9-10. inveniens - esse] cum eum beneficio [beneficium B] dignum ac sufficientem invenisset B D P 10. beneficium *om.* A N S a *om.* M N 11. viribus M 12. quoque] vero M pauperis B D P benef. obtin. B beneficium *om.* A N S 12-3. suo episcopatu B P 13. se asser. in Curia exam. *transp.* B D P se *om.* A N 15. habitu et] in *add.* M et quod] quod D 16. etiam] in S ordinationes b 17. ad - ordines] coma *sic* N 17-8. quibusdam - indutis] cuiusdam deferentis capillos oblongos ac crispos qui erat ad maiores ord. ordinandus iam indutus B D P 18. indutos ipsimet N capillos eor.] eos M eor. incidit] eius praescidit B D P

30. 1. autem] ergo M, *om.* Dei verit.] trinitatis S 2. plurimum *om.* M

---

[1] Cant. 2, 4. [2] Col. 3, 22. [3] *Proc.* cap. 39, p. 17, 27, 40, 48, 91, 104.

displicebat, et ob hoc detractionis verbum non solum dicere sed audire tamquam serpentinum morsum virusque mortiferum exhorrebat: sciebat enim hoc pestiferum vitium fonti caritatis et gratiae quam maxime inimicum. Unde cum semel a quadam persona fuisset indecenter receptus, familiaribus eius ex hoc non modicum perturbatis et murmurantibus contra illum, vir *mitis et humilis corde* [1] non solum de illo non murmuravit sed continuo excusavit. Idem quoque pluries de aliis fecit, cum contra eos sinistrum aliquod diceretur [2]. Si quando vero reputaret aliquem de se tristatum aut offensum, statim nitebatur illum consolari, recognoscens aliquando humiliter suam culpam. Unde semel quemdam Fratrem, qui erat desolatus, benigne et humiliter osculando fuit mirabiliter consolatus.

31. Sed et corporis otium, considerans esse divini fervoris funditus exstinctivum sentinamque vitiorum omnium, diligentissime devitabat. Studebat itaque incessanter vel orationis exercitio, vel sacrae lectionis studio, vel sacrae meditationis otio, vel in aliquo utili proximi obsequio, aut alio quovis opere bono iugiter occupari. Propter quod, cum esset obses in custodia, devitans quantum bono modo poterat saecularium consortium, quasi continue volebat esse cum fratribus Minoribus, eiusdem sociis et magistris. Quod cum videret militibus eum custodientibus displicere, excusando se eisdem Fratribus dicebat aliquando: « Quando ego sum cum custodibus semper loquuntur mihi de terrenis et vanis, quae nec placita sunt mihi nec utilia, et ob hoc ab ipsorum consortio seu colloquio me elongo ». Numquam libenter loquebatur nec familiaritatem habere volebat, nisi cum personis maturis, honestis, humilibus et devotis, allegans saepe illud Sapientis verbum [3]: *Et cum simplicibus sermocinatio eius*. Ideoque magna sibi erat consolatio quando vel cum sapientibus de scientia, vel cum personis devotis colloqui poterat de divinis [4].

32. Propterea etiam, ut plenius otiosa vitaret, seque ferventius et ardentius in spiritualibus occuparet, post susceptum presbyteratus ordinem in castro Ovi, quod est iuxta Neapolim a locis habitabilibus hominumque frequentia separatum, voluit assidue commorari; ubi qualibet die, praemissa devota Missae celebratione, regulariter acce-

3. verba M sed] etiam *add.* B D L P tamquam *om.* M 3-4. serpent.] serpentium A N 4. virusque] veriusque A N; nimisque B D P, *mox* quippe *pro* enim hoc] hic S pestif.] pessimum M 6. perturbatis] turbatis M S et *om.* A B D N P S 7. illum] istum A; eum N 8. sed continuo] verumetiam [sed D] citissime B D P continue S excusabat *post corr.* B 8-9. aliq. sinistrum B D P 9. aliquid A N aliq. reput. *transp.* B D P tristatum] *sic* M; desperatum A N; desolatum B D P; displicatum L; dispacatum S aut] *sic et* S 10. recognoscens] etiam *add.* A L aliquando] saepius B D P humil. aliq. S culpam suam L

31. 1. fervoris] igniculum *add.* B D P exstinct.] exstincturum A; exstinctorum *sic* S 2. Studebat itaq.] Studebatque L itaque] nempe B D P vel] in L 3. otio] eloquio c; *om.* L 4. proximorum B D P aut alio] aliquo B 5. in cust. *om.* N quanto M 5-6. cons. saecul. *transp.* B D P 6. fratribus *om.* M Minor. *om.* L eiusdem] eiusque B D M P 7. eum] se N custod. eum B D P 8. cum custod. sum *transp.* B D P 9. vanis] *sic et* S; variis M mihi *om.* B D P ipsorum] eorum L 10. seu] vel N; eorum *add.* M elongo] Et *add.* L familiar.] aliquam *add.* A N 11. maturis] et *add.* L honestis] et *add.* B saepe] semper B D L P; *om.* M illum] id S 12. sibi magna B 13. quando vel] quando B D P de scientia] de scientialibus N; de scientiis S; *om.* A

32. 1. etiam] et S plenius *om.* c otiosa] otia S seque] semper M ferventius] *sic* D L M N; ferventibus A; frequentius B P; ferventinus S et ardentius *om.* A 2. occuparetur M susceptus B presbyteratum A 3. habitantibus A S habitalibusque hominum L 3-4. assidue *om.* A 4. ubi] *sic et* S; sane *add.* B D P; quasi *add.* A L N devote B D L P S

[1] Matth. 11, 29. [2] *Proc.* cap. 19, p. 13. [3] Prov. 3, 32. [4] *Proc.* cap. 12, p. 12, 22, 35, 72, 94, 108.

debat ad studium, inde usque ad horam prandii non recedens. Post prandium vero, rumores et vaniloquia devitans, cum viris religiosis honestis et litteratis, sacris ac doctrinalibus collocutionibus et disputationibus insistebat. Post huiusmodi autem collationem, aliquid de cantu ecclesiastico addiscebat, et dehinc, non lecto iacens sed in cathedra sedens, modicum dormiebat. Post somnum vero intrabat quoddam secretum claustrum et ibi *Meditationes* beati Bernardi [1] et alias devotionis scripturas sedule perlegebat. Et si quando esset ex studio fatigatus, horticellum eidem claustro propinquum cum parvo sarculo excolebat. Sed et in via, quando equitabat, semper in sinu portabat librum beati Bernardi *De consideratione* [2], cum quibusdam aliis eiusdem opusculis et epistolis. Semper itaque, sive stans, sive ambulans, tam intus quam foris, aliquid boni faciebat, ut eum semper inveniret diabolus occupatum [3].

33. Propter fervidum quoque amorem Christi Iesu, omnium conditoris et hominum redemptoris, miro dilectionis et pietatis affectu ad proximum ferebatur; sicque ad omnes pia et quasi materna gestabat viscera, ut cunctorum defectibus et miseriis condoleret, affectaretque vehementer universos ad Deum trahere, et singulorum necessitatibus subvenire. Hinc sibi itinerationum discursus, in exemplis dandis excessus [4], orationum instantia, praedicationum frequentia, quibus rebus non solum fideles sed etiam infideles ad Deum rapere nitebatur. Siquidem iudaeos et paganos, zelo fervens fidei, inducebat sedule ad baptismum, ipsorumque conversorum libenter compater erat et cum magna devotione et humilitate ipsos propriis manibus de fonte sacri baptismatis elevabat, ac liberaliter ipsis in necessariis providebat; duos quoque pueros iudaeos Neapoli ipsemet in persona propria baptizavit [5].

34. Indita quidem divinitus erat eius animo quaedam ad pauperes *miseratio* liberalis, que secum *ab infantia* crescens [6], cor ipsius miro modo ad subveniendum afflictis et egentibus inclinabat [7]. Unde et a pueritia sua vestes quas dimittebat non ioculatoribus aut histrionibus, sed pauperibus erogabat; infirmisque ac debilibus reverenter et pie subveniebat ac alimenta et alia necessaria prout poterat ministrabat [8].

5-6. rumores] risores A 6. vanil.] vana colloquia [eloquia *M*] B D *M* P honestis et *om.* *M* 7. colloc.] collationibus A; locutionibus L autem *om.* A 7-8. collocutionem *M* 8. dehinc] abhinc *M* non] in *add.* N c 9. secrete quoddam B D P 10. ibi] in S beati *om.* A S et (alias)] vel A N devotionis] devotas B D P 11. quandoque B D P esset] et S ex studio esset L ex studio fat. esset B D P 13. cum *om.* A et *om.* *M* 14. deambulans A aliq.] ad S 15. eum] enim S diabolus inveniret *transp.* D

33. 1. ferv.] fecundum A quoque] quidem B D P Christi *om.* S 1-2. et hom. red. *om.* *M* 2. sicque] sic enim B D P 3. pia et *om.* *M* gestabat *om.* D defectibus] de fratribus (*sic*) S; de factis c 4. vehementer *om.* L singulis *M* 5. itinerationis *M*; iterationum L 6. etiam] et S 8. comp.] compactus A 9. baptisterii B D P ac] et P 9-10. ac - providebat *om.* L 10. ipsius A ipsis in] ipsorum *M*; in *om.* S duos quoque] duosque S de Neapoli *M* ipsemet] *sic et* S; *om.* B D P 11. propria pers. *transp.* B P

34. 1. animo eius L S quemdam S 3. sua *om.* A vestes] tunicas *M* 3-4. histr. aut ioc. *transp.* B D P 4. aut] nec *M* infirmisque] infirmis insuper B D P; infirmis L *M* et] ac B D P 5. ac... et] et... ac B D L P

---

[1] Apud Migne, *P. L.* 184, passim, inter supposititia. [2] *De consideratione libri quinque ad Eugenium III* (*P. L.* 182, col. 727 sqq.). [3] *Proc.* capp. 13, 23-6, p. 14-5, 25-6, 35, 38, 45-6, 54-5, 84, 89, 102, 108, 112. [4] Cf. *II Cel.* 172, l. 8 (apud *An. Franc.* X) et S. Bonaventurae *Leg. mai.* IX, 4; infra n. 49. [5] *Proc.* cap. 16, p. 13, 23, 35, 52-3, 109. [6] Cf. Iob, 31, 18. [7] *Proc.* cap. 17, p. 13, 23, 53, 100, 109. [8] *Proc.* cap. 33, p. 16, 26, 39, 47, 56, 62, 85, 113.

Factus denique episcopus, per suos familiares et secretarios mandavit diligenter inquiri de suorum redituum quantitate, iussitque tantum servari quantum sibi et suae familiae erat necessarium pro expensis moderatis et rationabilibus faciendis, totum vero residuum pauperibus erogari. Licet enim summus Pontifex, qui de eo providerat ecclesiae Tolosanae, sibi dixisset quod non solum ut episcopus sed ut magni regis filius expensas faceret et familiam copiosam teneret, ipse tamen propter honorem Dei, quem *semper* ab infantia *quasi tumentes fluctus super* se *timuit*[1], se ipsum contemnens, hac licentia uti noluit, nec lautius vixit, nec pro se aut familia sua amplius expendit[2].

Cupiebat namque sibi egere ut pauperibus abundaret[3], quibus censebat omnia Ecclesiae bona deberi, praeter moderate necessaria ministris et ecclesiae ornamentis. Unde rogatus semel a familiaribus suis ut cuidam consiliario patris sui, qui ad eum missus fuerat, quodam animali indigenti, quemdam roncinum[4] daret ob patris reverentiam, nullo modo voluit concedere neque dare. Ideoque venaticos canes aut aves numquam habere voluit, nec pro se teneri sustinuit, nec venatoribus aut mimis aliisve vagis personis umquam favere vel aliquid eis dare quaesivit, nec ulla curiositate pellium, ornamentorum aut vestium usus fuit; sed *super egenos et pauperes*[5] diligenter intendens paterno affectu, curabat sollicite ipsorum inopias relevare. Quibus etiam, cum ad manum aliud non haberet, aliquando indumenta quibus vestiebatur exuens misericorditer erogabat[6]. Unde cum semel iret per F r a n c i a m, occurrenti in via pauperculo male vestito et quasi nudo, misericordia motus vir sanctus et pius cappam quam portabat abscondite contulit, sibique secrete fecit aliam apportari[7].

35. Barbitonsori suo praecepit, sub poena eiectionis de hospitio, ut nihil reciperet a tonsurandis, praeter id quod pro suo laboritio merebatur, contraria consuetudine non

7. quant. red. *transp.* B D P   iussit B   8. mod. exp. *transp.* L   mod. et ration. exp. B D P   totum vero] totumque B D P   9. erogabat *M*   de] ex N   10-1. faceret exp. B D P   11. copiosam] magnam N   ipse t.] tam ipse N   Dei honorem B D P   12. timentes B P S   lic. hac *transp.* A   13. latius S   aut] nec pro B D P   expendit] *sic codd. contra cursum.*

14. censebat] sentiebat *M* S; *om.* B D P   14-5. Eccl. bona] bona Eccl. dari vel L   15. deberi] debere *M* S; asserebat *add.* B D P   praeter] providere L; propter N   moderata *M*   min. necess. *transp.* L   ministris] ministeriis A; pro ministris *M*; misteris (*sic*) S   Unde] et *add.* N   16. semel rog. B   17. anim. quodam indignanti A   quemd. ronc. d.] daret q. ronc. A N; equum aliquem electum d. B D P   18. voluit - dare] consentire voluit scilicet ut concederet vel daret L   neque] aut B D P   Ideoque] Insuper B D P; Ideo S   ven. - aves] nec aves ven. aut canes A N; nec ven. c. nec [aut L] aves B D L P   numquam] umquam A N; *om.* B D P   18-9. habere umquam L   19. pro] per B   aut] nec L S   aut mimis *om.* B D P   aut - vagis] nec mimis aut his vagis *M*   minimis S   aliisve] aliisque B D L P; aut aliis S   20. numquam S   vel] aut L   aliquid] ad S   20-1. ornamento *M*; ornamentum S   21. aut vestium *om.* N   vestium] superfluitate *add.* B P; superfl. v. D   diligenter et pauperes *transp.* A   22. ipsorum] eorum B D L P   etiam] et S   23. aliud] ad S   aliud non] nil aliud *M*   ind.] vestimenta B L P; *postea* induebantur *pro* vest.   miser.] moderaliter N   24. iret p. Fr.] iter p. Fr. faceret A   in via *om.* A   24-5. occurrenti - nudo] occurrentem in via habuisset pauperculum male vestitum et q. nudum *M*   25. et (quasi) *om.* S   portavit *M*   26. fecit secrete B D P   portari B

35. 1. Barbit.] quoque *add.* *M*   praec. - hospitio] de hospitio praec. sub poena excommunicationis B D P   eiect.] excommunicationis L   nihil] vel S   2. a] de B D P   id] illud S   pro] de B D; a L; *om.* P   laborerio S   mereretur *M*

[1] Cf. Iob, 31, 23.   [2] *Proc.* cap. 36, p. 16, 48, 56, 62, 69, 75, 90, 113.
[3] Cf. II Cor. 6, 10.   [4] *roncinus* = hic, equus nobilis, electus, ut nonnulli codices inter variationes habent; nisi sit istorum codicum amplificatio.   [5] Cf. Ps. 40, 1.
[6] *Proc.* capp. 22 et 34, p. 14, 16, 26, 37, 39, 47, 54, 56, 60, 75, 101.   [7] *Proc.* cap. 42, p. 17, 40, 48, 57, 86, 104.

obstante. Et procurationem ipse accipere noluit, sed potius solvi fecit. Quidquid autem pro sigillo dabatur ordinavit pro amore Dei totaliter erogari. Cum autem eleemosyna sua communis pauperibus dabatur, ibat laetanter ad videndum, et si aliquid deficeret faciebat illico eis dari.

Incarceratorum quoque miseriae vehementer compatiens, faciebat eos aliquando liberari. Cum autem semel viro Dei in castro Ovi [1] moram facienti nunciatum fuisset quosdam in galea armata navigantes inimicos et hostes patris sui captos, et incisione pugnorum fuisse per sententiam iudicis Neapoli condemnatos, famulus Domini pietate victus, affectu vehementi compatiens miseris condemnatis, concito gressu de castro descendens, non exspectata comitiva sua propter morae periculum, cum uno clerico, qui sibi hoc denunciaverat, et aliis paucis scapham intravit parvulam seque festine Neapolim deduci fecit, et ad regem patrem suum velociter se conferens, sententiam quae iam exsecutioni coeperat demandari revocari procuravit, et plus quam centum et quinquaginta de eis, qui nondum truncati fuerant, liberari fecit protinus et absolvi, ut ostenderet se, iuxta praeceptum Dominicum [2], non solum erga amicos sed etiam erga *inimicos* dilectionis affectum habere et gestare viscera pietatis.

Miro quoque affectu compatiebatur peccatoribus ac pro eis Dominum sedule exorabat, et Fratres ad confessiones audiendas mittebat, asserens quod si posset ipsemet sicut unus simplex sacerdos se poneret in ecclesia pro confessionibus audiendis.

De ipsius profunda et admiranda humilitate.

Capitulum quintum.

36. Inter omnia *charismatum* dona [3], quae a largo datore [4] *dilectus Deo et hominibus* [5] Ludovicus acceperat, obtinere primatum in eo humilitas videbatur. In propria quidem reputatione nil erat nisi *fictile* quoddam et sordidum *vasculum* [6], cum in veritate esset *vas sanctificationis* electum [7]. Cumque foret exemplum virtutum omnium et bonorum, asserebat tamen se esse vilissimum peccatorum. Laudari et honorari refugiebat, reprehendique ac contemni tamquam verus humilis appetebat. Ideoque cum aliquando

---

3. accip.] recipere B 4. totaliter *om.* M S erogare L autem *om.* S 5. sua *om.* M communibus B dab. paup. *transp.* S laetanter] *sic et* S; latenter M et] ut L 6. eis *om.* M 7. Incarc. - mis.] Incarceratis et miseris L quoque *om.* B D P miseriis B P vehementius A N 8. liber.] libertati restitui B D P autem *om.* M 9. armatos L M 10. iud.] iudicantis L Dom.] Dei *potius* S 11. vehem.] intimo B D P cum cito A S 12. non - periculum] comitivam suam pr. m. peric. non exspectavit sed B D P pr. mor.] praeter morem propter M morae] instante N; amore S cum *om.* M 13. parv. intr. A N 14. iam *om.* S 15. demand. coep. B D P revocari] fecit seu *add.* A centum et] centum A B N 15-6. de eis] decisis L 16. eis] illis B D P 17. Dom. praec. *transp.* B D P solum erga] solum M etiam] et S; *om.* M 18. viscera gestare B D P 19. sedulo Dominum A

36. *Totum cap. 6 huic cap. 5 praeponit* S 1. De - humilitate *om.* A ipsius] eius L profunda] fervida M et admir. *om.* D 3. Deo] Domino D 4. obtineri L in eo primatum L in eo *om.* B D P 5. reputationem S et *om.* S 6. vas esset A N et *om.* M 6-7. exemplum - bonorum] virt. omn. exemplar et speculum B D P 7. viliss.] omnium *add.* M peccatorem B D L N P Laudari] enim *add.* B D P 8. repreh.] reprehendi vero B D P; reprehendi quidem b ac] et B D L P verus] vir M Ideoque] Idcirco B D P

---

[1] Prope Neapolim; cf. *Proc.* p. 14, cap. 23. [2] Cf. Matth. 5, 44; Luc. 6, 27. [3] I Cor. 12, 31. [4] Cf. Iac. 1, 17. [5] Eccli. 45, 1. [6] Cf. Lev. 11, 33. [7] I Thess. 4, 4; Act. 9, 15.

in Curia et etiam alibi de quaestione respondisset [1], et magistri vellent eum commendare, ne hoc facerent prohibebat iuxta posse.

Ob hoc etiam cuidam Fratri Minori [2], socio suo sibique prae aliis magis familiari, iniunxerat ut ei defectus quos faceret propalaret. Quod cum Frater observans reprehenderet eum aliquando de defectibus etiam minimis et quasi nullis, vir Dei suscipiebat humiliter et gratanter, respondebatque quod cum *Dei adiutorio* [3] se de huiusmodi emendare et corrigere proponebat. Aliquando etiam cum ab eodem reprehenderetur in praesentia aliorum, audientesque ipsum Fratrem arguebant quasi temerarium et audacem, utpote cum auderet talem ac tantum virum coram aliis increpare, vir vere humilis, eum dulciter excusans et bene facere eumdem affirmans, Fratris reprehensoribus silentium imponebat [4].

37. Dum autem obses in Catalonia teneretur, cuidam viro religioso sibi familiari revelavit in secreto, quomodo fecerat votum de perpetua castitate servanda et de fratrum Minorum habitu assumendo. Quo postéa pluries ad se in partem vocato, petebat ab eo consilium in hunc modum: « Ego », aiebat, « non peto consilium utrum debeam fratrum Minorum Ordinem introire, quia hoc statui pro fine, et de finibus consiliandum non est. In tantum namque in hoc proposito solidatus sum, quod quanto plus mali detrahendo de Ordine mihi dicitur, tanto plus meus animus in concepto iam proposito confirmatur. Sed peto consilium tamquam de re mihi dubia et incerta, de modo scilicet habitum ipsius Ordinis assumendi. Si enim in terra patris mei vel in alio loco ubi cognoscar intro Ordinem, Fratres et alii me tantum honorabunt, quod non potero, ut exopto, humilitatis exsequia exercere. Ideoque cogitavi fore melius et mihi utilius quod, postquam fuerimus liberati, habitu dissimulato fugiam et vadam in Alamanniam vel ad alias remotas partes, in quibus non cognoscar, ibique intrem Ordinem ut homo conditionis humilis et ignotae, sicque potero lavare paropsides et coquinae utensilia, scopare domos ceteraque humilitatis officia libere et humiliter exercere ».

---

9. et (etiam)] vel B N etiam *om.* A eum vellent D 11. etiam] et S prae] pie D magis] magna S; *om.* M 12. fecerat L 12-3. reprehenderetur S 13. aliq. eum B P defect.] factis A etiam] et S et *om.* M 14. gratanter] gratulanter D adiut. Dei L huiusm.] hoc A; eiusmodi L 15-9. aliquando - imponebat *om.* S 16. audientes ipsumque L arguebant] de argutione A; arguerent L M; arguentem N 17. cum] qui B D P; cur L M vere *om.* B D L P 18. eum] qui auderet *add.* N dulciter eum L eumdem] eum M Fratribus B N P 19. impon.] apponebat A

37. 1. autem] adhuc *add.* B D P sibi] plurimum *add.* B D P famil. sibi A N 2. revelavit] *sic et* S quomodo] quod N b faceret M castit. perp. *transp.* B D P et de] et c 2-3. habitu fr. Min. L 3. in] ad M S 4. utrum] ut S 5. Ordinem *om.* B introire] intrare N et] etiam M 5-6. fin. consil.] *sic et* S consil.] consulendum A 6. hoc] tali L 7. mihi dic.] dicatur L tanto] tunc N animus meus B D P, *dein pro* confirmatur *habent* solidatur plus] fortius B D P; magis L 8. peto] inquit *add.* B D P tamquam *om.* B D L N P 8-9. de - assumendi] scil. de habitu ipsius Ordinis assumendo M 9. ipsius Ord. hab. B D P Si enim] Utrum B D P enim *om.* L vel] aut B D P, *om.* alio 10. ubi] non *add.* D cognoscor L M intro] in *add.* M Ordinem intrem B D P Fratres - tantum] sed tunc Fratres et alii tantum me B D P tantum] totum M tantum hon. me *transp.* L honorabant B 11. ut] prout B P exsequia] opera B D P; officium L; officia M 12. quod] ut L habitu] peregrino B D P dissimulate S Alemania B P 13. partes remotas D cognoscor L; agnoscor N; nec agnoscar S intrem] intrare S intrem Ord.] Ordinem assumam B D P 14. lavare] abluere M parapsides *hic et infra codd.* et] ac M utensilia] purgare *add.* B D P 15. domus L humilitatis *om.* N libere et hum.] *sic et* B

---

[1] Supra, p. 343, n. 14. [2] Fuit Fr. Petrus Scarrerii, postea (1308) episcopus Rapollanus, qui in *Proc.* (pp. 98-106) et de hac re testimonium praebuit (p. 100). [3] Cf. Ps. 7, 11. [4] *Proc.* capp. 18 et 19, p. 13, 100, 109.

38. Cumque Frater ille eius sanctum propositum commendaret, sed tamen diceret hoc non esse possibile, quia pater suus faceret eum diligenter inquiri, nec posset ullatenus diutius occultari, eo quod Minister et alii Ordinis praelati cognoscunt Fratres quos habent sub regimine suo, et idcirco propter haec et alia citius hoc sciretur, et etiam cum hoc, si intraret publice, daret exemplum maximum toti mundo; audita responsione huiuscemodi, rogabat vir humilis Fratrem ut exoraret Dominum et faceret ab aliis exorari, ut sibi dignaretur quod esset melius inspirare. Licet autem divina providentia, recte *disponens omnia* [1], aliter ordinaverit quam vir sanctus appeteret, tamen non caruit merito humilis et sancti desiderii, nec fuit penitus privatus effectu exercitii peroptati [2].

39. Nam, postquam fuit episcopus, ad locum fratrum Minorum ut plurimum ad hospitandum declinans, ibidem cum locorum Fratribus saepe paropsides et alia coquinae utensilia abluebat.

Unde cum pro ecclesiae suae negotiis Parisius devenisset, in Coena Domini centum pauperes induit, et eadem die Fratribus pedes lavit, et cum eis, sicut moris est tunc temporis, disciplinam accepit. Die quoque Paschae ibidem, secundum Fratrum consuetudinem, cum magna devotione et humilitate, magistris et bacchalariis eum comitantibus et coadiuvantibus, scutellas in quibus Fratres comederant cum aliis coquinae utensilibus simul lavit. Frequenter etiam alias in secreto satagebat, Fratribus sociis ministrando potum in collatione servire et erga eos humilitatis opera exercere [3].

40. Exsistens denique episcopus, diebus singulis viginti quinque pauperibus in persona propria serviebat, aquam eorum manibus infundendo, fercula apponendo, ac panes scindendo eisdem, etiam genu flexo. Singulis quoque sabbatis secrete in sua camera lavabat pedes tribus ex illis magis miserabilibus et despectis. Sed et cum esset obses in Catalonia, Barchinonae exsistens, duodecim pauperes in Coena Domini invitavit, in quorum manibus aquam fundens, eis cibum et potum manu propria ministravit; ita quod

38. 1. eius *om.* M sanctum eius B sed] se N sed - diceret] diceret tamen econtra B D P tamen] cum M 2. inquiri] quaeri A N 2-3. nec ullatenus posse diu [diutius D] occultari B D P nullatenus N S 3. diutius *om.* A S Ministri B D P 3-4. quos hab. *om.* L 4. suo] eorum A; et *om.* B D P haec] hoc B D P hoc (sciretur) *om.* B D L M P S scirent D et etiam] atque B D P etiam *om.* S 5. publ. intraret B D P, *postea om.* maximum audita] itaque *add.* B D P 6-7. exorare A 7. quod] quid B D P S autem *om.* L 8. omnia] non *add.* B D L P S ordinavit B D P 9. humilis] humilitatis B D M P eff. - peropt.] *sic* M; *caeteri codd.* effectus [effectu *post corr.* L] optati [praeoptati S]

39. 1. ad (hosp.) *om.* M S 2. ibid.] idem S cum] tamen M Fratribus locorum B D P et] ac M

4. negotiis] semel *add.* B D P 5. et in eadem D die] pauperibus *add.* c Fratrum N pedes Fratr. S 6. tunc temporis] *sic et* S accepit] recepit L 7. magna cum c 7-8. eum comit.] concomitantibus L 8. adiuvantibus B D P 9. Et frequenter M etiam] in S alios B D P 9-10. Fratribus - exercere] humilitatis obsequiis praevenire quantumcumque etiam despectibilia ac sordida non abhorrere [abominare B], Fratribus quoque sociis suis saepius ipse servire, potum in collatione ministrare, vestes eorum excutere atque alia servilia opera atque humilitatis exercitia impendere contendebat B D P 10. exerceri M

40. 1. denique] vero B D P 2. serviebat] nam *add.* B D P; autem (*sic*) *add.* S; serviebat propria *transp.* L aquas L infundebat B D P ac] et M 2-3. fercula — flexo] panes scindebat atque genibus flexis ipsis fercula apponebat B D P 3. genuflectendo L sabbatis] diebus sabbatinis B D L N P S 4. pedes *om.* S et (cum) *om.* M esset] maneret B D P 5. duodecim (XII)] quinquaginta duo (LII) B D P in Coena Dom. *om.* M invitavit] *sic et* S 6. cibum eis L manibus propriis M ita quod] itaque A

[1] Cf. Sap. 15, 1. [2] *Proc.* cap. 21, p. 13, 36. 100, 109. [3] *Proc.* cap. 35, p. 16, 26, 30, 39, 47, 56, 85, 90.

quibusdam ex eis, qui se pascere non poterant, ipsemet bolos in ore ponebat et potum ori eorum applicabat, ipsorumque postea pedes lavit humiliter et extersit [1]. In Parasceve dehinc sequenti, cum licentiatus fuisset cum fratribus suis germanis ire ad Templariorum ecclesiam, quae propinqua erat hospitio in quo tunc habitabant, vidissetque ibidem quemdam pauperem horribiliterque plagatum leprosum, ex mirando humilitatis spiritu et fervore voluit eum publice osculari, et fecisset nisi timuisset unum de fratribus germanis suis offendere, scilicet dominum Robertum, qui hoc videbatur tanquam aliquid durum et noxium abhorrere. Cum vero rediisset ad hospitium, Spiritu eum perurgente, volens perficere devote quod conceperat de mane, misit et leprosum illum ad se adduci fecit et in quamdam hospitii cameram introduci; ibidemque, mantello deposito, in memoriam Illius quem tota mente diligebat, Christi Iesu scilicet, qui tali die ex summa dignatione ut *leprosus* et plagatus pro nobis voluit apparere [2], leprosum illum fuit cum humilitate et devotione maxima osculatus. Quod factum germanus ipsius, qui prius vehementer huiusmodi abhorrebat, praesentiens festinus accurrit, tantumque fuit exemplo tam humili immutatus, quod se ipsum devincens eumdem leprosum fuit consimili modo humiliter osculatus [3].

41. In crastino quoque licentiatus ad fratrum Praedicatorum ecclesiam visitandam, pro videnda sacra quadam spina coronae dominicae, quae reverenter inibi reservatur ut verae humilitatis exemplum omnibus patenter ostenderet, *luceque* huiusmodi *lucente coram hominibus* [4] ad lucis facta videntes homines Ludovicus vere lucidus provocaret, misit nuncium ad leprosorum domicilium ut adduceretur illuc aliquis de leprosis qui staret in porta ecclesiae, quem videntibus omnibus posset cum humilitate et reverentia osculari. Licet autem hoc eius sanctum propositum perductum non fuerit ad effectum, statuto vel consuetudine civitatis illius inhibente ne leprosi vadant per civitatem, nisi in sancto die Parasceve, tamen clare ostenditur quam admiranda fuerit huius sancti humilitas, qui de *regalibus sedibus* procedens [5] ad tam ima sic se voluntarie prosternebat,

8. ipsor.] ipsorum etiam B D P, *dein transp.* pedes post. humil. lavit et humiliter M extersit] abstersit A N 9. dehinc] vero die *add.* B D P cum licent.] deliberatus M cum fuisset cum fratr. germanis *transp.* A fuisset] una *add.* B D P suis *om.* A M germanis suis N S iret N 10. vidisset D 11. horribiliter B D L M P plagatum] ac *add.* B D P leprosum - humilitatis *om.* M ex] et N 11-2. ex - fervore *om.* B P 12. eum *om.* D M germanis *om.* B 12-3. suis germanis D L P S 13. suis] *om.* M; videlicet dominum Robertum qui post [postea L] regni Siciliae gubernaculum suscepit *add.* B D L P 13. scil. - Robertum *om.* A B D L N P dominum] regem *add.* b qui] quia B D P; cui M N aliquid] adeo B D P; aliquod *sic* S 14. rediiss.] rediissent B L P; venisset M 15. devote] de nocte D; devoto S concep.] coeperat A de mane] divine c adduci fecit ad se *transp.* L duci D M 16. et in] atque in B D P; in A quamdam ... cam.] quadam [quemdam S] ... camera A B D L N P S ibidemque] *om.* A; ibique B; ibidem D; ibi denique P memoria B 17. scil. Iesu B D P summa] sua L 18. fuit] *sic et* S 19. factum] frater N vehementer prius B B P 20. huiusm.] hominum [*sic et* B] genus B D P; humiliationum genus b; *om.* S occurrit B D L M P tantum N c tantumque — humili] et in tantum fuit ipsius exemplo M fuit *om.* L tam humili *om.* S 21. devincens] vincens M S fuit leprosum L

41. 1. visitandum M 2. videnda] in ea *add.* c quadam sacra A N spina - dominicae] spinea corona dominicae passionis M inibi rever. L inibi] ibi N reservatur] reservabatur L; servatur M S 3. ostend. patenter B D L P huiusm.] eius A N 4. facta vid. hom.] sancta inducens L 5. illic D P leprosus D 6. omnibus] cunctis B D P et reverentia *om.* M 7. autem *om.* B P hoc autem L eius *om.* M sanctum eius B D P productum B P fuerat B 9. sancto] sacro N Parasceves B D P tamen — ostend.] unde liquido apparet B D P fuit L sancti] viri *add.* B D P 10. sic se] *sic et* S; sic *om.* M

[1] *Proc.* cap. 34, p. 16, 30, 39, 47, 56, 68, 72, 75, 85, 90, 103, 113. [2] Cf. Is. 53, 4.
[3] *Proc.* cap. 15, p. 35, 95, 99 sq., 108. [4] Cf. Matth. 5, 16. [5] Cf. Sap. 18, 15.

ut appeteret et niteretur *in pulvere* et sorditie *os suum ponere*[1], propter spem caelestis sublimitatis et pulchritudinis consequendae.

42. Propter humilitatis quoque et paupertatis evangelicae spiritum, vir sanctus, assumpto habitu clericali, resignatis omnibus vasis aureis et argenteis patri suo, quod vix precibus importunis ab eo obtinere potuit, ligneis et fictilibus usus fuit. Quod quidem observari in tota domo sua fecit, quousque factus episcopus, persuadentibus sibi contrarium pluribus viris eximiae religionis et sapientiae, humiliter assensit; quae tamen omnia in obitu suo sibi deservientibus et Christi pauperibus erogavit[2]. Humilitatis etiam spiritu ductus, secrete ad summum Pontificem accessit, eiusque in manibus episcopatum resignavit, allegando contra se rationes quas potuit cogitare; sed dominus Papa renunciationem eius noluit acceptare. Et cum postea, a quibusdam qui hoc sciverunt dictum ei fuisset quod fatue fecerat, respondit quod volebat a Papa fatuus reputari, ut ipsum ab episcopatus onere liberaret[3].

43. Consuevit nihilominus, humilitate vera praeditus, pauperum ac leprosorum hospitalia congruis temporibus visitare, infirmorumque confiteri volentium confessiones audire cum omni mansuetudine et eos verbis consolatoriis confortare ac eleemosynarum subsidiis confovere. Unde cum aestate illa, qua ad Dominum evolavit, de Tolosa per montes Pyrenaeos asperrimos transiens in Cataloniam, die quadam post dietam magnam laboriose peragratam ad locum hospitii pervenisset, videns quamdam vetulam pauperem et debilem in paleis miserabiliter decubantem, domunculam ipsius cum Fratre socio est ingressus. Cumque invitasset eam de confessione sibi vel Fratri socio facienda, dicendo: « Ego sum frater Minor », illa vero recusante, utpote quasi ex antiquitate in sensu alienata, requisivit ab ea si comedere vellet; qua respondente quod sic, misit et fecit afferri de pane suo, appropinquansque grabato illius et in eo residens, manu propria ipsam pavit diligentissime, in ore vetulae bolos ponens. Rediens autem ad hospitium ita

11. et niteretur] mittere, *dein om.* ponere sorditie] sordibus M 11-2. spem - consequendae] perpetuae mansionis celsitudinem et immarcescibilem gloriae coronam adipiscendam B P 12. consequendam M

42. 1. humilitatem M; humilitates S 2. resignans M S omnia vasa aurea et argentea M aureis vasis N c suo quod *om.* N 3. et *om.* L fictilibus] de cetero *add.* B D L P fuit] est L 4. servari L sibi *om.* M 5. viris *om.* L et sapientiae *om.* B D P 6. suo obitu B D P sibi *om.* A servientibus M S etiam] eius B 7. secreto B D P summum accessit Pont. *transp.* S; accessit summum Pont. L, *om.* ad in *om.* B D L P episcopatui S 8. se contra L poterat M 8-9. sed - acceptare *om.* A 9. eius] ipsam B D P, *dein* post *pro* postea, *quod om.* L sciverunt] noverunt B D P 10. fuisset ei S faceret M resp. quod] libenter *add.* M vol. a Papa] non curabat ab hominibus B D P ut ipsum] si ipsum dominus Apostolicus [Papa L] *var. et add.* B L P 11. onere] honore L (*post corr.*) S liberaret] voluisset liberare B P

43. 1. nihilom.] nos *sic* S 2. infirm.] infirmorum quoque B D P M N confitere N c volentium confit. L 2-3. cum omni mans. audire *transp.* B D P 3. et *om.* L M S eosque M cons. verbis eos *transp.* A N ac eleem.] solebat ac necessariorum M eleem.] ecclesiarum A N S 4. Unde] Et B D P; Unum S 5. Pyrenaei A N in] per S die quadam] de quadam civitate L dietam] diem tam c 6. laboriosam B D P vet. pauperem] paupercufam vetulam [vetulem B] B D P 7. ipsius] eius B P Fratre] et *add.* B D P 8. Cumque] Cum D N; Cum autem M S eam] iam N socio] suo L; suo socio M facienda] *sic et* S; faciendam M 9. Ego *om.* M sum *om.* S vero] quoque B D P; *om.* A M N recusat M in] nimia A N; et L 9-10. quasi - alienata] quia [*sic et* B] decrepita et spiritu intelligentiae ac discretionis privata B D P 10. aliena N ab ea *om.* L misit et *om.* M 10-1. fecit aff.] afferri iussit B D P 11. afferre L M illius] suo B D L P resid.] sedens B D P manu] sua *add.* L propria manu A

[1] Thren. 3, 39. [2] *Proc.* cap. 22, p. 14, 36, 45, 61, 72, 101, 111. [3] *Proc.* cap. 43, p. 17, 27, 31, 40, 57, 63, 69, 80, 104.

pediculis fuit plenus quod, licet omnes vestes quibus induebatur tunc mutaverit, vix tamen ab eis perfecte potuit emundari, nec tamen ex hoc in aliquo tristabatur sed potius exsultabat [1].

O vere humilem et beatum virum tanta se abiectione propter Christum despicientem et despici appetentem, despectisque personis et secundum saeculum abiectis tam humiliter obsequentem. Vere hic fuit perfecte humilis qui, aliis multum carus exsistens et nobilis, fuit in reputatione propria valde vilis, oblitusque ingenuitatem suae regalis originis et domum tam alti sanguinis dignitatemque tam celsi culminis, se propter amorem caelestis Regis personis tam infimis et tam despectis subdebat et se ipsum tam humiliter et tam libenter eorum obsequio mancipabat.

44. Ex veraci quoque et solida humilitate, licet iam annum vicesimum complesset quando fuit in sacris ordinibus ordinatus, tamen omnium ordinum, tam maiorum quam minorum, volebat actus et officia solemniter et publice exercere. Unde et Romae, antequam per dominum papam Bonifacium fieret subdiaconus, in Natali Domini in prima Missa fecit acolythatum in capella regis cum devotione et humilitate mirabili, sedens humiliter ante altare in medio puerorum qui portabant cereos, sine verecundia et rubore. Et eadem die in Missa maiore, ab eodem summo Pontifice solemniter celebrata, coram magna cleri et populi multitudine, cum uno puero paupere, exsistens et ipse puer non iam tenera aetate sed humilitate evangelica, indutus superpellicio portansque cereum, ut acolythus altari voluit assidue deservire.

Quando etiam recepit ordinem diaconatus in S. Laurentio de Neapoli, quae ecclesia est fratrum Minorum [2], noluit stare ad partem nec in loco honorato, sed inter alios clericos qui secum erant ordinandi; nec voluit quod in aliquo deferretur sibi, sed sic fierent omnia erga eum sicut circa unum pauperem clericum de capella. Hoc idem fecit quando fuit ibidem presbyter ordinatus. Et cum Papa ei obtulisset quod, si veniret ad ipsum de Neapoli, ipsemet faceret eum sacerdotem, venire renuit, dicens quod hoc non videretur aliud quam pompa et vanitas mundialis [3]. Socio quoque suo cum gaudio ad Missam devote et humiliter serviebat.

---

13. omnes] orans M quibus *om.* B tunc indueb. A N indueb. - mutaverit] indutus tunc mutavit B D P 14. perfecte *om.* A ex] de B 15. exsult.] in Domino laetabatur B D P

16. obiectione B 17. et (secundum)] etiam B L P 18. O vere M humilis] humilitatis N 19. fuit *om.* B D L P in] et *sic* S reputatione] autem *add.* D P; vero sua *add.* L propria] autem *add.* B vilis] viliorem N ingenuitate L 20. dignit.] dignitatem quoque B D P; dignitatem L S excelsi A culminis] et *add.* S se] et M 21. et tam] et B D M P subdebat] exhibebat L et (se) *om.* M 22. obsequiis B D L P

44. 1. annum] tantum *add.* B D P complevisset S 2. in sacris fuit B D P in *om.* A L S 3. solemn. et publ. *om.* M 4. papam *om.* M 5. fecit acolyt.] fuit acolytus L acolytum D M S regis *om.* L mir. humil. et dev. *transp.* B (*sic*) D P 6. qui] et *add.* B D P, *dein* portabat 7. Et] in *add.* L 8. clericorum A N 9. tener. aet.] teneritate M humil.] humanitate A evang. hum. *transp.* B D P 10. altaris N altari - deserv.] altari ass. deserviebat L voluit assiduo [assidue B] altari B D P

11. etiam] et S recepit] accepit P Neapolim B D M P S 11-2. in - Minorum *om.* A N est ecclesia B D P 12. alios] stabat *add.* B D P 13. def. sibi] sibi deferretur honor M 15. ibidem *om.* A N obt. ei *transp.* A si *om.* B D P 16. ipsum] eum L ipseque B D P, *mox* fac. ipsum eum faceret A N quod] quia D P 17. aliud videretur B D P aliud] ad S mundialis *om.* A Socio] Capellano L quoque] etiam B D P 18. humil.] saepius *add.* B D P

---

[1] *Proc.* cap. 41, p. 17, 27, 40, 57, 76, 104, 114. [2] Anno 1234 eis concessa; cf. Wadd. *Annales,* ad a., n. 16. [3] *Proc.* cap. 22, p. 14, 45, 61, 101 sq., 111.

Exsistens quoque Parisius, iam episcopus, in conventu fratrum Minorum, volens exsistere inter illos sicut unus ex illis, volebat ut sibi officium quod erat in conventu facturus sicut uni alteri Fratri simplici imponeretur, et in tabula ordinationis officiorum secundum loci consuetudinem legeretur.

Hic ergo vere et perfecte humilis fuit, qui volens decenter implere omnem iustitiam, non solum superioribus, nec solum aequalibus, sed etiam inferioribus, ut ex suprascriptis luculenter apparet et clare, iuxta exemplar et praeceptum Domini Salvatoris [1], humili tam corde quam opere se subiecit. Ideoque Dominus, verax promissor et iustus redditor, quod dudum pie promiserat manifeste nunc in hoc suo fideli famulo adimplevit; multipliciter enim et mirifice Ludovicum humiliatum multipliciter et magnifice non solum in caelesti gloria sed etiam in militante Ecclesia exaltavit.

De eius felici obitu et consummatione [2].

Capitulum sextum.

45. Ludovicum igitur *in lucem gentium* mundo caelitus *datum* [3], volens Deus propere *de praesenti saeculo nequam eripere* [4] et lucidum eius spiritum tamquam sibi placitum et acceptum decernens gratuite *educere de medio iniquitatum* [5] ac incorporeorum luminum collegio sociare, antequam ipsum *transferret in paradisum* [6], ad sui gloriam pie disposuit ut quoddam virtutum exemplare speculum circumducere per mundum et manifestare in salutem ac consolationem fidelium populorum. Fuit igitur Ludovicus a Deo *super candelabrum positus* quasi *lucerna* accensa, *ut,* lucens *omnibus qui sunt in domo* [7] Dei, quae est Ecclesia, ad divinum amorem universorum traheret et dirigeret corda. Fuit quoque *circumductus,* divina dispositione, ut *Dei arca* [8] per multa saeculi climata, ad infidelium confusionem, errorum deiectionem, confortationem Ecclesiae catholicae et glorificationem fidei orthodoxae [9].

19. quoque *om.* M 20. inter] intra N c illis] istis A N ut] quod N sibi] *sic* M; *caeteri codd. om.* 21. Fratri *om.* M simplici Fratri B D P
23. ergo] igitur D decenter] perfecte N omnem dec. impl. *transp.* B D P 24. nec solum] et B; aut P nec - inferioribus *om.* D solum (seq.) *om.* L ex *om.* S 24-5. supradictis A B D L P 25. lucul. app.] evidenter patet A; luderetur aperte N 26. humiliter L N iustus] pius M; iustos P 27. nunc] nec S hoc *om. et post* famulo *add.* Ludovico B D P 28. multipl. - humiliatum *om.* A enim *om.* M et (mirif.) *om.* L humilitatum b multipliciter (et) *om.* A 29. etiam] et B D P S exultavit S
45. 1. De - consumm. *om.* A 3. Ludovicus ... datus N igitur] iuvenem purissimum B D L P; sibi *add.* M Deus] de B 4. praesenti] hoc B D P, *dein* placidum arripere A N 5. acceptum] sanctum L gratuito c de medio iniq. gratuite educ. *transp.* B D P 6. in paradisum transf. B D P, *om.* pie sui] suae M 7. disp. pie L ut] velut B D P exemplar virt. et speculum M virtutis c exemplar P speculum] eum B D P, *et transp.* per mundum circumd., *dein* ac *pro* et. 8. manifest.] mandare c ac] ad A D M N P; et B consolationem] omnium *add.* A N igitur] ergo M S 8-9. adeo L 9. lucens] luceret M 9-10. in domo D. sunt *transp.* L 10. est] in *add.* S Ecclesia] et *add.* M 11. Fuit q.] Fuitque D circumdatus M saeculi] caeli c 12. deiectionem] detestationem ad L 12-3. Eccl. cath. [et *add.* N] confort. *transp.* B D N P, *et infra similiter* et fidei orth. glorif.

[1] Cf. Matth. 14, 29; Luc. 14, 10s. [2] Quae sequuntur conferenda sunt cum parva Legenda quam ex codice Processus edidimus, supra, pp. 258-62: *In Translatione* etc., quae tamen ex hac priore dependet, immo eius est compendium et passim mera repetitio. Ad eam remittimus sub siglis *Tr.* [3] Cf. Is. 49, 6. [4] Gal. 1, 4. [5] Cf. Sap. 4, 14; II Cor. 2, 14. [6] Cf. Eccli. 44, 16. [7] Cf. Matth. 5, 15s. [8] Cf. I Reg. 3, 3; 4, 21, 5, 8 etc. [9] *Tr.* p. 258, ll. 19-27.

46. Biennio namque antequam spiritum redderet caelo [1], egressus de Catalonia, quae quidem pars exsistit Hispaniae, ubi Dominus virtutes eius prius manifestaverat, transiens provinciam Narbonensem et provinciam Provinciae, per Ianuam et Tusciam devenit Romam, residente tunc in Sede apostolica Bonifacio papa, ubi perfectionem ipsius Dominus patentius notam fecit. Indeque per Campaniam transiens in regnum Siciliae, commoratus est aliquanto tempore Neapoli, ubi Deus illius sanctitatem approbatam lucidius declaravit [2]. Postque rediit Romam, ubi Christus adhuc apertius summam perfectionis eius coram tota romana Curia, praesentibusque regibus Siciliae et Aragoniae et multis principibus qui illuc ex speciali causa convenerant, promulgavit. Indeque, iam factus episcopus [3], per Italiam transiens in Gallias, per Lugdunensem provinciam et Burgundiam pervenit in Franciam, ut coram rege et magnatibus Franciae, totaque Parisiensi universitate, Dominus ostenderet eius vitam admirabilem ac doctrinam. Demum per Aurelianos et Caturcum venit ad suam ecclesiam, scilicet Tolosanam. Ubi aliquanto tempore facta residentia, per Vasconiam et montes asperrimos Pyrenaei venit in Cataloniam, ubi, visitatis rege Aragoniae et regina sorore sua, aliquamdiu commoratus in civitate Illerdae [4] sorores sanctae Clarae virginis consecravit, et in civitate Barchinonae fratrum Minorum ecclesiam dedicavit [5].

47. Ad hunc autem beatum virum, vultu quidem angelicum, factis mirificum et omni morum honestate conspicuum, omnis sexus omnisque conditio properabat et confluebat undique ad videndum, in tantum ut interdum, *prae* nimia *pressura gentium* [6] se opprimentium, nonnulli mortis periculo propinquarent. Laetabantur nempe videntes faciem eius sic gratiose divina gratia illustratam, intuebanturque vultum illius quasi vultum *angeli stantis* inter illos [7], quia revera facies eius faciem angelicam praetendebat. Aedificabantur universi fideles in tam devota celebratione, in tam efficaci praedicatione, in tam profunda humiliatione, in tam viscerosa miseratione, in tam honesta conversatione, in tam ordinata compositione et universaliter in omnibus eius actibus, sermonibus et gestibus mirabantur. Quis enim posset sine stupore videre iuvenem gratiosissimum,

46. 1. Biennium N 2. exsistit] exstitit B D L M S prius] plus L 3. Sarbonensem et Provinciae prov. A 3-4. per Ian. et T.] Ianuae et Tusciae B P 4. dev.] pervenit B D P papa] octavo B D P 5. patentius] per suam potentiam B D P 6. Neap.] Neapolim M; et *add.* S 7. Postquam B D N P ad hunc S 7-8. apertius adh. perfect. summam L 8. summam - eius] perfectionis suae culmen B D P Curia rom. L praesentibus D M N 9. causa ex speciali B D L P 10. Indeque] Ideoque M iam *om.* B factus iam S Lugdunensemque B D P 11. Bergundiam B ut] et S 12. totaque] coramque B D P; tota S eius adm. v. ostend. *transp.* B D P ac] et B D L P; ad S 13. Demum] Denique A N Aurelianos] *sic* A; Aureliam M; *caeteri codd.* Aurelianis Caturc.] Carucum A D; Cacurebum N; Cadurcum c ecclesiam suam B D P scilicet *om.* B D P 14. Gastoniam M asperr. montes B D P 14-5. Pyrenaei *om.* B D L P 15. venit, ubi *om.* B D P Arroginae B 16. civitatem B D P Silerdae S virg. Clarae B D P 17. civitatem D deducavit S

47. 1. vultum A B D P quidem] habens *add.* M angelicum] praetendentem *add.* B D P 2. omni] omnium D omnisq.] omnis M prosperabat N 2-4. omnisque - propinquarent] proximare satagebat B D P 3. prae] a L 4. comprimentium L S; deprimentium M mortis *om.* M 5. facies S sic] sicut A N; ac L gratiosam sic B (*sic*) D P, *dein* intuebantur quoque vultum - quasi *om.* P illius] eius B D L quasi] tamquam B D; *om.* N 6. angeli] angelicum M praetend.] contuentibus ingerebat B D P 7. fideles univ. B D P 8. tam (profunda)] tanta A profunda - miseratione] viscerosa miseratione in tam profunda humilitate D 9. composit.] conversatione B univers.] utiliter N c eius *om.* M 10. stupore] et admiratione *add.* B D P gratios.] gratissimum A

[1] *Tr.* p. 259, l. 3. [2] *Proc.* p. 93 sq. [3] Renuntiatus die 30 dec. 1296 (Eubel, *Bull. Franc. Epitome,* n. 2099). [4] Vulgo, Lérida. [5] *Proc.* cap. 40, p. 17, 29 sq. [6] Luc. 21, 25. [7] Cf. Apoc. 19, 17.

tanti regis filium, tanta generositate conspicuum, tanta dignitate sublimatum, tanta auctoritate illustratum, tanta humilitate praecelsum, tanta mortificatione vividum, tanta sapientia praeditum, tam vili habitu ornatum, tanta eloquii venustate nitentem, tanta vitae honestate fulgentem? Vere vir iste sanctus, homo caelestis angelusque terrestris ipsius personam vitamque considerantibus videbatur.

48. Appropinquante igitur[1] viri Dei consummatione, divina ipsum providentia gubernante, de partibus Cataloniae progressus per Montem Pessulanum, venit in provinciam Provinciae, terram scilicet patris sui, celebrataque cum solemnitate et devotione maxima festivitate beatae Marthae virginis Christi hospitae, Tarasconi, in quo loco corpus eiusdem sanctae virginis requiescit, ubi etiam tunc vir sanctus, in proximo caelesti recipiendus hospitio, ad honorem ipsius sanctae Christi hospitae publice praedicavit. Cum vero inde venisset ad castrum quoddam, quod Brinonia dicitur, coepit febre continua laborare. Praevidensque *vir Deo plenus*[2] quod esset de huius saeculi carcere educendus, ad sacrae mortis transitum se devotissime disposuit et diligentissime praeparavit. Quasi enim continue orationi et contemplationi vacabat[3], verbaque divina sibi dici iubebat, et in lecto sibi decubanti Missam celebrari a suis sociis faciebat. Vocans autem ad se quemdam Fratrem de Ordine Minorum, quem familiarem et individuum *comitem* suae *peregrinationis* habuerat[4], dixit ei: « Ego », inquit, « moriar et expedit mihi multum, quia onus episcopatus, quod est cervici meae impositum, est mihi quamplurimum onerosum, et propter nimiam occupationem temporalium orationi et devotioni vacare nequeo sicut vellem ». Perpendat ex hoc fidelis quisque quam humilis et sanctus fuerit animus Ludovici, qui episcopatum non ut honorem amabat, sed ut onus potius tolerabat.

49. Petens denique sibi conferri omnia ecclesiastica sacramenta, ipsa recepit multum humiliter et devote. Cum autem sacrum corpus Dominicum in die Assumptionis beatae Mariae sibi deferretur, licet ex infirmitate illa gravissima, quae omni conclusit languori[5], in tantum esset attenuatus et debilitatus ut, sola cute ossibus adhaerente,

11-2. auct. illustr.] caritate inflammatum B D P 12. tanta mort. viv. *om.* B P 12-3. tanta sap. praed. *om.* A 13. praeditum] tanta auctoritate pollentem *add.* B D P ornatum] vestitum B D P, *et add.* tanta paupertate ditatum eloquii] *sic et* S 14. iste] ille L

48. 1. viro, consumationi B D P 1-2. gubernatione L 2. venit] noviter c 3. celebrata autem B D P 4. maxima] praecipua B D P loco *om.* B 5. sanctae *om.* L ubi *om.* M etiam] *sic et* S 6. ad sanctae ips. hon. B D P, *om.* Chr. hosp., *add.* ardentissimo fervore Christi *om.* A 7. Cum vero inde] Cum A D L; Cumque B P; Et cum N 8. febre coepit D Praevid.] revelatione divina *add.* B D L P 9. se] quantum potuit *add.* B D P disposuit dev. L 10. et verba M 10-1. verbaq. - iubebat *om.* S 11. divina] audire volebat ac *add.* A N et in l.] in lectoque M sibi *om.* B D P, *dein transp.* a suis s. celebr. decub.] decumbanti B P; seu decumbenti *add.* M 12. ad se *om.* M quamdam L 14. et] quidem *add.* B D P, *transp.* multum exp. mihi cerv. meae est imp. mihi quampl. est *transp.* B D P meae cerv. A 15. quampl.] plurimum M et (propter)] cum B D P, *et transp.* tempor. occup. 15-6. et devotioni *om.* M 17. et] quam *add.* B D P animus] beati *add.* M Ludovici] huius sancti viri B D P ut] ad B

49. 1. Petivit L; Et petens S sibi *om.* N ecclesiastica *om.* L ipsa] quae L; ipsaque M S 1-2. Petens - devote] Petivit demum sibi eccl. conf. sacram. quae omnia cum summa devotione et reverentia recepit B D P, *dein* sacratissimum Domini corpus multum *om.* L 3. beatae] beatissimae Virginis B D P Mariae] Virginis M, *om.* sibi illa *om.* L 3-4. omni languori conclusit B P omnem concl. languorem N c 4. et] ac N

[1] *Tr.* p. 259, l. 3. [2] Cf. Gen. 41, 38. [3] *Tr.* p. 259, ll. 4-5. [4] II Cor. 8, 19.
[5] Cf. *II Ce'.* 214, l. 14; *Leg. mai.* XIV, 3.

non posset se aliquatenus sustentare, ex mirando tamen fervore spiritus de grabato, in quo decumbebat, habitu indutus exsiliit, et venit in occursum Domini Salvatoris. Quo ante altare genibus flexis adorato devotissime et recepto, in lecto repositus, data sibi cruce per quemdam ex sociis, genuflexit ut potuit ac in oratione devota et secreto silentio postmodum diu mansit [1].

Die xv[a] infirmitatis suae, die scilicet illa in qua migravit ad Dominum, mane dixit orationem illam [2], scilicet: « Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos pervenire fecisti » et cetera, quod in tota infirmitate non fecerat. Et cum post horam nonam ad sedendum in lecto fuisset erectus, oculos suos levavit ad caelum, tenensque crucis trophaeum in manibus vel ante se, quando prae nimia debilitate in manibus tenere nequibat, continue usque ad vesperas incessanter dicebat: « Adoramus te, Christe » [3] et cetera, et *Delicta iuventutis meae* [4] et cetera, et salutationes Virginis gloriosae, signoque crucis se saepius muniebat. Cum autem ab eo quaesitum fuisset a Fratre socio suo, cur ita frequenter diceret *Ave Maria,* respondit: « Quia cito moriar, et beata Virgo salvabit me » [5].

50. *Dilectus* igitur *Deo et hominibus* [6] Ludovicus, « cunctis in eum divinis completis mysteriis, anima eius sanctissima carne soluta et in abyssum claritatis absorpta, in Domino obdormivit » [7]. Facies autem eius post mortem pulchrior apparuit, circumstantibusque ipsum et intuentibus non mortuus sed dormiens videbatur [8]. Dominus quoque Hugo de Vicinis, tunc senescalcus Provinciae, vir utique bonus et verax, testatus est eum se vidisse in capite chori Marsiliae, in habitu et mantello cum pulchra et laeta

---

5. se aliq. sost. non posset B D P   posse A   aliquat. se S   miro M S   5-6. grabato - venit] lecto in quo habitu indutus decumbebat exsiliens B D P   6. decumb.] dormiebat L   habitum A N   induto M   exilit S b   occursum] properat *add.* B D P   7. in lecto] iterum in grabato B D P   positus N   8. ac] et B   secreta D   9. mansit diu D   mansit] In Cruce nempe Dominica et non in saeculi pompa semper quoad vixerat praeelegerat gloriari *add.* B D P

10. D *praemittit in margine* De oratione s. Ludovici ante mortem   xv[a] die A   Die - Dominum] Appropinquante autem sui sacri transitus die B D P   10-1. orat. illam dixit L   scilicet *om.* B D P   Deus *om.* D   11-2. nos - fecisti *om.* L   12. quod - fecerat *om.* B D L P   13. lecto] loco D L   suos] ac manus *add.* B D P; *om.* L   elevavit A L N   caelum] totisque praecordiorum affectibus glorificare coepit Altissimum pro [*om.* B] eo quod mortalitatis sarcina deposita liber ei aditus pateret ad vitam perpetuam *add.* B D P, *et pergunt* cumque *pro* tenensque   14. trophaeum] teneret *add.* B D P   vel] et B D L P   se] ponens *add.* L   quandoquidem B D P, *postea* infirmitate *pro* debil.   (debil.) in manibus *om.* L; N *om.* in   15. continue] sine intermissione B D P, *dein* vesperam, *et om.* incessanter   vesperos b   Christe] et benedicimus tibi *add.* L   15-7. Christe - muniebat] sanctissime Domine Iesu Christe et benedicimus tibi quia per sanctam crucem tuam redimisti mundum. Qui me creasti et fecisti ex nihilo et redemisti sanguine tuo pretioso miserere mei. Et item dicebat: Delicta iuv. m. et ignorantias meas ne memineris. Demum cum mortem e proximo sibi cerneret imminere signo crucis saepius sese muniebat et salutationem angelicam Ave Maria [gratia *add.* B] etc. devotissime ingeminabat B D P   16. et Delicta - cetera *om.* M   salutationem N c   16-7. signoque] sanctae *add.* c   17. se crucis N   saepius se S b   saepe M   ab eo *om.* A   quaesitum ab eo B D P   quaesitum fuiss. ab eo N c   a *om.* A   suo *om.* B P   18. Maria] interrogatus *add.* A   Virgo] Maria A; Maria *add.* B D P

50. *Num.* 50-51 *om.* N.   1. Obitus s. Ludovici *praemittit in margine* D   Deo et hom.] Domini et hominum D   Ludovicus] virgo purissimus *add.* B D P   eum] *sic* A; *caeteri codd.* eo   divinis] divinitus A; *om.* S   2-4. et in - ipsum et] in divinae clarit. abyss. absorpta aethereas mansiones perpetuo victura intravit. Igitur post mortem eius apparuit facies eius circumstantibus splendida nimis et luminosa ita quod B D P   4. et *om.* A   non] ut *add.* M   5. Vicinis] Intimis B D P   senescallus B D P

---

[1] *Proc.* cap. 53, p. 18, 29, 41, 115.   [2] Brev. Rom., Oratio ad Primam in ordinario divini Officii.   [3] Oratio S. Francisci in suo Testamento; *Opuscula,* 77 sq.   [4] Ps. 24, 7.   [5] *Proc.* p. 29, 41 sq., 49, 70, 105 sq., 115.   [6] Eccli, 45, 1.   [7] Ex S. Bonaventurae, *Leg. mai.* XIV, 6, addito verbo *divinis.*   [8] *Tr.* p. 259, ll. 6-11, paucis mutatis et additis.

facie, quamdiu exsequiae duraverunt. Consimili etiam modo tunc se eum vidisse dominus Raymundus de Bancio, dominus Podii Richardi, magnus baro Provinciae, Marsiliae vicarius, est testatus [1].

Iuvenis quidem obiit *aetate* sed antiquus maturitate, *canus* non crinibus sed *sensibus,* senex non *diuturnitate* temporum sed multiplicitate potius meritorum [2].

51. Totius autem vitae suae decursus fuit viginti trium annorum et sex mensium. Quartumdecimum quippe annum attigerat cum in Cataloniam obses pro patris sui liberatione ductus fuit, septemque annis in custodia mansit; per duos vero annos et prope decem menses post liberationem a custodia supervixit. Et recte, sicut nomen suum fuit futurae virtutis praesagium [3], ita numerus vitae ipsius exstitit virtutis consummatae signum atque mysterium [4]. Duobus quippe denariis decalogi perfectio designatur, quam tam mente quam corpore, tam voluntate quam opere adimplevit. Ternario vero intelligitur vel fides Trinitatis deificae in qua perfectus fuit; vel ternarius virtutum theologicarum, scilicet fidei, spei et caritatis, quibus perfecte Deum coluit; vel tria religionis vota quae vovit et observavit; vel tres dotes animae quas in caelesti patria acquisivit. Senario vero mensium, qui perfectus numerus est, perfectio sanctitatis eius in hac vita defectibili et menstrua designatur. *Consummatus* ergo *in brevi explevit tempora multa* [5] et cumulavit merita plurima; sicut et beatus Stephanus [6], Chrysanthus [7] et Agapitus [8] multique alii utriusque sexus Sancti, qui licet hic parum vixerint, tamen quamplurima praecelsorum meritorum culmina congregarunt. Non enim curandum est quamdiu vivatur, sed quam bene vivatur, iuxta sententiam sapientis [9].

Transivit autem ex hoc mundo ad caelum vir beatissimus Ludovicus, Tolosanus episcopus, in loco qui Brinonia dicitur, anno Domini MCCXCVII, quartodecimo kalen-

---

7. eum *om.* B D P dominus *om.* A Raymundus] Hugo B D L P; Rudolphus *M*; R. *sic* S; *om.* A 8. Bancio] Brancho B; Bancho D L P dominus - Provinciae *om.* A 8-9. Marsiliae - testatus] et vicarius fratrum Minorum Marsiliae testati sunt B D L P 9. est] et S

10. aet. sed ant. matur. obiit *transp.* A 11. non *et* sed - meritorum *om.* A multiplicitate p.] *sic* b; multiplici p. aetate B D P; multiplici aetate p. L M S

51. 1. Tota aetas s. Ludovici XXIII anni et sex menses *habet in postilla marg.* D suae] illius B D P; ipsius c discursus L vig. trium ann. fuit D sex] septem A 1-2. mensium sex L 2. Quintumdec. L quippe] *sic et* S; quidem prope b; *om.* M Catalonia B L P S 2-3. pro p. sui lib. obses *transp.* B 3. liberationem S fuerat ductus L septemque] *sic et* S 4. suum *om.* B fuit *om.* M 4-16. Et - sapientis *om.* S 5. virtutis consummatae *om.* M 6. perfecto A, *om.* quam 7. Trinario B D P 8. trinarius D P theologiarum D 10. et] perfecte *add.* B D P observit B patria caelesti L Senatorio B 10-1. mensium] numero *add.* B D P b 11. est numerus B D P defectib.] delectabili L 12. menstrua] mensura B L; mensura de mensura D 13. merita] munera *M* (sicut) et *om.* b 14. utriusque] utrimque b hic *om. M* vixerunt B D L P quamplurimum L 15. culm.] cumula *M* congregaverunt B D L M P Non] Neque B D P vivatur *om.* M. 15-6. sed - sapientis] sed bene vixisse et feliciter consummasse [consummare B] laudabile est B D P 16. sapientis] *sic M et* Tr.; sapientium A B D P; sapientum L

17. beatus B D P 18. anno] ab Incarnatione *add.* B P quartod.] quarto L 18-9. kalendis S

---

[1] *Tr.* p. 259, ll. 15-21, ordine inverso et nunnullis additis. — Hanc duplicem visionem narrat in *Proc.* ipse « Raymundus de Bancon miles, dominus de Podio Ricardi », p. 97, lf. 27-43. Codices in nominibus et aliis circumstantiis referendis inter se valde differunt. *Tr.* legit *Bancio*, atque nonnulla addit ex *Proc.* et aliunde. [2] Cf. Sap. 4, 8 sqq. — *Tr.* p. 259, ll. 22-3. [3] Supra, n. 2, p. 336. [4] *Tr.* p. 259, ll. 23-8, verbotenus. [5] Sap. 4, 13. [6] Cf. Act. 6, 3 sqq. [7] De eo *Acta SS.*, Oct. XI, 437 sq. [8] Cf. l. c., Aug. III, 480 sqq. [9] Seneca, *Epistolae,* XXII, 13. — *Tr.*, omissis ll. 6-12: *Duobus-designatur,* pergit cum nostra, p. 259, ll. 28-33, item poene ad litteram.

das septembris, media nocte feriae secundae infra octavam Assumptionis beatissimae Virginis genitricis Dei Mariae, et sepultus fuit infra eamdem octavam, in regia civitate Marsiliae, in ecclesia fratrum Minorum, prout ipse iam dum viveret ordinarat; ut Virgo beata, cui sanctus iste devotissimus semper fuit, infra suae Assumptionis solemnia, hora qua Christum pepererat, hunc purissimum virginem assumeret et intromitteret ad superna convivia in perpetuum permansurum [1]. Quo, mortalitatis *Iordane transito* [2], per eiusdem gloriosae Virginis matris Dei, almique confessoris sui et episcopi Ludovici merita, nos introducat verus ductor populi et Salvator Christus Iesus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

De ipsius miraculis, canonizatione et translatione [3].

Capitulum septimum.

52. Volens igitur Dominus ostendere *quam placita* sibi *erat anima* electi sui Ludovici, quam propter peculiarem dilectionem *de iniquitatum medio educere properabat* [4], statim post ipsius obitum fecit eum signis et miraculis innumeris coruscare. Ad invocationem siquidem nominis eius, claudi rectificati, paralytici consolidati, febricitantes curati, leprosi mundati quamplurimi exstiterunt; sed et pluribus surdis auditus, mutis affatus, caecis visus, amentibus sensus fuit per eum mirabiliter restitutus; in partu quoque periclitantibus salubris partus, naufragantibus optatus portus exstitit a Deo sancti huius meritis condonatus; necnon et quamplura alia beneficia ac varia in necessitatibus remedia ipsum devote invocantibus sunt per Dei clementiam exhibita et concessa. Et quod maius his omnibus est, pluribus mortuis est per eum vita et incolumitas plenarie restituta [5]. Quidam vero, dum ipsius miraculis impudenter detraherent, divinitus percussi

---

19. septembris] Anni Domini tempore obitus s. Ludovici *add. in margine* D secundae feriae B D P S beatiss.] beatae A; *om.* S 20. genitricis Dei *om.* S Dei Mariae genitricis D octavam ea[m]dem S octavam] Assumptionis *add.* M 21. Marsilia B D L P iam *om.* B D L P ordinaverat B L M S; ordinaret P ut] et L 22. iste] ille L M suae Assumpt.] Assumpt. *om.* A; semper *add.* L; sua c 23. qua *om.* D peperit D 24. convivi D permansura A Iordane] Ordine B 25. sui *om.* L episc.] pontificis B D L P 26. merita *om.* A M S doctor L ductor populorum Salvator A, *om.* Christus Iesus Iesus Chr. S 27. regnavit S

52. 1. De - transl. *om.* A miraculis ipsius B D L P canon. et transl. *om.* S *Titulum* De - transl. *habet et* M, *sed quae sequuntur penitus diversam redactionem efformant. Cf. infra notam* 3. 3. ostend. Dom. L erat sibi B D P sui *om.* D 4. quam] quem B D P, *dein* devotionem *pro* dilect. qua propter peculiare in dilectione N properaret A N 5. innumeris *om.* A 7. quampl. mundati B D P 7-8. affatus] fatus B D L P 8. quoque] vero A 9. portus *om.* D sancti *om.* A 10. ac] et B P 11. et] est P; *om.* A. 12. his] iis b eum] est N vita et] vitae P; *om.* B D plenaria B 13. miracula A imprudenter detraheret L

---

[1] *Tr.* p. 259, ll. 34-35 et p. 260, ll. 1-6, semper verbotenus. [2] Deut. 4, 26.
[3] Post hunc titulum cod. M ponit initium Bullae canonizationis S. Ludovici *Sol oriens* (*Bull. Franc.* V, n. 257 p. 111); deinde sub titulo: *Secuntur miracula per S. Ludovicum virtute Dei mirifice facta. Et primo de mortuis,* transscribit omnia, scil. 15, miracula ipsius Bullae, paucis mutatis aut erratis: *Quaedam puella duorum annorum — reperit se sanatum* (*Bull.* cit. p. 113a-114a). Postea inserit 7 miracula quae in aliis hic editis compilationibus non inveniuntur, quaeque infra in *Appendice II* vulgamus. Addit demum alia 4 miracula sequentis compilationis (nn. 67, 70, 71a, 71b), eiusdem n. 72, et desinit reassumendo Bullam cit. a serie miraculorum finita usque in finem (p. 114a-b).
[4] Cf. Sap. 4, 14. [5] *Tr.* p. 260, ll. 15-24, iisdem fere verbis.

fuere, ipsoque Dei verbere coacti sunt sancti eius mirabilia pie recognoscere ac humiliter confiteri, quae prius conati fuerant superbe impugnare et impie irridere; demum quoque verbis aut signis se culpabiles cum veraci contritione spiritus confitentes, sancti ipsius promerentibus meritis restituti sunt pristinae sanitati. Ut autem de innumeris eius miraculis aliqua devotorum sibi memoriae commendentur, quaedam, licet pauca comparatione, perstringendo breviter subnectuntur.

53. In civitate namque Marsiliae quidam vir, Iohannes nomine, gutta seu morbo sciatico in pede, anca et tibia graviter torquebatur; ex vehementi siquidem dolore ad recte ambulandum impotens factus erat, et nullam habens requiem nocte ac die, quasi parturiens proclamabat. Conversus vero ad beati Ludovici suffragium devotissime implorandum, votum emisit quod ad sancti sepulcrum pedem de cera et tibiam deportaret, si ei sanitatem a Domino impetraret. Mirum certe! Voto quippe emisso, statim fuit a morbo tam gravi et tam duris doloribus liberatus. Succedentibus autem prosperis, voti sui oblitus, neglexit quod voverat adimplere; ideoque velut ingratus accepti beneficii in eamdem rursus promeruit incidere passionem. Sed cum, aperiente sibi oculos poena quos clauserat culpa, corde contrito sancti misericordiam implorasset, votumque quod emiserat implere devote curasset, continuo fuit sanitati plenarie restitutus [1].

54. In civitate quoque Aquensi mulier quaedam, Iohanna nomine, guttam tam graviter decem annis perpessa fuit, quod nec propriis manibus nisi raro se pascere poterat, nec de eis in aliquo se iuvare. Gravi igitur dolore vexata, ad invocandum beati Ludovici patrocinium se convertens, sepulcrum ipsius adiit; et cum octo diebus ibidem in oratione perseverasset, subito a praefata infirmitate sentiens se totaliter liberatam, Dei omnipotentis et sancti sui mirabilia magnifice collaudavit [2].

Quaedam paupercula mulier, dum ex partu violento de puero mortuo et in eius utero transversato, contracta in pedibus, manibus, femoribusque per biennium miserabiliter permansisset, votum emisit quod, si curaretur, ecclesiam in qua corpus sancti eiusdem conditum est scoparet quamdiu viveret semel qualibet septimana. Voto autem emisso obdormiens, post aliquale temporis spatium a somno excitata, sensit se ab ipso morbo totaliter liberatam [3].

---

14. ipsoq.] ipsique N ips. Dei verbere] soliusque Dei virtute [virtutes B] B D P mirab.] miracula B D P 15. quae] quod b conati] coacti L 15-7. demum - sanitati *om.* B D P 17. innumeris] universis A 18. devot. sibi *om.* B D P 19. subnectentur P

53. 1. Marsilia D Iohannis S 2. cyatico *codd.*; ciaticae A anca *om.* B D L P ex *om.* B D P vehementer (*sic*) B 2-3. in pede - ambulandum *om.* c 3. ambulandum *om.* A ac] et L 4. vero] tandem B D P beatum Ludovicum S 5. et tibiam de cera *transp.* B D P 6. ei *om.* b quippe *om.* A 7. doloribus] penitus *add.* A 8. neglexerat D 9. eadem S meruit L sibi oculos *om.* A N 9-10. oculos quos sibi poena clauserat *transp.* L 10. sancti *om.* L misericordiam] in ecclesia N votum A 11. curaret S; curat et N

54. *Num.* 54-8 *om.* S 1. Aquinensi A; Aquiensi N Ioha *sic* A tam *om.* A 2. decem] septem B P decem annis *om.* D fuit perpessa L nec] neque A N nisi] vel B D P 4. patroc.] suffragium L 5. oratione] hora none A 6. sui *om.* B D L P

7. dum *om.* A 8. in - manibus] in manibus et pedibus B D L P, *dein om.* miserabiliter 9-10. sancti eiusdem in qua corpus *transp.* A N eiusdem sancti L 10. semel *om.* B D P qual. sept. semel L autem *om.* B D L P 11. aliq.] aliquantum A; aliqualem L ab ipso] a dicto B D P

---

[1] « Iohannes f. Ferrarii de Balnia »; *Proc.* p. 187 sq. [2] *Proc.* p. 188-90. Sed ibi vocatur « Iordana Blancarda ». [3] « Dulcesa uxor Michaelis Bermundi de Massilia »; *Proc.* p. 165-9; *Mir.* n. 108, supra, p. 301 (Dulceta); *Bull. Franc.* (Bulla Canonizationis) V, 113b (mir. n. 10).

Beatrix, dioecesis Fori Iuliensis, xv annis epileptica, ita quod quandoque bis vel ter in die eam huiuscemodi passio affligebat, voto emisso confestim sic liberata fuit, quod ex tunc nullum omnino sensit vestigium dicti morbi [1].

55. In civitate Carpentoratensi vir quidam, nomine Ferrarius, octo annis gutta gravissima afflictus fuit, et ex concursu et confluxu humorum in ipsius tibiis multa fuerunt ulcera et foramina generata vermes scatentia, per quae etiam tibiarum ossa prospici poterant et videri. Cumque pro curatione multa perpessus fuisset a medicis et sua in medicos consumpsisset, penitus nil profecit. Uxor vero ipsius, de humano auxilio desperata, ad divinum implorandum subsidium devotius se convertit, votumque sancto Ludovico emisit quod, si viro suo sanitatis remedium obtineret, vir suus sancti sepulcrum visitaret et ei tibias cereas praesentaret. Portatus itaque in asino, quia propriis pedibus ambulare non poterat, sancti sepulcrum personaliter visitavit, orationeque facta et promissione soluta, in tantum convaluit quod ad propria pedes rediit et infra paucos dies plene curatus et integre sanus fuit [2].

56. Mulier quaedam morbo epileptico tam graviter laboravit, quod per octo annorum spatium fere diebus singulis torquebatur. Audiens vero mirabilia quae per servum suum Ludovicum Dominus faciebat, cum fiducia magna votum emisit quod, si sanctus ei curationis beneficium a Domino impetraret, sepulcrum ipsius annis singulis visitaret. Quo facto, sic a praedicto morbo curata exstitit, quod ex tunc in posterum de illo penitus nihil sensit [3].

Puella quaedam nobilis, dum nutricis brachiis portaretur, in terram collapsa, tam gravi casu collisa fuit quod, multo sanguine per os et aures emisso, per octo annorum spatium surda mansit. Pater autem puellae, miseriae filiae paterno affectu condolens, beato Ludovico promisit quod, si filiam suam a surditate eriperet, sepulcrum ipsius cum imagine de cera visitaret. Quod cum fecisset, sancti eiusdem promerentibus meritis, eius filia fuit sanitati integre restituta [4].

---

13. Formuliensis B D P; Fori Iubensis L; Foriliensis N, *et pergit* qui XI annis ter *om.* B 14. in die *om.* B D P huiusc.] huiusmodi b affligebat] in die *add.* D; sed *add.* N

55. 1. civitate] quoque *add.* B D L P Ferrarius] Franciscus A; Farrarius B 2. confluxu] fluxu B L P; sive conflictu *add.* D 3. vermes] *sic codd.* scaturientia B D L P etiam *om.* D 4. perspici D pro cur. multa] passionis (*sic*) multas L 5. nil] nihil B D L P b vero] quoque L 5-6. desper. auxilio ad impl. divinum *transp.* B D P 8. in asino *om.* B D L P 9. pedibus *om.* B P, *mox* potuit 10. soluta] redditus fuit [*om.* B] pristinae sanitati *add.* B D P, *et om.* convaluit pedes] pedester L 10-1. infra-fuit] dolorem ullum [nullum D] amodo [*sic et* B] non sensit B D P dies paucos L 11. et *om.* L sanatus L

56. 1. Mulier] Gulier A epil. morbo B D P tam] pertam A 2. singulis diebus D 3. si *om.* A sanctus] ipse *add.* B D P, *infra transp.* curat. ei 4. ei] eius L ipsius] illius (*sic*) B b annis *bis* A singulis annis N c 5. facto] emisso B D P praed.] praemisso B tunc] hinc c in posterum] in antea N; *om.* A illo] ipso B D P 6. penitus *om.* L

7. Puella] Quella A 8. multa B aures] nares N 9. spatio L permansit B P Pater] Puer L 10. sepulcrum] se pulchra b ipsius] eius L 10-1. sepulcr.-visitaret *om.* A cum-cera] simul cum ipsa N 11. eiusdem] *sic et* B; ipsius A N eius *om.* B 12. fil. fuit] exstitit filia B D P sanitati fuit N, *om.* integre

---

[1] « Beatrix Riccana uxor Ramundi Iohannis de Castro Bariamon, dioc. Foroiuliensis »; *Proc.* 206-8.

[2] « Ferrarius Salvani, civis Carpentoratensis »; *Proc.* p. 227 sq.

[3] « Beatrix Maynara de insula S. Genesii »; *Proc.* p. 209 sq.; *Bull. Franc.* V, 113b (n. 13).

[4] « Rixenda de Fayensa, f. Guillelmi de Fayensa militis, Foroiuliensis dioc. »; *Proc.* p. 153-5; *Bull. Franc.* V, 113b (n. 7).

Vir quidam nomine Antonius, dioecesis Vapincensis[1], dum tempore hiemalis algoris per montes transiret, tanto fuit frigore constrictus quod per triennium nihil omnino audiens surdus totaliter est effectus. Cumque signis et nutibus mirabilia quae per beatum Ludovicum operabatur Altissimus percepisset, devotionem ad ipsum sanctum concipiens, cum fiducia votum emisit quod, si beatus Ludovicus ei auditum restitueret, sepulcrum eius personaliter visitaret, et aures de cera ibidem apponeret ac offerret. Mira res! Voto emisso, auditum, quo tam diu caruerat, recuperavit continuo sine mora[2].

57. In Tolonensi dioecesi vir quidam, Petrus nomine, de villa Arearum, vi febris continuae, quam fortiter perpessus est, officium etiam loquendi perdidit et mutus penitus est effectus. Cumque per suos ad sepulcrum sancti fuisset adductus et ab eisdem cum emissione voti sancto fuisset sedule commendatus, dum conventualis Missa ibi celebraretur, idem vir mutus, quia voce non poterat, Deum et sanctum eius Ludovicum cordis clamoribus humiliter invocabat. Subitoque Dei et sancti virtute, quod corde gerebat interius, voce deprompsit exterius, dicens: « Sancte Ludovice, adiuva me ». Missa vero completa, perfecte recuperavit loquelam, cunctisque qui aderant admirantibus velociter et plane locutus est, sicut prius loqui consueverat antequam passionem huiusmodi incurrisset[3].

Alaracia de Campis, Aquensis dioecesis, cum ex vehementi passione cordis muta facta et de uno brachio omnino impotens effecta fuisset, voto a matre pro filia emisso quod, si beatus Ludovicus eam liberaret, ad sepulcrum sancti illam adduceret et luminare ibidem offerret, continuo solutum est vinculum linguae eius, sicque protinus est locuta et pristino robori restituta, ac si nihil mali passa hactenus exstitisset[4].

58. Hugo Gregorii de Banholis, tribus mensibus amborum luminum caecitate percussus, ad sanctum Ludovicum devotione praecipua ferebatur. Quadam vero nocte dormiens vidit in somnis beatum Ludovicum in quadam ecclesia valde magna, quae tanto sibi videbatur splendore illustrata, quod vix humani oculi excessum luminis poterant sustinere. Cumque aeger homo evigilasset, eidem sancto cum magna devotione et fiducia se devovit, promittens quod, si visum sibi restitueret, sepulcrum ipsius continuo visi-

---

13. Ant. nomine D   Vapicensis A; Yapincensis N   hiemali D   14. transierit A   constr[frigore B D P   15. est totaliter L   mirab.] miracula L c; in mirab. B   16. Altiss. operabatur B D P b   17. emisit] promisit L   18. appon. ac *om.* B D P   19. recup. cont.] reportavit L

57. 1. Tolosensi A L b; Cholonensi D N   Areatum L   vi] sic *legit* L   1-2. de villa - fortiter. febrem quam forliter continue B D P   2. quam] molestiam tam L   est] quod *add.* L   3. fuisse A   4. voto L, *om.* sedule   inibi L N   5. non poterat voce L   et] nec N, *om.* eius   Ludov.] invocare *add.* L   6. invocavit (*sic*) L   8. cunctis B D P, *et* audierant *pro* aderant   mirantibus N   9-10. huiusm.] hanc A; *om.* N

11. Alar.] *ex* Proc.; Odoicia A; Glaracia B; Alazacia D L P; Aladaycia N   Campis Aq.] Corrupis aquatice A; Carupis Aq. N   cordis pass. B D L P   muta *om.* L   12. et *om.* B D P, *add.* etiam *post* uno   fuisset] esset N   emissa b   13. eam b. Lud. *transp.* B P   13-4. luminaria B D P   15. robori] colori N   hactenus passa B D P

58. 1. Bambolis N; Bonholis P   2. Ludov.] hunc B D P   praecipua *om.* L   3. in somnis *om.* A   4. videb. sibi L   5. homo *om.* B D P   6. se *om.* N   promittens *om.* L   sibi] ei B D L P   restituet B   ipsius] eius (*sic*) B L P

---

[1] Vulgo, Gap.

[2] « Antonius Sparroni, castri de Curbano, Vapiucensis [*sic corrigendum*] dioc. »; *Proc.* p. 155-7.

[3] « Petrus Picoti de Arcis, dyoc. Tholonensis »; *Proc.* p. 157 sq.; *Bull. Franc.* V, 113b (n. 8).

[4] « Alaracia Amigua de Campis, Aquensis dioc. »; *Proc.* p. 158-61; *Bull. Franc.* V, 113b (n. 9).

taret. Mirabile dictu! Statim, postquam votum emisit, visum recuperans clare vidit, sicque devote quod promiserat postmodum adimplevit[1].

In comitatu quoque Venecchini, quidam Stephanus nomine adeo utrumque oculum maculis habebat obtectum quod, de oculo dextro penitus nihil videns, de sinistro vero valde parum et prope nihil, ibat caecutiens, et ab aliis personis tamquam caecus ad mensam ac ad alia loca necessaria ducebatur. Voto autem ad sanctum emisso ab uxore, quae pro salute viri anxia Dei et sanctorum auxilium precabatur, continuo delimpidari eius oculi inceperunt, ac infra paucos dies, oculorum maculis omnino deletis, visum integrum beati Ludovici meritis reaccepit[2].

Quaedam mulier nomine Sancia, de civitate Marsiliae, igne persico, qui etiam ignis sancti Antonii appellatur, tam dure fuit depasta, quod circa coxas ad quantitatem unius palmi fuit caro eius vastata horribiliter et combusta; sicque coxae ipsius crematis carnibus adhaeserunt, quod nullomodo poterat ambulare; sed post ignis illius exstinctionem remansit omnino impotens ad eundum. Voto autem pro misera filia tam male vexata a matre eius moestissima affectu materno ad sanctum Ludovicum emisso, statim propriis pedibus ambulare coepit, gradiendi officio sibi plenarie restituto[3].

59. In civitate Sistaricensi, puer quidam Ioannes nomine, infantilibus panniculis involutus, tanta sanguinis copia respersus semel a matre inventus est, quod nihil in eius corpore videbatur sanguinis remansisse. Cumque diligentius eum mater sua fuisset intuita, clara luce invenit quod nullum inter tibias et genua os habebat, sicque erat in eo tibia revoluta quod in loco posterioris partis erat pars anterior situata, dorsum quoque monstruose reversatum habebat pariter et gibbosum; inter aures etiam in posteriore parte capitis erat absque ossibus caro sola. Puer igitur sic monstruosus, tibiis impotens et deformis, magna erat doloris materia et causa moestitiae matri suae. Dolorosa itaque mater, de omni humano remedio desperata, ad Dei et servi sui Ludovici suffragium totis praecordiis se convertit; flensque largiter cum grandi fiducia *votum vovit*[4] quod, si filium suum Dominus liberaret, ipsum coram sancti sepulcro cum candela vel cereo praesentaret. Mira res! Statim post emissionem voti puer melius coepit

8. sicque - promis.] sed quod promisit devote L promisit B D L P
9. Venesimi B D P; Venethini L nom. Stephanus L 10. hab. maculis D L dextero B nihil penitus B D vero *om.* B 12. ac] et L 13. auxilia L delimpidare B D P; limpidari L 14. eius] ipsius B D L P coeperunt B D P 15. recepit A
16. Sanxia B D P, *dein* Marsilia, *et* persicae quae, *om.* ignis 17. dure] dire L 18. palmae B D P horrib. et combusta *om.* A 20. eundum] ambulandum B D L P misera] misioca L 21. moest.] vetustissima B D L P 21-2. coepit [incipit D] propriis ped. amb. *transp.* B D L P 22. plenario B
59. *Redit* S 1. Sistariensi B; Cystaricensi L; Sistriaricensi N nomine Ioh. A N pannis B D P 2. a matre semel B D P 2-3. videbatur in eius corp. B D L P 3. sanguis B b 4. luce clara B D P genua os] genuos S haberet N 5. devoluta S anterioris B D P 6. monstrose b pariter *om.* c gibbosum] atque *add.* B D P; et *add.* L etiam] et L S; *om.* B P 7. monstruosis B D P; monstrusus S 8. matris N c 9. remedio hum. B D P Dei] Domini S servi] sancti B D P, *om.* Ludovici 10. toti B flens A 11. Dominus f. suum *transp.* B D P liber.] sanaret B P sancti] baati B P; Ludovici *add.* B D L P cum *om.* B (*spatio relicto*) P 11-2. cand. vel cereo] candelis cereis B D P 12. voti emiss. D

[1] » Hugo Gregorii de Bagnholis [*sic corrigendum*], Foriuliensis dioc. »; *Proc.* p. 150sq. [2] « Stephanus Blancardi de civitate S. Pauli in com. Venecini »; *Proc.* p. 151-3. [3] « Xanctia f. Petri Vitalis de Massilia »; *Proc.* 173-6. [4] Iudic. 11, 30.

habere, et infra modicum tempus, sancti operante virtute, fuit ad statum naturae debitum reductus, a praedictis omnibus infirmitatibus et deformitatibus liberatus[1].

60. In civitate Marsiliae, puer quidam Iacobus nomine, *claudus ex utero matris suae*[2], tortos pedes et tibias sic habebat, quod non plantis sed superiore pedum parte reversata et cavilla terrae potius inhaerebant, propter quod etiam calles quidam seu gibbi in utroque pede iuxta cavillam fuerant generati, adeo duri et spissi ex continua collisione ad terram, ut per eos penitus nil sentiret. Cernens igitur mater ipsius mirabilia quae per sanctum suum Dominus faciebat, respersa lacrimis sancti clementiam viscerosis affectibus invocavit, ut calamitati suae filiique sui pietate solita succurrere dignaretur. Cumque promisisset Deo et sancto quod, si eius filius curaretur, sepulcrum ipsius cum oblatione pedum, tibiarum et crurum de cera, quamcitius visitaret; continuo, voto emisso, gibbis et callibus evanescentibus, omni deformitate et tortuositate remota, pedes ipsius pueri ad naturalem rectitudinem sunt reducti. Sotulares quoque torti iuxta pedum tortitudinem, quibus utebatur, una cum tortis pedibus fuerunt ad debitam rectitudinem reformati[3].

61. Raymundus de Cerveriis de castro Arearum, miles dioecesis Fori Iuliensis, cum tribus septimanis febre continua et apostemate laborasset, convocatis pluribus medicis et circa eum curam et diligentiam adhibentibus, tandem omnium iudicio definitum est quod nullo medicinae aut naturae auxilio poterat liberari; sicque, domo sua iuxta posse disposita, iam non de vita, quia de ea desperatum erat, sed de sepulturae eius officio curabatur. Verum miles ipse ad beatum Ludovicum ex intimis praecordiis se convertens, quia voce non poterat, corde cum magna fiducia se devovit. Cui statim Dominus, qui cordis est *cognitor* et desideriorum humilium *exauditor*[4] succurrere per sancti sui merita est dignatus. Agonizanti enim militi et in mortis periculo decumbenti, beatus Ludovicus invocatus in habitu fratris Minoris apparuit, manuque sacrata apostematis locum contingens, rupto apostemate et emissa sanie, devotum sibi militem a mortis faucibus eruens, eadem hora perfectae restituit sanitati[5].

62. In villa de Cellone, quidam nomine Bartholomaeus tantam mentis alienationem insaniamque incurrit, quod ex furoris vehementia non solum extraneos, sed etiam pro-

13. naturae *om.* B D P 13-4. debitae L 14. reductus] atque *add.* B P; et *add.* L et] ac B D P et deformit. *om.* N

60. *Num.* 60-5 *om.* S 2. tortus B sic *om.* N pedum *om.* L parte pedis (*sic*) B D P 3. revers.] reservata L cavilla] *sic* A L; cavillata B D P; cavillae N c inhaerebat B D P, *dein* casses quaedam *pro* calles quid. 4. gibbi] sibi A fuerant gen. adeo duri et sp. in utroq. pede i. cavillam *transp.* L 5. nil] nihil B D P, *infra* miracula *pro* mirab. 6. clementia B 7. viscerosis] distensis *sic* B D P suae *om.* L 8. sancto] Ludovico *add.* D; suo Ludovico *add.* L 9. ipsius] eius B D P tibiarum - cera] et tib. de cera B D P crurium L quampotius A 10. gibbus P evanentibus L tortuos.] enormitate L 10-1. deform. - pedes] semota deform. pedes B D P 11. semota L sint A

61. 1. Taimundus b Raym. - Iuliensis] Miles quidam dioec. Forlimacensis [Forlinicensis D] B D P de - Arearum *om.* L Areanum N 2. septim.] de *add.* A N 3. et (circa)] ut B D P, *postea* adhiberent iudicium N 4. nullo] modo *add.* N c auxilio] remedio B D P 5. iam] tam b quia - erat *om.* B D P 7. quia] quod D 8. exauditorum A 9. decubanti A; decumbanti L 10. fratrum Minorum N sacra postematis B D P 11. et *om.* A N a] de L

62. 1. Salone B D L P; vir *add.* L

[1] « Iohannetus f. Petri Clemensani de Cistarico »; *Proc.* p. 169-71. [2] Act. 3, 2.
[3] « Iacobus f. Iacobi Deodati de Massilia »; *Proc.* p. 176-82. [4] Dan. 13, 42, et Eccli. 35, 19.
[5] « Ramundus de Sernetis (*sic*), miles de castro Arcuum (*sic*), Foroiuliensis dioc. »; *Proc.* p. 200-2.

pinquos ac parentes proprios ferociter invadebat, ac eorum membra mordere feraliter conabatur; necnon, quasi canis rabidus ac cruenta bestia, ligna ac lapides et alia quae manibus contingere poterat corrodebat. Super fatuo igitur et furioso filio parentes eius dolentes nimium et afflicti, beato Ludovico supplices effecti, Deo et sancto suo *preces* humiles *fundentes*[1], vota pro liberatione miseri filii devoverunt. Continuo precibus et votis a parentibus emissis, aeger ipse, virtutem sancti in se sentiens, quasi *gratias agens*[2] manus protendit in caelum, omnique vesania deposita, redditus est pristinae sanitati[3].

Apud civitatem Niciam, mulier quaedam, Beatrix nuncupata, sic sensum et rationis usum amisit, quod cum prius inter omnes mulieres suas convicaneas[4] bona ac prudens et devota notabiliter haberetur, superveniente passione huiusmodi et infirmitate horribili, non solum in viros religiosos aliosque homines, sed etiam in Deum et sanctos verba contumeliae et blasphemiae iactitabat. Ex vehementia quoque furoris caput, oculos et alia corporis membra modo horribili agitabat, et, si libera permittebatur, huc atque illuc currere non cessabat, gladiosque, fustes et lapides arripere nitebatur ut perculeret circumstantes, ideoque suis vinctis fune manibus tenebatur. Cum autem vir eius, coniugi miserrimae vehementer condolens, fiducialiter *votum vovens*[5] beatum Ludovicum pro subventione suae afflictae coniugis invocasset, eadem die, omni vesania et amentia pereunte, fuit integre ac plene sensui et discretioni pristinae statim restituta[6].

Quaedam quoque mulier Guillelma nomine, de civitate Marsiliae, iuventutis suae tempore adeo ratione privata et amens effecta fuit, quod vexata *maligno spiritu*[7] crederetur. Verba siquidem inhonesta et turpia contra morem suum et muliebrem verecundiam proferens, vestes quoque proprias et faciem unguibus lacerabat. Propter quod etiam manus eius funibus stringebantur, ne posset inferre sibi vel aliis nocumentum. Pater vero sanctum Ludovicum, caelestis Regis filium, clamans implorabat *misereri sibi*[8], quia *filia* sua, ut videbatur, *male a daemonio vexabatur*[9]. Ad tumulum igitur sancti filiam infelicem adduxit, sancto *votum vovit*[10], luminare obtulit, orationem fudit; continuoque filiam penitus liberatam, sanam et incolumem in sua reduxit[11].

---

3. ac, ac] et, et B D P   feroc.] ferocitate b   eorum] sua N .   feraliter mordere L   4. ac] et B D P   5. attingere B D L P   poterant A   fatuo et furioso igitur L   filio *om.* N   6. nimium dolentes [dolentis P] *transp.* B D P, *om.* et afflicti   7. Continuo] autem *add.* B D P; enim *add.* L   8. in se *om.* D   8-9. quasi - caelum *om.* B D P   9. manus - caelum] in caelum oculos elevans L   omni B D P   sanit.] sospitati B P

10. Niciam] Mitriam B D P; Ticinam N   Quaedam mulier ap. civ. M. *transp.* D   11. amiserat A   convicaneas *sic* A B D P; comitaneas L; convicineas N c   bona] beata L   ac *om.* B D P   12. huius A; huiuscemodi b   et (inf.)] ex A   infirm.] hac *add.* N   13. hominesque alios A N   14. contumeliosa et blasphema [blasphemia B] B D P   iactabat B D P b c   quoque] autem B D P; *om.* L   15. agitabat] fatigabat B D P   16. arrip.] accipere L   niteb.] videbatur N   17. suis vinctis] a suis vinculis L   fune *om.* B D P   18. miserr. *bis* A   vehem. *om.* B D P   votum vovens] vovit D   19. invoc.] statim *add.* c   die *om.* B

21. quoque *om.* L   Guill.] Iutta *sic* L   de] in B L   Marsilia D   22. a spir. maligno L   24. quoque propr.] etiam suas B D P; quoq. suas b   etiam] et (*sic*) B D P   25. stringebatur A   sibi inferre B D P   vel] et L   26. sanctum] beatum L   cael. Reg. f. beatum Ludovicum *transp. et var.* B D P   27. sua ut videb. *om.* B D P   sancti *om.* D   28. adducens B D P   votum vivit D   29. ad sua perduxit B D L P

---

[1] Cf. Baruch, 2, 19.   [2] Matth. 15, 36 etc.   [3] « Bartolomeus f. Raymundi Textoris de Sellone »; *Proc.* p. 216-8.   [4] *Proc.* p. 218, l. 28: *circumvicinas.*   [5] Cf. Gen. 28, 20.   [6] « Beatrix uxor Leonis de Vesia, civis Niciensis »; *Proc.* p. 218-21.   [7] Cf. Luc. 8, 2.   [8] Cf. Ps. 4, 2.   [9] Cf. Matth. 15, 22.   [10] I Reg. 1, 11.   [11] « Guillelmina f. Iohannis Olier, civis Massilie »; *Proc.* p. 214-6.

63. Raymundus Oliverii, clericus civitatis Carpentoratensis, adeo furiosus fuit effectus, quod sibi adstantes ferociter invadebat, et manibus ac lapidibus inhumaniter laedere nitebatur. Unde, ne damna aliis inferre posset, catena ferri affixa cippo terrae infixo vinctus fuit, et etiam in manibus, brachiis ac pedibus vinculis ferreis alligatus. Cumque pluribus mensibus sic stetisset, tandem voto a parentibus emisso ad beatum Ludovicum, immediate ad sanam mentem fuit reductus et a furore tam gravi penitus liberatus [1].

64. Guillelmus Vielli, Marsiliensis civis, dum in barcha quadam simul cum aliis multis sociis navigaret, tempestate forti et periculosa exorta, *fluctibus navem operientibus* [2], mortem vicinam sibi imminere prospicientibus omnibus, ad beatum Ludovicum se conferens, una cum aliis *votum vovit* [3] quod, si ab imminentibus maris et mortis periculis eriperentur, statim cum intrarent Marsiliam sancti sepulcrum ligatis ad colla funibus visitarent. Statim, voto emisso, periere pericula, cessavit tempestas [4]; quinimo, quod maius est, cum nimia ventorum procella in circuitu navis mare turbaret, fluctus agitaret, pluviaque maxima inundaret, tamen ex tunc intra navem nec una gutta pluviae cecidit, nec tempestas maris iter eorum in aliquo impedivit [5].

65. In Tolonensi dioecesi quidam, Guillelmus nomine, iuventutis suae tempore rupturam incurrerat valde gravem, de qua fuit vehementer decem annis continuis aggravatus. Cumque die quadam pondus quoddam cum nimio conamine elevaret, in tantum crevit ruptura simul et inflatura, quod factus fuit quasi impotens ad laboritium, de quo vivere consueverat, exercendum. Propter quod *absorptus* vehementi *tristitia* [6], quasi in desperationis cuiusdam foveam incidebat. Sed divina *miseratione respectus* [7], mentis oculos sursum erigens, voto ad beatum Ludovicum fidenter emisso eiusque suffragium toto corde exquirens, nequaquam a sancti clementia est repulsus. In eodem enim momento temporis invenit se a diuturna ruptura et tam gravi inflatura totaliter liberatum [8].

Puella quaedam, filia Gulielmi de Celone, quamdam habebat carnis excrescentiam in nasi extremitate, quae crescente infantula etiam pariter excrescebat et in tantum iam processerat, quod pertingens usque ad summitatem labii ipsam monstruosam reddiderat et informem. Quadam autem die pater ipsius puellae, perpensius cum dolore recogitans deformitatem filiae, ad beati Ludovici merita invocanda devotius se convertit.

---

63. 1. Oliveri L Carpentratrensis A; *caeteri codd.* Carpentratensis *vel* Carpentracensis fuit furiosus D 2. adstante L feroc.] fortiter L 3. ferri] forti B D P in terra fixo N 4. vinctus *om.* B P fuit vinctus L, *om.* etiam 5. tandem] tamen D votum B parent.] eius *add.* N 5-6. ad b. Lud. emisso *transp.* B D L P

64. 2. sociis multis L navem *om.* B D P 4. imminenti N et mortis *om.* L 4-5. periculo L 6. visitaret A L perire B P 7. perturbaret L 8. navem] una *add.* L, *quod dein repetit* 8-9. pluviae *om.* A 9. cecidit] excidit c maris tempestas B D P

65. 1. Holonensi A; Cholonensi D 2. incurrit B D L P vehementius N 2-3. valde - aggravatus] ex qua decem annis continuis aggravatus fuerat c 3. quoddam *om.* B D P 6. respertus A 7. vota L fidenter *om.* B D L P eius B P 9. temporis] ipse L

10. Gulielmi *om.* B D P de *om.* B Tollone B D P 11. etiam infantula A pariter excresc.] crescebat L 12. ipsam *om.* A P mostruosam ipsam c 13. deformem A B P puellae perp. *om.* c propensius D L N cum] in N 14. deformitate A filiae] suae *add.* L

---

[1] « Raymundus Oliverii, clericus, f. Raymundi Oliverii de Carpentorato »; *Proc.* p. 221-3.
[2] Matth. 8, 24. [3] Ps. 131, 2. [4] Cf. Brev. Rom.-Ser., 13 iunii, Resp. VIII in Officio S. Antonii Patavini. [5] « Guillelmus Nielli (*sic*), civis Massiliensis »; *Proc.* p. 228 sq.
[6] Cf. II Cor. 2, 7. [7] Cf. Ps. 68, 17. [8] « Guillelmus Romei de Areis, Tholonensis dioc. »; *Proc.* p. 249 sq.

Cumque votum Deo et sancto cum magna fiducia emisisset, immediate carne illa superflua quae deformitatem pariebat evanescente et subito disparente, filiae suae nasum ad decentem formam repente reductum fuit. Non modicum admiratus, arbitransque illam materiam in terram forsitan cecidisse, diligenter inquirens nihilque omnino inveniens, ita integrum filiae nasum reperit, quod ex amotione strumae illius nec sanguis effluxerat nec ulla cicatrix aliquodve illius vestigium remanebat [1].

66. Gaufrida mulier civitatis Marsiliensis, cum videret sepulcrum sancti cum devotione et reverentia ac candelarum oblatione a Riccarda consanguinea sua matreque eiusdem Riccardae, nomine Beatrice, saepius visitari, eo praecipue quod curaverat eamdem Riccardam a turpi infirmitate quam in tibiis ab infantia perpessa fuerat nec potuerat ullo medicorum iuvamine liberari, tamquam incredula et irreverens sancto in eum verba blasphemiae huiusmodi iaculavit: « Cito », inquit, « isti Fratres Minores fecerunt eum sanctum ut inde reportent lucrum et commodum de candelis, et vos asseritis eum sanctum esse et miracula operari. Per Deum! non adhibeo nec adhibebo fidem sibi nec miraculis suis, quia non est sanctus; ideoque nec sibi aliquid offeram nec ullam exhibebo reverentiam, sed potius super eum sicut super mortuum signum crucis faciam ». Quod et fecit, manum super sepulcrum sancti elevans cum illusione et despectu. Dure autem a praefatis mulieribus de tanta temeritate redarguta, in sua tamen nequitia obstinata a verbis detractionis et blasphemiae non cessavit. Verumtamen paulo post *coepit intra se cogitare* [2] quod, si sanctus esset, posset se de ea vindicare, et si ei per triduum auferret visum, in quo numquam passa fuerat, doloremque capitis tam vehementer infligeret quod quiescere non posset, ipsum crederet esse sanctum. *Factaque est manus Domini super* eam [3], et ita sibi die tertia evenit sicuti cogitavit. Mane enim quando de lecto surrexit, habuit oculos grossissimos ac rubeos extra caput eminentes, et penitus nihil vidit. Caput quoque et collum ac faciem sic tumidam habuit ut magis monstrum et frustum carnis quam hominis facies videretur, sicque per triduum vehementissimo dolore angustiata fuit, nec ullum remedium potuit invenire. Poena igitur inflicta culpae praeteritae, tumori cordis et animae caecitati correspondente, tandem compuncta corde,

15. votum *bis* B 16. pariebat] parabat B P 16-7. ad decentem - admiratus] non sine multa admiratione cernit ad formam decentem repente reductum B D P 17. arbitrarique N 18. et nihil B D P; nihil L 19. filiae - reperit] nasum filia recepit A N filiae] suae *add.* L amovitione b illius] eius B D L P sanguis] eius *add.* B 20. aliquodve] nec aliquod L vestigium illius B D P

66. *Redit* S 1. Gunfrida B P; Dunfrida D; Ganfrida S civitatis *om.* D Marsiliae A 2. candelabrorum oblationibus L Riccarde L 3. Ricarda B; Richerdae P quod] quia B P 4. in *om.* S perpessa fuerat ab inf. B D P poterat B D L P 5. tamque b 6. blasphemia B; blasphema D P huiuscemodi B D P Scito A N eum *om.* B 7. comportent B D P, *dein* in *pro* de, *et om.* et (vos) commode S 8. adhibeo nec *om.* B D nec adhihebo *om.* P 9. sibi] *sic et* S 9-10. exhibebo] adhibebo B; adhibeo P 10. sed - faciam *om.* B D P sicut super] unum *add.* L 11. Quod - despectu *om.* N manu B P 12-3. neq. obstinata] obstinatione A 13-4. intra se cog. coepit L 14. intra] in B D P se (cog.) *om.* D quod - vindicare *om.* S esse ... vindicaret L per] infra B D P 15. dolorem (*sic*) B D P vehementem b 15-6. affligeret L 17. sicut cogitaverat B D P; Mirabile certe *add.* B D L P enim *om.* B D P 18. eminentes] emissos N c 19. ac] et L tumidam] curvam B D P 20. et] ac L frustrum A B S sicq.] sic itaque B D P; sic L 21. potuit remedium B D P, *add.* seu levamen 21-2. praeteritae culpae L 22. tumori] timori S tumori - corresp.] corresp. timore ac caecitate corporis cordis timore A; corresp. tumoreque ac caecitate corporis prodente (*sic*) tumorem cordis et animae caecitatem N caecitate L corde] corda S

[1] « Katherineta f. Guillelmi de Sellone (lippia in naso, verteca) »; *Proc.* p. 244-6. [2] Dan. 4, 16. [3] I Reg. 7, 13.

reatumque suum ore confitens ad salutem, facto voto quod offerret caput de cera sancto Ludovico, si sibi subvenire misericorditer dignaretur, statim ab omni passione liberata meritis sancti fuit, excepto quod in signum miraculi in dextro oculo remansit penitus excaecata [1].

67. Gulielmus de Moissaco, dum esset ante sepulcrum sancti, videns illuc prae devotione multitudinem confluentem, tamquam incredulus coepit subsannare et beati Ludovici irridere miracula, palam dicens quod amodo essent pro nihilo omnes sancti, quia ille Ludovicus haberet de caetero solus totum. Quo dicto, protinus fuit ipsum divina *ultio* [2] subsecuta. Os enim ipsius, quod insipienter locutum fuerat, continuo tortum fuit et retroversum, officioque loquendi omnino privatum, dextroque oculo obliquato ac dolore gravissimo afflicto, faciem habuit horribiliter deformatam. Cumque novem diebus sic fuisset, nec ullum adhiberi remedium sibi posset, tandem poena docente reductus *ad cor* [3], culpamque suam et sancti gloriam, quam superbe contempserat, recognoscens humiliter, ex intimis praecordiis votum emisit quod sancti sepulcrum devote visitaret et ibidem caput de cera offerret ad sancti reverentiam et honorem. Quod cum fecisset, antequam ecclesiam exiret, pristina figura per Dei et sancti clementiam sibi reddita, ab omni deformatione et passione quam incurrerat fuit plenarie liberatus [4].

68. Domina Beatrix de Auriolo, videns candelas multas ad tumulum sancti offerri ac miracula multa per eum facta audiens referri, tamquam incredula in corde contempsit et ore et verbis derisoriis subsannavit. Reversa igitur ad domum suam, cum sedens ad mensam panem scinderet, pollicem per medium unguis usque ad os durissime sibi scidit, doloremque maximum ex vulnere illo sensit. Verum quia saepe mentis oculos, quos culpa claudit, poena aperit: considerans misera mulier et recognoscens propter iniquitatem, quam contra sanctum Dei imprudenter iactaverat, a Domino se correctam, sanctum Ludovicum humiliter invocavit eique pollicem cereum se oblaturam promisit, si pollici proprio sic afflicto succurrere dignaretur. Statim autem, voto facto, sancti in se virtutem sentiens, et pollicem quem ligaverat inspiciens, invenit ipsum reductum ad statum pristinum pariter et sanatum [5].

---

23. reatum D   sancto] beato B D P   24. passione] *sic et* S   24-5. meritis sancti liberata *transp.* S   25. mansit L, *om.* penitus

67. *Num.* 67-70 *om.* L; *Num.* 67-8 *om.* S   1. esset] erat B D P   prae] pro B P   3. irrid.] subsannare A   pro nih. essent B D P   4. de caetero *om.* B P   solum D   ipsum] eum B D P, *infra* fuerat locutum   5. insapienter D   5-6. et retrov. fuit B D P, *dein* a liquore *pro* obliquato   6. ac] et D   8. rem. sibi adhib. B D P   9. et] etiam A N   10. ex] et B   praec.] cordis A N   11. de cera] cereum B D N P   ad rever. ipsius sancti B D P   12. exiret eccles. B D P, *postea om.* et sancti   13. deformat.] deformitate B D P

68. 1. Domina] Aña *sic* B, *sed interpretandum credimus* A *pro* D *scriptum, id est, ut caeteri codd.,* Domina; Dum P   Aureolo B D P   2. tamquam] ut N   3. et (verbis) *om.* B D P   cum - ad] et sedens in N   5. Verum quia] Verumque A   6. recogn.] quod *add.* B D P   7. qua B D P, *et post* Dei *add.* Ludovicum   iactav.] latraverat B D P, *qui post* sanctum *add.* Dei   se] sic D   8. humiliter] *sic et* B   cereum] cesum A, *et post* oblaturam *repetit* se   10. quem] quam D   ipsum *om.* B D P   11. pariter *om.* N

---

[1] « Gauffrida Rossa, uxor Bernardi Rossi, civis Massilie »; *Proc.* p. 236-9.   [2] Cf. Ps. 93, 1.   [3] Is. 46, 8.   [4] « Guillelmus de Moyssaco, lapicidinarius, civis Massilie »; *Proc.* 233-6. — *Bull. Franc.* 114a (n. 15). — Hoc miraculum etiam cod. M refert, sed in compendio, loco n. 23, f. 69v: « Cuidam derisori fuit collum ad caput transversum ob sancti Ludovici in miraculorum eius derisionem. Et quando derisor veniam de isto sancto (*sic*) petiit et errorem suum revocavit et vota fecit, tunc statim collum reversum est ad locum suum ».   [5] *Mir.* n. 56, p. 287 sq. Deest in *Proc.*

69. *Exemplum notabile de mortuo suscitato.* In civitate Marsiliae mulier quaedam, nomine Maria, febre continua tam graviter afflicta fuit, quod medicorum iudicio eius curatio erat impossibilis per naturam. Quadam vero nocte dum vigilaret, et esset camera in qua decumbebat claro lumine illustrata, vidit episcopum quemdam, iuvenem pulchrum facie et iucundum, mitratum et pontificalibus albis indutum, sibi manum imponentem ac dicentem: « Mulier, tot personae me rogaverunt pro te, quod non possum negare me, quin te adiuvem et pro te intercedam. Scito igitur te tertia die sanandam; prius tamen adversa quaedam et terribilia es passura ». Visione autem huiusccmodi disparente, cum perterrita servitrices suas quae obdormierant excitasset, et praefatae visionis eis seriem retulisset, confortata fuit ab eisdem affirmantibus episcopum qui ei apparuerat fore sanctum antistitem Ludovicum. Verum cum ante diem tertium, iuxta testium iuratorum assertionem veridicam, exspirasset, ipsius anima, prout eidem mulieri visum fuit, ante tribunal superni Iudicis ducta fuit, et in oculis eiusdem Iudicis in statera posita aequoque libramine ponderata. Cumque daemon quidam figurae terribilis eam conatus fuisset rapere et glutire, episcopus qui sibi prius apparuerat eam defendit et accepit, ac proprio corpori reunivit. Propter timorem autem teterrimi daemonis, ter tam fortiter et tam terribiliter exclamavit, quod omnes circumstantes clamorem huiusmodi audierunt et etiam stupuerunt. Die autem tertia fuit a febre penitus liberata, iuxta oraculum factum ab episcopo qui sibi apparuit, quem firma fide sanctum Ludovicum fuisse credidit, in quo magnam devotionem habebat, et voto emisso a se et a filiis ac marito devote fuerat commendata.

70. Puer [1] quidam Petrus Durandi nomine, septennis exsistens, vi febris continuae adeo depastus est, quod post novem dies, prima noctis vigilia, praemissis tribus oscitationibus iuxta morem morientium, vitalem spiritum funditus exhalavit. Posita igitur cruce, ut moris est, supra pectus pueri iam defuncti, medicoque ac aliis qui convenerant post qualemcumque consolationem patri desolato exhibitam recedentibus, remansit pater cum familia in gemitu et luctu, excubans circa funus. Hora vero matutinali cum magna fide

69. *Redit* S 1. Exemplum - suscitato *om.* A S notab.] nobile b Marsiliae] *sic et* S 2. continue B 3. imposs. erat B D P, *et post* esset *add.* in vero] autem N S 5. et iucundum] rotundum A N S et (pont.)] ac B D P 6. ac] atque B D P, *dein* rogav. me 7. me *om.* N c te adiuvem] ad te veniam, B D P, *postea* ergo *pro* igitur die] esse *add.* B P; etiam *add.* D 8. es] eris B D P 9. obdorm.] subito *add.* B D P 9-10. eis visionis B D P 10. eis] eius A confirmantibus D episc.] ipsum B D P 11. sanctum fore P ante *om.* D 11-2. testium - ver.] testimonium iur. testium veridicum D 12. verid.] iuridicam b; infirmitate praegravata *add.* B D P, *et om.* mulieri superni] supremi B P; summi D eiusdem *om.* B D P 14. aequo B D P, *infra* fuisset conatus 15. capere b deglutire B D P, *add.* ecce sibi] ei N 16. reun.] retinuit N autem timorem D teterrimum S ter *om.* B P 17. clamavit B D P 18. et - stup.] et obstupuerunt B D P, *post* oraculum *add.* sibi 19. sibi app.] apparuerat B D P fuisse] esse D 20. maximam B D P 20-1. voto - commendata] deinceps cum marito et filiis ei fidelissime servitium devotionis et honoris impendit B P

70. *Hinc deficit* S; *redit* M Petrus] *sic* M; Perrectus A N; Perratus B D P, *qui transp.* nom. Durandi Durandi] Durnati M vi febris cont.] febre continua N c 2. adeo *om.* B D P est] fuit M 3. funditus *om.* B D P 4. ut] sicut M ut moris est *om.* A medico M convenerant] recedentibus *add.* B D P, *quod postea om.* qualemc.] aliqualem B D P consolat. - desolato] desolati consol. patris M desol.] consolato B desol. exhib.] ex desolato habitu N 6. circa] iuxta D

[1] Cod. M, postquam retulit ex Bulla canonizationis omnia miracula ibi recensita, idest 15, deinde 7 nova infra in *App. II* evulganda (nn. 16-22), compendio denique inserto miraculi supra n. 67 expositi, hinc cum praesente compilatione pergit usque ad num. 72 inclusive.

planctus congeminans, ad beatum Ludovicum, cui devotissimus erat et cui pro vita filii iam votum fecerat, se convertens cum pia quadam querela in haec verba prorupit: « Ah, domine sancte Ludovice, quid faciam de filio meo sub spe vestra mortuo? Male exaudistis primam petitionem quam vobis porrexeram ista vice ». His aliisque similibus cum fletu clamoroso a patre vehementer afflicto prolatis, subito puer mortuus apparuit vitae pristinae restitutus, vocatisque amicis gaudium magnum factum est in domo, *quia filius, qui fuerat mortuus* [1], erat beati Ludovici meritis suscitatus [2].

71. Cum domina Sancia de Tribulana passa fuisset abortum, foetumque femineum mortuum peperisset, condolens damnationi animae foetus sui, utpote qui morte praeventus baptismi recipere nequiverat sacramentum, tamquam fidelis mulier et devota beato Ludovico, cum emissione certi voti, humiliter supplicavit ut obtineret spiritum reddi foetui defuncto, saltem quousque recepisset sacri lavacri sacramentum. Non defuit sancti subsidium piis votis matris, pro salute filiae mortuae supplicantis. Restituta namque anima, non solum baptizata fuit, sed etiam non absque matris admiratione, sine cuiuslibet alimenti sumptione duodecim diebus supervixit. Matre vero sanctum iterum deprecante, ut, si ulterius deberet vivere, reciperet aliquod alimentum, statim mammas sugere coepit et fere per mensem postea supervixit [3].

Alaracia lumbarda, dum semel quamdam filiam parvulam gestaret, tam gravi casu collisa fuit, quod eius filiola tota in nigredinem conversa fuit et protinus expiravit. Cumque diutissime mortua permansisset, convertit se mater pro filia ad beati Ludovici suffragium fidentissime implorandum. Cui sanctus pie compatiens non solum eius filiam suscitavit, sed etiam a surditate, quam ipsamet ex infirmitate praecedente incurrerat, subsequenti die eam protinus liberavit; et etiam eidem lac, quo in duobus partubus caruerat, reddidit; ita quod etiam propriis uberibus unum puerum post lactavit. Fuerat

7. erat] fuerat M 8. vota M prorumpit B 9. Ah - Lud.] O pater et domine Lud. sanctissime B D P 10. petit.] meam *add.* M, *et pergit* quam a vobis postulaveram ista ista vice *om.* c His] verbis *add.* A 11. clamor.] amaroso M mortuus puer D 11-2. pristinae vitae B D M P; est *add.* M 12. domo] illa *add.* M 13. fuerat] erat D b. Lud. meritis erat *transp.* D

71. *Redit* L 1. Cum *om.* B P aña *iterum pro* domina B Sanxia B M P Tribula A N; Trubulana L; Tribellina M; cum *add.* B P aborsum B D P; abortivum L M, *dein* foetum 2. mortuum] mortuumque M; *om.* A N damnationem B D P animae] a se A suae L 3. nequiv. bapt. recip. *transp.* B D P nequiv. recip. bapt. L nequiv. recipere M tamquam] ipsa tamen M 5. usque A N; usquequo M; dum *add.* L sacri] sancti L lavacri] baptismi D M Non] Nec N 6. piis] iis b matris votis B D P, *om.* filiae mortuae *om.* M 7. non etiam *transp.* M matris *om.* L 8. sumptione] suspicione b deprec. iterum D 9. alim.] et *add.* M 10. per] unum *add.* M

11. Alatia A N; Glaratia B; Alazatia D P Alar. Lumb.] Quaedam mulier lombarda Galacia nomine M gravi] grandi M 12. quod] ut L eius - et *om.* L N filia B D P tota *om.* M 13. se *om.* A beatum Ludovicum M 14. fidentiss.] fidelissime M imploranda L; implorando M 15. etiam *om.* M ipsa L M infirm.] praedicta *add.* M praeced. infirmitate B D P 16. eam] curatam A N, *om.* protinus quo] etiam *add.* A N 17. ita quod] itaque A N unum] vivum B D P post] primo B D P; postea M lactaverat B; lactaverit D P Fuerat] Fuit L

[1] Cf. Luc. 15, 24; Ioh. 11, 44. [2] « P(etrus) Durandi f. Poncii Durandi civis Massiliensis »; *Proc.* p. 130-2. *Mir.* n. 42, p. 284, et infra in *Appendice*, n. 8. In *Proc.* nomen pueri littera initiali *P* tantum expressum est; sed in *Mir.* et in *Appendice* omnibus litteris inscribitur: *Petrus.* — Cf. *Bull. Franc.* V, 113a-b (n. 2). Idem videtur miraculum, quamvis puer ibi dicatur non *septem* sed *quinque* annorum. [3] Deest in *Proc.* Adest in *Vita auctore anonymo synchrono qui Sancto familiaris fuit* apud *Acta SS.*, Aug. III, p. 817, n. 47.

quippe haec mulier sancti miraculis prius incredula, sed post ad eumdem sanctum devote conversa, eius virtutem in seipsa multipliciter est experta [1].

72. Praeter vero hos quatuor super scriptos invenitur hic sanctus octo mortuos mirabiliter suscitasse aliaque multimoda et innumera miracula perfecisse: quae brevitatis causa hic omittimus explicare. Hoc autem praetermittendum non est de huius sancti virtutibus, quod accedentes ad sacrum ipsius sepulcrum, non sine stupore multorum qui sibi hoc asserunt accidisse, quadam insolita et mira immutatione hactenus inexperta saepe inveniuntur divinitus immutati, quasi ipsa ossa felicia sanctitate redolentia vim potestativam a Deo acceperint devotorum sibi animos modo quodam mirabili in melius alterandi [2].

73. *De eius canonizatione et translatione.* Miraculorum igitur gloria, sanctitatisque eius excellentia, fama prodente veridica, per diversa mundi climata promulgata, ex variis orbis partibus coepit currere fidelium populus, spiritualium viri sancti *unguentorum* suavi *odore* attractus [3] ad visitandum eius gloriosum sacrumque sepulcrum, ubi devotarum precum offerens Deo sacrificium, sancti eiusdem meritis optatum reportavit effectum. Acclamantibus igitur tam factorum quam populorum linguis, solemnibusque ex parte ecclesiarum Provinciae nuntiis missis, ad aures summi Pontificis, domini scilicet Bonifacii VIII, quae per servum suum Ludovicum Deus operabatur magnalia sunt perlata, supplicatioque instanter exhibita, ut quem Christus sanctorum felici collegio sociaverat in caelis, hunc etiam Christi Vicarius sanctorum adscribi catalogo iuberet in terris [4].

Licet autem supradictus Pontifex de viri sanctitate, quam *oculis viderat et manibus contrectarat* [5] ac de miraculorum veritate, quam tam publica fama quam rei evidentia tam lucide declarabat, minime dubitaret; distulit tamen vir maturus facere quod obnixe et importune [6] petebatur, forsan ne diceretur quod in hac parte immature foret processum, magisque delatum nobilitati generis quam virtutum, et prosapiae regiae dignitatis

---

18. mulier] huius *add.* M; *om.* A D incred. prius A N ad *om.* M 19-20. conversa - virtutem] mutata sic eius sanctitate conversa virtutem eiusdem sancti M virtute A; virtutes B L P in ipsa b

72. 1. hos vero A N quatuor] tres M supradictos B D M P; suprascriptos L; subscriptos b 2. mirabiliter *om.* A et *om.* A N perfec.] perpetrasse B D P, *transp.* hic brev. causa; hic causa brev. L 4. ad *om.* M ipsius sacrum [sancti L] B D L P 5. quodam L 6. saepius b divinitus *om.* M vim] utpote N 7. potest.] penetrativam B D P; sanativam N acceperunt L; susceperint M N c 8. alterandi] *hic cessat* M

73. 1. De - transl. *om.* A L 2. excellentia] excelsa A; excellentis B D P excell. f.] excellentissima fama ea N fama - per] famaque verid. per L verid. prodente A 3. sancti] beati B D P unguenti L 4. sanctumque A N 4-5. devotorum B L b 5. eiusdem *et* optatum *om.* A L 6. fact.] fratrum b c 7. Provinciae *om.* L 8. Deus] Dominus B D L P prolata N 9. supplicationes quoque inst. exhibitae B D P felici *om.* B D L P sociavit B D P 10. in terris *om.* B D L P

11. suprad.] apostolicus *add.* B D P de viri] de vita s. Ludovici ac B P; de vita et L; beati *add.* N sanctit.] beati *add.* L 12. contrectaverat B D P 13. lucide] publice N vir] vix A obnixe] intermisse *add.* B D P, *dein* ac *pro* et 14. foret imm. *transp.* L 14-5. processum] promissum D 15. nobilitate A virtutis B D L P dignitati c

---

[1] Deest item in *Proc.*, sed cf. *Acta SS.* cit., p. 817, n. 47. — Quae sequuntur conferenda quoque sunt cum *Vita auctore anonymo* ap. *Acta SS.*, l. c., nn. 68-71, pp. 821 sq. [2] *Tr.* p. 260, ll. 24-30, paucis mutatis. — Hinc M pergit: « Quae secuntur sunt de Bulla canonizationis ipsius sancti. Haec igitur sunt mirabilia » etc. usque ad finem Bullae (*Bull. Franc.* V, 114). Sequitur Rubrica: « Explicit Legenda S. Ludovici episc. Tolosani de Ordine fratrum Minorum » Et explicit codex, f. 72v. [3] Cf. Cant. 1, 3. [4] *Tr.* p. 260, ll. 31-8 et p. 261, ll. 1-4, paucis omissis vel additis. Et sic usque in finem. [5] Cf. 1 Ioh. 1, 1. [6] *Tr.* p. 261, l. 7, cursui fidelior: *importunius*.

quam eminentiae sanctitatis. Cum igitur antequam ad hoc negotium manum felix apposuisset Antistes de praesenti vita migrasset[1] et felicis recordationis Benedictus papa XI, qui eidem in pontificatu successit, propter brevitatem vitae hoc facere nequivisset, dominus Clemens papa V, eius successor[2], per solemnes nuntios ecclesiarum Provinciae cum devotione et instantia maxima requisitus, habita matura deliberatione et diligenti consideratione cum fratribus suis, decrevit committere duobus venerabilibus episcopis, scilicet Sanctonensi et Lectorensi, viris quidem famosis et prudentibus, ac multum sufficientibus in scientia pariter et in vita, ut de sancti Ludovici vita et miraculis inquirerent diligenter[3].

74. Qui mandatis apostolicis humiliter obedire curantes, ad civitatem Marsiliae personaliter accesserunt, et exsequentes inquisitionem huiusmodi mature, fideliter ac diligenter, tandem longo tractu temporis perfecerunt. Quam cum sigillis suis munitam domino summo Pontifici praesentassent, ab eodem fuit quibusdam de Cardinalibus tradita, ut, examinatione diligenti praemissa, per eos sibi et universo Cardinalium collegio quid eis videretur super ipso negotio fideliter referretur. Verum, pendente relatione[4], ipse dominus Papa fuit de hac luce a Domino evocatus[5].

Cui cum dominus papa Iohannes XXII divina successisset providentia[6], qui eiusdem sancti Ludovici certitudinaliter expertus fuerat sanctitatem, utpote qui fuerat ipsius socius et magister, ac etiam quando sanctus obiit praesens erat[7], sollicitus et devotus fuit ad Dei et sancti honorem perficere quod a praedecessore suo fuerat inchoatum. Ne autem praepropere procedere videretur, ipsam inquisitionem iterum examinari fecit per plurimos Cardinales. Qua diligenter discussa et examinata et ab omnibus Cardinalibus approbata, de fratrum suorum et omnium praelatorum, qui tunc erant in curia, concordi consilio et assensu beatum Ludovicum canonizandum decrevit[8].

---

16. Cum] Cumque L antequam *om.* A 17. de - migr.] a praes. migravit vita L XI *om.* A L 18. facere] perficere B D L P 19. papa Clemens B D P V] sextus L successor eius L, *om.* solemnes 20-1. consid. diligenti B D P 21. decrevit] causam *add.* c, *dein* mittere 22. Sanct.] Zanctonensi D Lect.] Latranensi B P; Lateranensis D; Lactorensi b c et (prud.)] ac b 23. suffic.] excellentibus B in vita par. et in [*om.* B] scientia B D P in (vita) *om.* L vita et] ita et B

74. 2. exsequente B huius A ac] et B D L P 2-3. diligite B 3. tandem] eamdem c tractu] tractatu B D L (*ante corr.*) P b 4. de *om.* B D L P 5. praem. dilig. *transp.* D quid] quod A N 6. referrent B D L P

8. successit D 9. sanctitatem [vitam L] certit. exp. fuerat *transp.* B D L N P qui fuit L 10. sanctus] praefatus *add.* L 10-1. sollicitus - fuit *om.* B D P 11. perfic.] voluit *add.* B D P Ne] Ut N 12. propere B D P 13. et (ab)] ac B D P 14. approbata] et *add.* L

---

[1] Bonifacius VIII obiit d. 11 octobris 1303. Benedictus XI d. 22 oct. eiusdem anni electus est, atque obiit d. 7 iulii 1304. [2] Clemens V, anno 1305, 5 iunii eligitur et 14 nov. consecratur; obiit d. 20 apr. 1314. [3] *Tr.* p. 261, ll. 4-18. — Bullam Pontificis et alia acta praeparatoria pro Processu inquisitionis habes supra, p. 1 sqq. [4] *Tr.* p. 261, l. 24 add.: *praedicta.* [5] *Tr.* p. 261, ll. 17-25. [6] Successit d. 7 aug. 1316. — *Tr.* p. 261, l. 26: *providentia successisset.* [7] Cf. in *Proc.* eius testimonium: « Iacobus episcopus Foroiuliensis »; pp. 75-7. Inde eruitur ipsum socium et familiarem (non magistrum, nisi intelligatur « domus magistrum ») fuisse S. Ludovici illo tempore tantum « ex quo prefatus d. Ludovicus [iam episcopus] Tholosam applicuit » (p. 75), in eius itineribus comitem et morti revera praesentem. Cf. supra, n. 18. [8] *Tr.* p. 261, ll. 25-33.

75. Anno igitur Incarnationis Dominicae MCCCXVII, VII idus aprilis, pontificatus sui anno primo, ipsum sanctum Ludovicum Sanctorum catalogo adscripsit cum maximis quae longum esset enarrare solemniis, in civitate Avinionis, ubi tunc romana Curia residebat [1].

Anno vero Domini MCCCXIX, VI idus novembris, praesentibus pluribus Cardinalibus, per summum Pontificem ad hoc missis, et pluribus praelatis aliis, praesentibus etiam domino Roberto Ierusalem et Siciliae rege, ipsius sancti uterino fratre, cum consorte sua, et regina Franciae ipsius sancti nepte, pluribusque principibus et baronibus aliisque personis solemnibus et immensa populi multitudine, qui omnes ad translationis ipsius festum honorandum eiusque *vultum* cum muneribus *deprecandum* [2] convenerant, sacrum corpus ipsius translatum est, et in pretioso sepulcro, ad eius gloriam praeparato, debito cum honore reconditum est in ecclesia fratrum Minorum Marsiliae, in qua etiam iam pridem fuerat tumulatum [3].

In quo loco usque in praesens ipsum sanctum pie invocantibus beneficia divina meritis eius exuberant, praestante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Vitae beati Ludovici episcopi finis.

---

75. 1. Domini B D P MCCCXVI B D N P b 1-3. Anno - residebat *om.* D 2. sanctum] gloriosum et sanctissimum confessorem et antistitem B P adscripsit] fecit adscribi L c 3. quae] quod A N esset] foret B P romana tunc P romana Curia tunc B

5. vero] igitur D idus *om.* A 6. ad hoc per s. Pont. *transp.* L, *om.* et - etiam praelatis - etiam] aliis ecclesiarum praelatis B D P 6-7. domino] etiam *add.* B D L P 7. Ierus. et *om.* B D P, *et post* rege [regi B D] *add.* illustri ipsius - fratre] uter. ips. fratre 8-9. et baron. - multitudine *om.* L, *dein habet* translationem 10. festum - vultum] sancti festum hon. eiusque tumulum N 10-1. festum - ipsius] sancti convenerunt sicque sacrum ipsius corpus L 11. ipsius] illius B D P gloriam] et honorem *add.* B P praeparatum B 11-2. et in - reconditum est *om.* D ad eius - recond. est *om.* L 12. in qua] reconditum in qua invocantibus L 13. tumul.] immolatum B P

14. In *om.* D 15. ipsius meritis B D P praest.] praerante P qui] regnat *add.* B P 16. vivit - saeculorum] coaeternus per immortalia saeculorum saecula B D P

17. Vitae - finis] Explicit legenda s. Ludovici episcopi Tolosani de Ordine Minorum L, *et desinit codex;* Explicit vita b. Ludovici ep. N; *om.* B D P

---

[1] 7 aprilis 1317. — *Tr.* p. 261, ll. 34-7. [2] Cf. Ps. 44, 13. [3] 8 novembris 1319. — *Tr.* p. 261, ll. 37-41 et p. 262, ll. 1-5. Ex novo add. ll. 6-14; et desinit, ll. 15-7, repetens finem qui sequitur praesentis Legendae.

MIRACULORUM S. LUDOVICI

APPENDIX I [1].

Sequuntur aliqua miracula quae Dominus sua solita clementia per servum suum Ludovicum operari dignatus est, sufficienter examinata et testibus fide dignis cum iureiurando comprobata. Quorum priora sunt facta quatuor in vita sua, reliqua post mortem.

1. Accidit in vita beati Ludovici, dum esset quadam die Aquis, quod quidam histrio venit ad ipsum et salutavit eum per hunc modum: « Domine, Deus det tibi bonam vitam! Ego tibi defero bona nova ». Ait ad eum Ludovicus: « Quae sunt ista nova? » Dictus histrio, qui vocabatur Petrus de Roma, respondit: « Quidam miles petit tuam misericordiam. Pauper est et nudus, nec aliquid habet ad comedendum; et habet etiam turpissimum morbum scabiei: qui quidem morbus videtur esse lepra. Petit igitur tuam misericordiam ac eleemosynam. Haec nova ». Dixit beatus Ludovicus: « Sunt quidem nova ». Et ivit statim ad cameram suam, et vestem suam exuens, dedit histrioni. Histrio vero illam detulit praedicto militi. Cum vero miles se illa veste vestisset, immediate sensit se meritis sancti viri curatum [2].

2. Anno Domini MCCCXI [3], die veneris post Ascensionem, dum praedicaret vir sanctus ad Montem Pessulanum, quaedam mulier, nomine Rosa [4], tenebat puerum inter brachia sua, aetatis unius anni. Qui puer ad mortem usque infirmabatur; et habebat collum graviter inflatum et plenum scrophulis turpissimis. Cumque sanctus vir stans in ser-

1. 2. ipsum] eum D   3. tibi *om.* B   9. vestisset veste D
2. 1. MCCCXI] *sic codd.*   Ascensionem] Domini *add.* D

[1] Quae in hac *App. I* praebentur, nn. 1-33, tantum exstant in codd. B D P. Ex B vulgata sunt in *An. Boll.* cit. IX, 341-53, unde nn. 1-6 in *Anal. O. M. Cap.* XIV, 181-3, transierunt. [2] *Acta SS.* l. c. p. 812b, n. 25. Ibi nomen histrionis: *Petrus a Romas.* [3] Codices manifeste errant. Editor huius *Appendicis* ap. *An. Boll.* cit. dicit annum probabilissime corrigendum in « MCCXCVII », et remittit ad *Vitam,* n. 48 (supra, p. 363). Ibi auctor sanctum Antistitem facit, appropinquante sua consummatione, de Catalonia progredientem per Montem Pessulanum in provinciam Provinciae, unde postea pervenit Tarasconem, festivitatem S. Marthae (29 iulii) celebraturus. Obstat tamen *Proc.* p. 83, ubi recolitur Sanctum « Sabbato post Pentecosten » (8 iunii) Tolosae ordines celebrasse et « ad paucos dies post » arripuisse « iter eundi in Cataloniam ». Ascensio Domini eo anno inciderat in diem 23 maii. Haec igitur praedicatio et miraculum S. Ludovici praeponenda sunt eius itineri in Cataloniam, die 24 maii 1297. — Idem miraculum ap. *Acta SS.* l. c. p. 810b, n. 16; et ap. *Conformitates* Fr. Bartholomaei Pisani, sed aliquantulum mutatum (*An. Franc.* IV, 315, ll. 32-4, et 540, ll. 8-10). [4] « Rosa uxor Petri a Villars »; *Acta SS.* l. c. p. 819b, n. 16.

mone manum suam elevasset quasi ad signandum, dicta mulier cogitavit quod, si dictus sanctus tangeret puerum suum, statim puer curaretur. Igitur sermone finito, cum vir sanctus equum ascenderet et pararet se ad recedendum, venit Rosa praedicta ad eum, et accepit equum per frenum, et a beato Ludovico petiit ut amore Dei puerum suum manu sua tangeret. Statim autem ut beatus Ludovicus puerum manu sua tetigisset et signasset, fuit puer ab aegritudine qua tenebatur citissime liberatus.

Asseruit etiam dicta mulier Rosa de seipsa, quod in medio fere quadragesimae usque ad mortem aliquando infirmabatur, adeo quod omnes et noti et vicini de eius vita desperabant. Habebat enim collum turpiter inflatum, vermes emittens. Cumque ad extremam unctionem pervenisset, vovit se sancto Ludovico sicut potuit. Voto emisso, statim meritis sancti convalescere coepit.

3. Frater quidam de Ordine Minorum, Petrus nomine, de Tarascone, passus fuit febrem continuam gravissime XIII diebus, in tantum quod medicus desperans de eo ipsum dimiserat. Dixerat quippe Fratribus quod praedictus patiens non viveret usque ad Completorium. Dictus vero infirmus, videns se in tanto periculo positum, tantam concepit in sanctitate domini Ludovici confidentiam, qui, tunc in humanis exsistens, praesens in ipso conventu erat; et petiit sibi dari aliquid de reliquiis cibariorum quae sanctus reliquerat. Cum igitur infirmarius a sociis sancti Ludovici procurasset paropsidem in qua comederat sanctus et dimiserat aliquid de cibo et pane, mirabile dictu! statim ut aeger de cibo gustasset, sanus effectus est; atque de lecto in quo iacuerat exsiliens, ivit eadem die ultra leucam. Mane autem diei sequentis rediens medicus ad locum, Fratrem, quem moriturum dixerat, abiisse cernebat[1].

4. Cum veniret rex Carolus, pater sancti Ludovici, cum eodem de Francia, dum intraret villam Albrudes[2], obviavit dicto regis filio Ludovico quidam pauper nudus: qui humiliter petiit ab eo eleemosynam. Recolens statim sanctus verbi quod dixerat Salvator: *Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*[3]; cappam, quam portabat, pulchram et speciosam ei statim dedit. Erat enim tunc praedictus vir sanctus episcopus Tolosanus. Quem intuens pater ipsius quia sine cappa esset, quaesivit quid de ea actum erat. Et dictum est ei a scutiferis, quod filius suus eam in eleemosynam pauperi dederat. Qui statim fecit pauperem quaeri per scutiferos suos et plures alios, ut recepto pretio dictae cappae eam redderet, ne de furto praedictus pauper suspectus haberetur. Quaesitus igitur per diversas vias, per villas et castra, per montuosas semitas et valles, nusquam potuit dictus pauper inveniri. Nec dubium est quin pauper ille fuerit ipsemet Dominus Iesus Christus, qui pro eo pependerat in cruce et ut pauper nudus et despectus voluit apparere[4].

5. Cum beatus Ludovicus in Catalonia in carcere detineretur, dixerunt sibi custodes carceris: « Domine, vos estis de carnibus et ossibus, sicut ceteri homines. Si velletis, nos adduceremus vobis pulchras mulieres, pro solatio carnis assequendo ». Quibus

5. si] sic P 13. emittentem *codd.*
3. 1. Sarascone *codd.* 4. infirmus vero D 5. sanctitatem b 6. conventu ipso D 7. parapsidem *codd.* 8. comedit D
4. 1. Cum] Dum D dum] cum D 3-4. dix. Salv.] Dominus dixerat D 6. esset] et *add.* b

[1] *Mir.* n. 20; *Acta SS.* l. c. p. 794b, n. 94, et p. 812b, n. 25; cf. *An. Franc.* IV, 315, ll. 34-6.
[2] Videtur esse Abloux, St. Benoît-du-Sault, dép. Indre.
[3] Matth. 25, 40.
[4] *Proc.* cap. 42, p. 17, 40, 48, 104; *Vita,* n. 34, p. 354, ll. 24-6; *Acta SS.* l. c. p. 815a, n. 36.

vir sanctus respondit: « Sufficiat vobis quod habeatis corpus incarceratum. Numquam placeat Altissimo quod mea integritas in aliquo corrumpatur. Numquid vultis *animam et corpus perdere in gehennam?* »[1] Et fecit illum, qui sibi hoc proposuit, de societate custodum eici[2].

6. Accidit etiam in eodem carcere, cum semel beatus Ludovicus acciperet disciplinam cum catena ferrea, sicut saepe consueverat, quidam canis niger magnus et horribilis aspectu ante Dei virum stetit. Quo viso, non parvum ei horrorem incussit. Vir autem, mente in Deum fixa, orabat Dominum dicens: « *Custodi me,* Domine, *ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege me* »[3]. Signo itaque crucis facto, diabolicum hoc monstrum evanuit. Cumque vir Deo carus in oratione et disciplina perseveraret, iterum atque iterum canis ille apparuit. Sed, signo vivificae crucis repulsus, evanuit, ita quod Dei famulum ab oratione et disciplina impedire non potuit. Haec omnia vidit frater suus, dominus Raymundus Berengarii, sicut post mortem eius comitibus et baronibus ac pluribus aliis fidedignis enarravit: addens quod ex oculis dicti canis teterrimi exibant flammae ignis et hiatus eius ut *fornax succensa*[4]. Perpendens autem vir Deo devotus quod haec frater eius vidisset, cum iuramento exegit ab eo quod numquam, dum sanctus viveret, alicui mortalium panderet quod vidisset[5].

Sequuntur alia miracula post eius transitum ostensa.
Et primo de mortuis suscitatis.

7. Mulier quaedam Aquensis civitatis habebat filium octo annorum. Quem cum nocte quadam iuxta se diligenter collocasset, post primum somnum evigilans, invenit dictum filium a loco suo sublatum et ad lecti pedes iacentem et penitus extinctum, capite pendente deorsum, rigidum et frigidum, sicut ille qui vere mortuus cernitur. Quod videns dicta mater, clamores et lacrimas ingeminans, una cum marito ad beatum Ludovicum puerum cum devotione voverunt. Facta vero promissione, confestim dictus puer coepit se movere cum clamore et stupore, quasi de iis quae contigerant nihil sciens. Qui puer eadem die retulit parentibus suis quod, dum erat in tali periculo sibi ignoto, apparuit quidam frater Minor, qui se beatum esse Ludovicum commemorabat, asperis indutus vestimentis; qui dixerat sibi, si vellet talia ferre indumenta, ad vitae sanctitatem conscenderet, qualem ipse sanctus habuerat[6].

8. Vir quidam dictus Poncius, civis Aquensis, habebat filium nomine Petrum. Qui per plures dies febrem continuam passus, cum plures experiretur medicos, nihil tamen in eum profecerunt; immo, crescente cotidie infirmitate, ad mortem usque est perductus. Pater vero videns filium suum mortuum, praesente adhuc medico, *levavit* oculos ac *manus suas ad caelum*[7]; et flens atque suspirans ait: « Sancte Ludovice, redde mihi

5. 5. numquid] numquam b
6. 4. Custode b, *om.* Domine 7. ille] iste D P 11. succ.] accensa D
7. 1. Sequuntur] quaedam *add.* D 7. mater] mulier b 11. se] ipsum *add.* D
8. 3. profec.] proferunt P

[1] Matth. 10, 28. [2] *Acta SS.* l. c. p. 814 a, n. 30. [3] Ps. 16, 8. [4] Dan. 3, 22.
[5] *Proc.* cap. 21, p. 13, 36, 109 sq.; *Vita,* n. 13. [6] Pater: Hugo Lamberti; uxor: Belioda; puer: Raymundus (« septem annorum vel circa »); *Proc.* 138-40; *Bull. Franc.* V, 113b, n. 5 (« annorum septem »); *Acta SS.* l. c. 817, n. 48 (« octo ann. »). [7] Apoc. 10, 5.

filium meum! Nam, si feceris, sudarium suum tibi portabit ». Vix medicus domum exierat, ecce puer qui mortuus fuerat revixit meritis sancti Ludovici. Et in crastinum sudarium ad sancti sepulcrum puer deportavit[1].

9. Quaedam mulier nutriebat puerum. Quae cum iuramento affirmavit quod puer stetisset mortuus a media nocte usque ad auroram, et habebat omnia signa mortis, utpote quia tres tractus seu conatus fecerat spiritum emittendo, et post remansit sine voce, sine pulsu, et totaliter sine motu. Quae videntes astantes, cooperuerunt faciem eius panno lineo, sicut consuetum est corpora mortuorum cooperiri. Dicta autem nutrix eius, recolens miracula sancti Ludovici, dictum puerum vovit devotissime ipsi sancto, et quod sepulcrum suum, cum sudario pleno frumenti et candelam ceream offerendo, visitaret. Voto igitur emisso, dum apparuit aurora, dictus mortuus praeoptatae vitae apparuit restitutus[2].

10. Iuvenis quidam, dum palafredum equitasset, palafredus quamdam puellam in carreria exsistentem conculcavit et collum sibi fregit, in tantum quod iunctura colli distabat ab alia iunctura per duos digitos: et sic, pluribus videntibus, puella permansit mortua. Videns autem mater eius quia mortua esset filia sua, promisit beato Ludovico quod, si filiam resuscitaret, sepulcrum suum nudis pedibus visitaret. Emisso voto, filia flevit et coepit loqui, nec ullum in ea apparuit signum laesionis[3].

11. Mulier quaedam nomine Alazacia, impraegnata exsistens, cecidit de quodam asino et in tantum quassabatur quod vix potuit se levare. Et post modicum tempus fuit foetens anhelitus eius, cum tamen ante sanum anhelitum habuisset. Cumque tempus advenisset pariendi, peperit mulier mortuum unum; et post paululum, alium emisit foetum, quem credebant mulieres quia viveret. Sed cum per portam exisset, non mugitum reddidit, nec aliquod signum vitae in illo apparuit. Dixerunt itaque mulieres ibi praesentes cum aspiratione: « Ha! ha! ecce peperit duos foetus mortuos ». Erat quippe foetus lividus et niger, et habebat brachia confracta. Proiecerunt tandem dictum foetum sine vita in quodam stabulo. Quod videns mater dictae Alazaciae, Beatrix nomine[4], convertit se ad suffragium beati Ludovici implorandum; et flectens genua sua dixit: « Domine sancte Ludovice, ego rogo te, quatenus, sicut ego te vidi vivum et verbum salutis a te audivi et me a dolore capitis sanasti, ita rogo te ut reddas animam isti defunctae ». Et promisit quod sepulcrum dicti sancti visitaret, cerae imaginem offerendo. Voto igitur emisso, accessit ad revisendum quaedam mulier corpus proiectum in stabulo, et vidit quod aliquantulum palpitabat. Levatam ergo de fimo et pannis involutam

8. puer *om.* D
9. 4. sine motu totaliter D 7. frumento D
10. 1. palefridum, palefridus b 1-2. carreria] *sic correximus;* camera B; carrena D P 3. mansit D
11. 1. Alazachia B 5. per *om.* D 6. vitae *om.* D illo] nullo B; eo D; ullo b 7. mortuos foetus D Erat] Et B 8. confracta] compacta b 12. istae B 13. sancti *om.* D

[1] *Proc.* p. 130; *Mir.* n. 42; *Vita*, n. 70. [2] *Acta SS.* l. c. p. 817b, n. 49. Ibi nutrix vocatur Margereta Viella Massiliensis. In *Proc.* (140 sq.) « Marguarita Niella (*sic*), uxor Guillelmi de S. Egidio, civis Massiliensis » est mater et vita redditur eius filiae. [3] Cf. *An. Franc.* IV, 306, ll. 29 sq. et Wadd. *Annales,* 1298, n. 16; sed apud eos p u e r opprimitur, et mater est quae invocat, iuxta Pisanum, eques vero ipse, iuxta Waddingum. Deest miraculum ap. *Acta SS.* l. c. [4] « Beatrix Portamira ab Aquis »; *Acta SS.* l. c. 817, n. 49. Deest hoc nomen in *Proc.*

deferunt cum ingenti laetitia ad baptizandum. Quae post baptismi lavacrum acceptum IV mensibus[1] vel circiter supervixit[2].

12. Modo consimili quaedam alia mulier de Marsilia filium peperit mortuum, non sine grandi maerore et tristitia omnium qui affuerunt. Mater vero dictae mulieris, filiae suae intime compatiens, lacrimas fudit uberrime. Sumpta autem fiducia in beato Ludovico, supplex ei facta, eius auxilium imploravit. Cumque in spe et cum instantia filium mortuum baptizari procurasset, illico oculos aperuit ac vocem, quam in partu debuerat promere, emittebat[3].

13. Raymundus quidam habuit filiam virginem, quae per quindenam vel amplius continuam febrem passa fuit. Quae quidem febris in tantum illam afflixit, quod ad mortem usque deducta est, iudicio amitae suae et omnium aliorum eam videntium. Non enim respirabat, nec loquebatur, nec audiebat, nec intellegebat, nec pulsum neque aliquod vitale signum in ea apparebat. Videns autem Katharina[4], amita dictae puellae, neptem suam in tali articulo constitutam, erexit eam; et tenens eam inter brachia sua, devotissime eam beato commendavit Ludovico. Voto igitur emisso, puella, quam amita credebat mortuam, respiravit et revixit, sanata meritis sancti Ludovici[5].

14. Adam de Parisius, habitans Avinione, habuit filiam graviter infirmam per unum fere mensem. Cumque multis maneret diebus quod cibum non sumeret, finaliter devenit ad mortem, in tantum quod loquelam amisit et visum; nec motum habebat nec sensum et breviter omnia mortis signa apparebant in ea. Videns autem quod orbatus esset pater filia sua, vovit eam beato Ludovico dicens: « Sancte Ludovice, redde mihi filiam meam sanam et vivam, sicut ego ipsam tuis precibus impetravi ut nasceretur mihi. Sic rogo quanto humilius possum et devotius, quatenus eam vitae restituas et saluti. Quod si feceris, ego sepulcrum tuum personaliter visitabo, imaginem ceream tibi deferendo ». Vix votum emiserat, et ecce prius defuncta oculos aperuit et revixit, incolumis remanens et sanata[6].

15. Iohannes Imberti de Tarascona, Avinionensis dioecesis, habebat filium nomine Poretum. Qui filius, gravissima febre vexatus, ad mortem usque infirmabatur et multos vermes evomebat. Tandem post longam aegritudinem morti approximans, absente patre, diem clausit extremum. Cumque nullum vivi hominis superesset signum, ii qui astiterunt faciem eius cooperuerunt, sicut moris est mortuorum faciem cooperire. Parva morula substitit: et ecce advenit pater flens et eiulans, quia mortuus esset filius suus. Cumque pater tristis et maestus beato episcopo Ludovico filium vovisset atque commendasset, discooperiens pater faciem pueri, aperuit puer oculos ac se movit, et ad vitam est restitutus[7].

---

17. vel] et B P, *sed* P *postea expunxit*
12. 4. cum] in B; *om.* b 5. debuerat] detinuerat b
13. 6. eam *om.* D 7. Lud. commendavit 7-8. credebant B 8. sancti] beati D
14. 1. Adam] Quidam D
15. 1. Carascona D 6. esset] est b

---

[1] In *Proc.* « septem mensibus »; 134, l. 28. [2] « Alaracia de Aquis »; *Proc.* 134-6; *Bull. Fr.* V, 113b (n. 4); *Acta SS.* l. c. 817 sq., n. 49. [3] Mater: Massilia ux. Petri de Bonilis; puer: Iohannes; *Proc.* 128 sq.; *Acta SS.* l. c. p. 817, n. 48 (« Massilieta »). [4] « Besteria » addunt *Acta SS.* l. c. [5] « Gantelmeta f. Raymundi Vitalis »; *Proc.* 132-4; *Acta SS.* l. c., 818a, n. 49; cf. *Bull. Franc.* V, 113b (n. 3). [6] « Guillelmeta f. Adami de Parisius »; *Proc.* 136-8; *Bull. Franc.* V, 113a (n 1); *Acta SS.* l. c. p. 818, n. 50. [7] *Acta SS.* cit. 818, n. 50.

16. Mulier quaedam portavit in brachiis suis filiam suam adhuc ubera sugentem. Cumque maneret mater cum filia in solario, casu fortuito per solarium ambae ceciderunt, primo filia et postea mater super ipsam. Quo lapsu amisit infantula omnem membrorum motum. Et credentes eam qui in domo erant morituram, voto voverunt eam beato Ludovico. Quo emisso, puella eadem die ubera petiit et recepit; sicque a mortis periculo fuit liberata [1].

17. Alia quaedam mulier portaverat foetum animatum tribus diebus et tribus noctibus mortuum in ventre suo, nec ab eo poterat expediri. Cumque viderent qui aderant mulieri periculum mortis imminere, decreverunt finaliter partum putridum a corpore mulieris extrahere. In extractione autem unum os dictae mulieris confregerunt et alia ossa turpiter concusserunt, in tantum quod dicta mulier mansit per duos annos quod non poterat sedendo comedere; immo quando comedebat, iacendo comedebat velut canis. Nec poterat se cooperire quando erat in lecto, nisi cum dentibus solum sibi coopertoria ac vestimenta attrahebat. Videns autem vir eius quod uxor sua in magno dolore vivebat, dixit ei quod melius esset ei mori quam sic vivere; et persuasit ut per chirurgicum cum coctura vel scissura os illud extraheretur. Cumque die statuto chirurgicus adesset, illa timens incisionem, cogitare coepit quod Deus tanta fecisset miracula per sanctum Ludovicum. Et capta fiducia vovit dicto sancto, antequam chirurgicus advenisset, quod omni die sabbati sepulcrum eius visitaret et ecclesiam suam, si Fratres permitterent, scoparet. Voto emisso, beati viri solita pietatis curatione reperit se sanatam [2].

18. Puella quaedam octo annorum per sex annos ita contracta exstiterat, quod ire non poterat sine ferulis. Vovit beato Ludovico quod, si eam ab hac infirmitate liberaret, duas ferulas cereas ad eius tumulum deferret. Et incontinenti voto emisso dimisit unam. Post modicum vero tempus cum una ferula ad sancti sepulcrum veniens, facta modica oratione super tumulum, dimissa ferula, sana ad domum cum matre rediit [3].

19. Miles quidam gravem patiebatur in tibiis infirmitatem XXV annis, utpote pustularum et ulcerum: quae tantam saniei quantitatem emittebat quod vix poterat sustinere, nec ullo potuit chirurgicorum remedio curari. Promisit tandem beato Ludovico quod, si ab hac eum infirmitate curaret, sepulcrum eius nudis pedibus adiret, cum tibiis cereis quas offerret. Voto stabilito, infra triduum beneficium sanitatis integre assecutus est [4].

20. Quidam Iohannes nomine per unius anni spatium tanta passus est de lapide, quem in vescica portabat, quod nonnisi cum clamore et dolore maximo urinam emittebat. Cum mater dicti iuvenis multa vota fecisset et multa a medicis consilia requisisset, ad nihilum laboravit: immo deterius omni die se habebat. Vovit tandem mater dolorosa filium suum beato Ludovico quod, si puer lapidem emitteret absque incisione,

---

16. 3. super ipsam *om.* B omnem] omnium D 4. noverant B P
17. 2. sua D 3. imminere mortis D 4. dictae *om.* B 7. sibi] si B 8. magna B 9. et *om.* D
18. quod] ita quod *codd.* 2. hac *om.* D 3. emisso voto D
19. 3. poterat D curare b 5. integre *om.* D

---

[1] Mater: Reynalda ux. Raymundi Ennezat, civis Massiliae; filia: Hugueta; *Proc.* 239-41; *Acta SS.* l. c. 818, n. 50 (sed: mater: Raimunda Massiliensis; pater: Petrus Raimundi). [2] *Proc.* p. 165-9; *Mir.* n. 108; *Vita*, n. 54; *Bull. Franc.* V, 113b (n. 10); *Acta SS.* l. cit. 318, n. 51 (nullo expresso nomine). [3] Mater: Anselma Massiliensis; *Acta SS.* l. cit. 818b, n. 52. [4] « Gaufridus a Maseto, miles »; *Acta SS.* l. cit. 820b, n. 64.

sancti tumulum cum imagine cerae pretii sex denariorum visitaret. Eadem nocte iuvenis lapidem emisit plenum sanguine, ut multi viderunt. Quantitas autem lapidis erat ad quantitatem ovi perdicis [1].

21. Puerulus quidam nomine Brandetus, filius Petri Maleti commorantis Marsiliae iuxta fratres Minores, per tres menses et amplius patiebatur infirmitatem quamdam in pedibus, quae dicebatur infirmitas sancti Antonii. Foetebat enim horribiliter, in tantum quod nutrix pueri foetorem illum vix ferre valebat. Cumque portasset eum ad sanctum Antonium et ibi x diebus iacuisset, quia monachi sancti Antonii affirmabant quod erat infirmitas sancti Antonii, obtulit pater praefato sancto duos pedes cerae mediae librae et alias oblationes, nullum tamen in puero beneficium sanitatis recognovit. Tunc pater dicti pueri turbatus nimis ac territus, eo maxime quia dicerent multi quod, nisi abscinderentur pedes, totum corroderetur corpus, anxius valde de filio, ad Dei confessorem Ludovicum sua dirigit vota. Cum autem sanctum patrem invocasset et adiurasset quia, si filium suum ab illa infirmitate liberaret, duos pedes cereos ad suum tumulum deportaret, pium eius affectum sanctus ex alto prospectans et votum suscipiens, filium illius illico sanavit [2].

22. Filius cuiusdam per quinque annos lumen amiserat oculorum. Voto igitur a parentibus ad beatum Ludovicum emisso quod, si filio lumen oculorum dignaretur restituere, ipsum ad sepulcrum ipsius cum imagine de cera offerret, coepit puer in crastinum meritis sancti videre et discernere, prout commode ante lucis obfuscationem videre consuevit [3].

23. Petrus de Frejus, medicus, IV annis ita caecus fuit quod sine ductore ire non poterat, nec in rebus aliquid discernebat. Cum vero omnia quae habebat in medicinis et in aliis rebus ut visum recuperaret expendisset, nihil tamen in hoc profecerat. Transiens autem per Aquis, audivit a multis mirabilia quae Dominus per sanctum Ludovicum operari continue dignabatur; et devotione concepta ad sanctum, promisit ei quod, si visum ei redderet, toto tempore vitae suae diebus mercurii ieiunaret et duos oculos cereos, quam cito habere posset, ad tumulum sancti deferret. Voto facto, venit Marsiliam et duobus diebus iuxta sancti sepulcrum stetit. Die vero tertia, cum staret ad solem iuxta Sanctum Victorem, expectans eleemosynam monasterii vel regis cum aliis pauperibus, quia depauperatus erat eo quod peregrinando et medicamina adhibendo sua omnia consumpserat, dixit ei uxor sua: « Quare hic stas ad solem et non potius vadis dormitum super sepulcrum beati Ludovici, ut cureris et visum recipias, sicut iam multi curati sunt? » Cui ipse respondit: « Quasi una de fatuis mulieribus loqueris. Nescis tu quia virtus sancti potest me iuvare ita bene hic, sicut ibi? Nescis quid dicas, nam liquido apparet quod non habes fidem in sanctis ». Et cum ibi modicum stetisset, aperuit oculos suos et dixit: « Ego credo quod Deus faciet mihi gratiam meritis sancti

21. 1. Brandeletus nomine D 2. quamdam *om.* B 3. Foet.] Ferebat D 4. Cum D 5. diebus] dies B 7. oblat.] donationes b 8-9. absciderctur B P 12. prosectans B illius] eius P
22. 3. in crastinum puer D
23. 5. concepta] accepta D 8. Mersiliam B sepulcrum sancti D 9. Sanctum *om.* D cum] dum D 10. depaupertatus b 11. uxor sua ei b 16. meriti P

[1] « Iohannes f. Eymeniardis de Curbanno, Vapincen. dioc. »; *Proc.* 248 sq.; *Acta SS.* l. c. 821a, n. 64 (« Eminarda Vilia a Turbana »). [2] *Mir.* n. 143 (Bertrandetus); dependentia manifesta inter duos textus; *Acta SS.* l. c. 820b, n. 63 (« Brandotus »). [3] Mater: Sanctia; *Acta SS.* l. c. 819, n. 58.

Ludovici ». « Et quomodo? » dixit mulier. Respondit: « Quia video ibi unam columnam, video duas, video etiam quod domus illa est cooperta de tegulis. Et video quod iste indutus est tali panno, et ille alio. Video etiam summitatem villae, in tali signo ». Et de omnibus dicebat meram veritatem. Et statim venit ad sepulcrum sancti, gratias ei referens; et ex tunc videbat clare omnia meritis sancti Ludovici [1].

24. Mulier quaedam de Aquis sensum et intellectum amiserat, ita quod facta fuerat amens totaliter. Nam cantabat nocte ac die, et vana ac stulta loquebatur, et negabat omnes sanctos, et parentes aspernabatur, nec aliquem cognoscebat, nec in rebus aliquid discernebat. Et quando portabatur ei prandium, totum spargebat. Et fuit in ista furia octo diebus continuis, in quibus nec comederat nec biberat. Caecilia vero, quaedam cognata sua, vovit eam sancto Ludovico. Voto facto, statim petiit panem, comedit et bibit; et ex tunc sensum recuperavit et intellectum [2].

24bis. Bartholomeus, filius Raymundi textoris, sensu privatus fuit. Nam faciebat et dicebat talia, quae erant signa vesani: patrem suum mordebat, et lapides in parentes proprios proiciebat. Cumque pater dolens filium beato Ludovico commendasset, illico filius, votum patris intelligens, etiam ipsemet se sancto devovit: et sic mente sanatus Deo gratias retulit [3].

25. Puella quaedam XI annorum totaliter fuerat amens effecta; immo, quod plus est, patris indicio daemoniaca videbatur. Dicebat enim errores et faciebat horrenda, ita quod frequenter ligabatur. Voto autem ad sanctum Ludovicum pro filia a patre emisso, fuit statim ab omnibus illis maledictionibus curata [4].

Simili modo quaedam mulier nomine Bertranda per duos annos et duos menses ab omni fuit sensu mentis et corporis privata. Quae a socru beato Ludovico commendata, absque aliqua mora citissime reperit eam sanatam [5].

26. Alazacia quaedam nomine subito amisit loquelam et per integram hebdomadam stetit muta, ita quod nec unum verbum exprimere valebat. Dicta vero mulier, considerans mirabilia quae Dominus per servum suum Ludovicum cotidie operabatur, quia verbo non potuit, corde tamen et affectu devoto se sancto praedicto devovit. Nec distulit sanctus quod petebatur exhibere. Nam subito post votum factum, vinculum linguae eius solutum fuit; et loquebatur recte, collaudans Deum [6].

27. Quaedam Beatrix nomine passa fuit duobus annis morbum caducum. Qui morbus eam bis vel ter in hebdomada affligebat crudeliter et ipsam quasi ad extrema ducebat. Fecerat autem pluribus sanctis votum; nec ab aliquo fuit exaudita. Ideoque nolebat alicui sancto amplius facere votum. Contigit autem una dierum aliquos fratres Minores

18. coop. de teg. est *transp.* D
24. 3. aliquam D 4. aspergebat B 5. quaedam] quae B
24 bis. 3. iaciebat D
25. 3. a patre pro filia D 4. omnibus *om.* D 5. quaedam] quod b
26. 1. Glazacia B 2. verbum unum D 3. suum *om.* b 4. tamen] cum b
27. 1. duobus annis] diutius b, *dein* caducis, *ex solo cod.* B, *evanido.* 2. extremum b

[1] *Mir.* n. 139; *Acta SS.* l. c. 819, n. 59 (« Petrus medicus »). [2] *Acta SS.* l. c. 820, n. 61 Nomen tamen ibi est « Marinetus ab Aquis »; caetera adamussim conveniunt. [3] *Proc.* 216-8; *Vita,* n. 62; *Acta SS.* l. c. 820, n. 61. [4] « Guillelmina f. Iohannis Olier de Massilia »: *Proc.* 214-6; *Vita,* n. 62; *Acta SS.* l. c. 820a, n. 60 (« Gulielma Massiliensis »). [5] « Bertranda Moreta »; *Acta SS.* l. c. 820, n. 61. [6] *Proc.* 158-61 (« Alaracia »); *Vita,* n. 57 *Acta SS.* l. c. 794, n. 96, et 819, n. 57 (et addunt de brachio).

transitum facere per locum illum ubi praedicta mulier morabatur. Cumque Fratres illam ad beneficium beati Ludovici requirendum attentius incitassent, maritus dictae mulieris eos obaudiens uxorem suam sancto Ludovico commendavit. Voto emisso, praefata mulier ab omni illa passione expiatur meritis sancti; et nec tenuem quidem motum dicti morbi ullatenus umquam sensit [1].

28. Mulier quaedam pepererat puerum tibiis ita contortum, quod quasi cancellatae sibi invicem adhaerebant, dextera respiciente seu conglomerata ad sinistram; sicque impeditus perpetuo ad ambulandum reddebatur. Videns autem vir suus filium suum ita turpiter deformatum, ipsum sancto Ludovico devotissime devovit. Mox, facto voto, praefatus puer rectitudinem habuit tibiarum et ab omni deformitate exstitit liberatus [2].

29. Nautae quidam, in maris periculo constituti, vento et tempestate gravissima exorta, tria vela amiserunt. Tandem cum uno velo coram insulis Arenarum [3] devenerunt, ubi in tantum mare intumescebat, quod omnino se evadere posse desperabant. Tandem, sumpta aliquali spe et fiducia in Domino et sancto eius Ludovico, voverunt quod, si eos ab illo periculo liberaret, suum tumulum cum ancora de cera ad collum visitarent. Voto emisso, statim cessavit ventus, tempestas sedatur: periere pericula [4]; et omni semota anxietate, tranquillo cursu ad portum tendunt optatum [5].

30. Alii quidam nautae, per mare galeam maximis et multis bonis onustam ducentes, a piratis Sarracenorum capti sunt. Cumque per x et octo dies capti stetissent, meritis sancti Ludovici, cui se devoverant, mox ipsa die qua votum emiserunt sunt ab inimicis dimissi et libertati restituti.

31. Quidam Guillelmus nomine, lapicida, cum exiret e c c l e s i a m f r a t r u m M i n o r u m, in qua sanctissimum beati Ludovici corpus honorifice requiescit, videns multitudinem accedentium et recedentium a tumba dicti sancti, sic derisorie dicebat: « Amodo alii sancti bene possunt quiescere, quia iste solus facit omnia miracula ». Vix sermonem compleverat, et ecce continuo ultio eum divina insequitur. Nam os eius, distortum ac retroversum, difforme nimis efficitur, et loquelam pariter amittit. Cumque sic per octo dies remansisset continuos, nono die supplex praedicto sancto factus, sepulcrum eius cum capite cerae visitavit. Facta autem oblatione, dum exire vellet ecclesiam, in eodem loco ecclesiae dictae, in quo mutus factus fuerat et deformis, ibidem curationis beneficium recepit, patientia et meritis sanctissimi Ludovici [6].

32. Cum aliquando duo pueri germani in civitate Marsiliae invicem ludendo discurrerent, contigit per infortunium quod unus guttur alterius transfoderet ac nesciens occideret. Percipiens hoc, Consilium civitatis misit et fecit capi alium puerum occisorem, volens iudicare de ipso tamquam de homicida vel latrone. Videns hoc desolata mater,

5. illum locum D 7. obaud.] exaudiens b
28. D *praemittit numerum 29.* 2. adhaerebat B conglomerate *codd.* 3. impeditus] in pedibus D, *dein om.* autem 4. ipsum *om.* D
30. 1. maximis *sic codd.* onustam] navem *add.* D
31. 3. reced. et accedentium D

[1] « Beatrix de castro Alanconi »; *Acta SS.* l. c. 794, n. 92. [2] « Guillelmi Raimundi a Tolosa uxor »; *Acta SS.* l. c. 818b, n. 52. [3] Videtur Ibiza (Iviça) insula Balearium, circumdata 14 aliis insulis parvis. [4] Ex Resp. S. Antonii Pat. *Si quaeris.* Cf. *Vita,* n. 64. [5] « Gulielmus Maurella, nauta Petri domini Maioricarum »; *Acta SS.* l. c. 820b, n. 62. Sed differt in voto; quod hic convenit cum *Vita,* n. 64. [6] *Proc.* 233-6; *Vita,* n. 67; *Bull. Franc.* V, 114a (n. 15); *Acta SS.,* l. c. 821b, n. 67.

quae iam uno orbata filio ab alio orbari debere formidabat, cucurrit resolutis crinibus ac lacrimosis oculis ad Consilium civitatis, petens ignosci pueritiae, quia nesciens fratrem suum iugulasset. Sed quia a praefato Consilio non bonam recepit consolationem, cucurrit ad sepulcrum beati Ludovici, orans instanter sibi in hac necessitate misericorditer subveniri. Interea, inscia matre, puer interfector decapitatur et ad coemeterium sepeliendus deportatur, in eodem scilicet sepulcro in quo frater eius iam sepultus fuerat. Cumque illuc in foveam mitteretur, surrexit et fratrem suum suscitat et porrigendo ei manum dixit: « Surge, frater, eamus simul ad consolandum matrem nostram. Nam sanctus Ludovicus vult ut surgamus ». Et sic ambo incolumes surrexerunt; et ad matrem redeuntes, Deum et sanctum eius Ludovicum magnifice collaudaverunt[2].

33. Contigit post haec quod quidam puer raperetur a lupis. Cumque mater, currens post puerum, beatum invocaret Ludovicum, promittens ei puerum offerendum cum cereo de libra, cum venisset ad silvam, fugiunt lupi quasi furiosi canes et puerum illaesum et intactum dimiserunt. Mater vero cum venisset ad ecclesiam Fratrum cum puero suo ad solvendum promissum, dixit puer matri suae demonstrando imaginem sancti Ludovici: « Ecce, mater, iste fugavit lupos a me, dum me vellent devorare ».

32. 5. formidans *codd.* 10. sepulcro scil. D 11. suscitat *sic codd.* 13. et (ad) *om.* b
33. 1. caperetur D 3. libera B 6. devorare] Explicit Legenda sancti Ludovici cum miraculis eiusdem. Summa omnium miraculorum 86 *add.* D

[2] *An. Franc.* IV, 316, ll. 24-7; infra *App. II,* n. 21.

MIRACULORUM S. LUDOVICI

APPENDIX II [1].

16. Sanctus Ludovicus adhuc puer exsistens accepit eleemosynam pro pauperibus de mensa patris sui furtive ad gremium suum. Et cum eam iam pauperibus ferret, occurrit ei pater suus dicens: « Quid portas tu, fili mi? » Qui respondit: « Rosas ». Et pater: « Ostende mihi rosas quas portas hiemali tempore ». Aperiensque pater gremium pueri sui, invenit ibi rosas pulcherrimas. Et admirans pulcritudinem et redolentiam rosarum, quaesivit unde eas haberet. Et didicit a filio eleemosynam in rosas conversam.

17. Cum sanctus Ludovicus esset puer, accidit quod uno die dominico cum cultello de baculo faceret carpentas plures, non cogitans de die dominico. Et ad se reversus penituit eum quod sabbatum violasset, ivitque et recollegit petias de baculo abscissas et posuit omnes ad manum suam et accendit eas cum candela, ut puniret quod fecit in die dominico; sed ignis ille eum in nullo laesit.

18. Vir quidam mulierem decipere voluit. Ipsa hoc intelligens fugit; et vir, furiosus factus, puerum eius in XIV frusta concidit in facie matris: vidensque se male egisse, fugit. Mulier vero collegit petias pueri in sportam et sancto Ludovico obtulit; et vota et preces faciens, puerum integrum sanum et vivum recepit.

19. Mulier quaedam, antequam parère posset, mortua fuit. Maritus vero eius sanctum Ludovicum cum magna devotione rogavit ut puerum vivum posset habere. Quod cum factum fuisset, ait: « Sancte Ludovice, sicut me laetificasti in puero, ita me laetifices et in matre ». Mirabile dictu! Mater statim revixit.

20. Quidam pauper homo habuit puerum secum in agro. Venit corvus et cum rostro ambos oculos pueri eruit. Clamavit puer, clamavit et pater et mater. Et cum multi homines venissent ad eos propter clamorem pueri, patris et matris, omnes circumstantes institerunt orationibus apud sanctum Ludovicum; et puer visum resumpsit.

21. Duo erant uterini fratres: unus alium interfecit. Iudicium decapitavit illum vivum. Mater vero turbata de utroque, preces fudit ad sanctum Ludovicum, ut vivum filium de iudicio liberaret; sed non fuit exaudita, quia decapitatus fuit. Cum autem portaretur ad sepeliendum, sanctus Ludovicus reddidit matri decapitatum, vivum. Et omnes etiam qui aderant deprecabantur sanctum Ludovicum, ut et primum filium redderet matri. Qui statim de sepulcro surrexit [2].

22. Mulier quaedam sanata fuit de infirmitate quam passa fuit XV annis, quando tetigit vestimenta sancti Ludovici per viam euntis. Haec infirmitas in ista muliere fuit fluxus sanguinis [3].

---

[1] E codice M; ibi nn. 1-15, miracula ex Bulla canonizationis; nn. 16-22, haec, vel nova vel novo textu; nn. 23-7, ut supra in *Appendice I*, nn. 67, 70-2. Cf. supra, p. 366, not. 3; p. 376, not. 1.

[2] Supra, *App. I*, n. 32; ibid. nota.

[3] *An. Franc.* IV, 315, ll. 28-32, et 540, ll. 6-8.

BULLA CANONIZATIONIS

TRES LEGENDAE BREVIORES

ET ALIA MINORA

Ioannes papa XXII canonizat Ludovicum, filium Caroli II regis Siciliae, episcopum Tolosanum, Ordinis Minorum (1317, aprilis 7, Avinione)[1].

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis.

Sol oriens mundo in altissimis Dei[2], Deus, Dei Filius ex paterno utero *ante luciferum genitus*[3], Deus Verbum *in principio fundans terram in sapientia, coelos* providentia *stabilivit*[4], adornando coelos sideribus, germinantibus cunctis terram, quique in fine temporum pro humani salute generis nostram assumendo naturam texit nube nostrae carnis fragilis semetipsum, nunc *hora* instante *novissima*[5], illuminando per cuncta respiciens, opus producit mirabile, claritate gloriae suae plenum, bonitatem suam monstrans magnifice, sponsamque suam sanctam matrem Ecclesiam reddens novitate tam clarae sobolis laetabundam. Nam *qui facit mirabilia magna solus*[6], dilectum suum confessorem eximium, beatum videlicet Ludovicum, puritate *candidum,* caritate fervida *rubicundum, electum ex millibus*[7], produxit noviter, et exemplar praefulgidum a cunctis fidelibus imitandum, eius vitae singularis excellentiam signis probans et prodigiis coruscantibus celebribus miraculis manifestans.

Igitur *laetentur coeli et exultet terra*[8], iucundetur pariter totus orbis. Nam qui *effulsit in Dei templo*[9], dum viveret in medio nebulae suae carnis, ut *matutina stella* aut *luna plena*[10] solari lumine, veluti etiam *sol refulgens*[11] *in sua formosus stola*[12], in virtute multa repentine ad summa graditur regalibus dignus conspectibus ut candens lilium ac odoris suavissimi rosa rubens. Huic spatiosum praestant hospitium coeli cives et sibi conformem et comparem ad suum consortium hunc admittunt; in supernis Christus hunc reficit ipse idem prandium et conviva.

Hic felix sanctus ex regali prosapia (patre videlicet clarae memoriae Carolo rege Siciliae, matre vero charissima in Christo filia nostra Maria Siciliae regina et Ungariae) originem suam trahens, altum sui generis recusavit sapere, humilia semper diligens et amplectens. Sciebat namque, quod excelsus Dominus, *alta* de longinquo respiciens, *humilia respicit*[13] e vicino.

Quamquam autem singula praeclara opera lucidae vitae suae verbis paucis enarrari non possint, aliqua tamen de quamplurimis ad utilitatem legentium referemus, ut ex iis *Deum* patrem *glorificent*[14] et in iis reperiant vivendi regulam, quam sequantur.

Sanctus iste, sicut probatum est testimoniis fide dignis, in aetate existens tenera sub magistri religiosi diligentia cum suis fratribus tenebatur. Ipse tamen maturis intendendo moribus sub tenello pectore gestare senilem animum ostendebat.

Ductus autem in Cathaloniam cum duobus e suis fratribus, datus obses pro liberatione antedicti regis, tam ferventer dedicavit se studio, quod infra septennium, quo

[1] BF V, p. 111-14, n. 257. [2] Eccli. 26, 21, [3] Psalm. 109, 4. [4] Prov. 3, 19. [5] I Ioan. 2, 18. [6] Psalm. 71, 18. [7] Cant. 5, 10. [8] Psalm. 95, 11. [9] Eccli. 50, 7. [10] Eccli. 50, 6. [11] Eccli. 50, 7. [12] Isai. 63, 1. [13] Psalm. 137, 6. [14] Matth. 5, 16.

inibi obses fuit, sub institutione fratrum Minorum, quos secum habebat in socios, in primitivis scientiis et sacra pagina sic profecit, quod vir Dei pollens ingenio de praedictis scientiis non solum publice et private subtiliter disputare valeret, sed et solemniter clero et populo proponere verbum Dei, ut putaretur scientia haec infusa sibi magis divinitus quam humanitus acquisita.

In orationibus autem sedulis et devotis mentem ad Deum elevatam tenuit, profecto sciens quod *oratio humiliantis nubes penetrat, pro exauditionis suffragio Deum adit*[1]. In tempore namque ipso, sacramentali confessione praemissa, Missas audiebat devote, in magnis vero festivitatibus cum praeparatione multa sumebat corpus Dominicum. Factus autem sacerdos diebus quasi singulis celebrabat, audientiae verbi Dei insistebat attente. Pro pastu vero animae in scripturis divinis studens, habebat ad hoc *solatio sacros libros*[2].

Castitatis autem amor a puero affecerat eius mentem adeo, quod ob ipsius fidam custodiam mulierum consortia vitabat omnino, in tantum, quod (nisi forsan cum matre et sororibus) solus cum sola nullo umquam tempore loquebatur; *mulierem* namque *amariorem* noverat esse *morte*[3]. Verba etiam inhonesta horrebat audire ac loquentes talia graviter arguebat, attendens prudenter, quod *corrumpunt mala colloquia bonos mores*[4]. Fratres nihilominus duo, interdum quatuor, in sua iacebant camera in suae testimonium nitidae puritatis.

Cum Apostolo Paulo[5] sobrietate cibi et potus corpus suum castigabat assidue seque frequenter manu sua quandoque autem alicuius fratris consocii catenis ferreis disciplinans, vestiendo pro camisia rudem stamineam, deferendo ad nudam carnem pro cingulo chordam grossam, ipsam carnem in servitutem spiritus redigebat.

Summo autem studio terrena cuncta calcare studuit ex desiderio aeternorum. Considerans enim sanctus iste, quod *mundus totus positus* sit *in maligno*[6], quodque cum *concupiscentia* sua *transit*[7], ipsum fugiendo deseruit totaliter et contempsit.

Nam rediens de Cathalonia cum rege praedicto, votum quod de intrando Ordinem fratrum Minorum in obsidione fecerat, in conventu eorumdem fratrum de Monte Pessulano voluit adimplere. Sed videns, quod timore dicti regis ipsum fratres accipere non audebant, votum ipsum solemniter iteravit.

Et quia voventibus praeceptum datum a Deo[8] noverat de reddendo, suadenti felicis recordationis papae Bonifacio praedecessori nostro, quod assensum praeberet provisioni de se factae ecclesiae Tolosanae, respondit se hoc facturum nullatenus, quoad usque votum dictum, quod fecerat complevisset: cuius devotioni annuente praedecessore praedicto, habitum Ordinis praedicti suscipiens in praesentia bonae memoriae Ioannis, episcopi Portuen., tunc eiusdem Ordinis Ministri generalis[9], expressam professionem flexis genibus in manibus suis fecit, sicque provisioni praedictae suum praebendo assensum mandatis apostolicis obedivit.

Et quamquam de iussu praedecessoris eiusdem dictum habitum velatum portaverit usque ad festum beatae Agathae[10] tunc vicinum, in dicto tamen festo in praesentia duorum cardinalium recepit publice, ac sic ex tunc portavit continue, atque ipsa die usque ad Sanctum Petrum patenter detulit peditando.

---

[1] Eccli. 35, 21. [2] I Mac. 12, 9. [3] Eccle. 7, 27. [4] I Cor. 15, 33.
[5] I Cor. 9, 27. [6] I Ioan. 5, 19. [7] I Ioan. 2, 17. [8] Cf. Num. 30, 3; Deuter. 23, 21.
[9] Ioan. Mincio de Murrovalle 12. V. 1296 - 16. V. 1304. [10] Festum 5 febr.

Miranda res et aliis insueta! Vir namque hic virtutum positus in sublimi, iuri primogeniturae renuntiavit et regno, regalis solii spreta pompa, pro regno corruptibili aeternum ac plenum deliciis regnum mercans.

Mira vero compassione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam privatas quam publicas eleemosynas faciebat. Unde factus iam episcopus Tolosanus per unum suum familiarem secretarium mandavit inquiri de suorum quantitate redditnum, quantumque sibi sufficeret pro moderatis expensis et rationabilibus faciendis, volens quod totum residuum in sustentandis pauperibus poneretur, quamquam praelatus tam magnus esset ac filius tanti regis.

Cum autem iret Parisios, pauperi, quem quasi nudum repperit, multum compatiens in abscondito cappam contulit, quam portabat, sibique secreto fecit aliam apportari. Certus erat etenim, quod *misericordes* viri beatitudinis *misericordiam consequentur*[1].

In hoc etiam Christi imitatore vero humilitas vera fulsit: attendit namque, quod Deus, qui *moerentes sospitate erigit, ponit humiles in sublimi*[2]. Ipse enim viginti quinque pauperibus, quos in domo sua reficiebat, quotidie aquam infundebat manibus manuque sua ipsis fercula apponebat ac panes scindebat, eisdem etiam genu flexo in ipsis Christo servire ac ipsum recipere se delectans. Hospitalia pauperum aliquoties visitabat. Sciens denique, quod *qui vestiuntur mollibus*[3] in hoc a Domino non laudantur, post diaconatus susceptum ordinem semper veste humili fuit usus. Post ingressum vero dicti ordinis vili habitu ac bruno colore in tapetiis et cortinis ac lecti coopertorio utebatur.

Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia *servus* hic Christi *fidelis et prudens*[4], Missas dicendo assidue, devotissime ordines celebrando, clericos, quibus de beneficiis providere volebat, examinando de articulis fidei, vita et moribus diligenter. Iudaeos et Gentiles zelo fervens fidei inducebat sedule ad baptismum ac quosdam eorum sacro de fonte levavit.

Demum gloriosus iste sanctus, vitae suae cursu consummato, feliciter *ad Deum fontem vivum*[5], quem avide sitierat, migraturus, infirmitate decumbens ultima, devotissime sumpsit corpus Dominicum, quamvis summe debilis, de lecto exiens in occursum Domini Salvatoris, cruce etiam sibi data per quemdam ex sociis, genuflexit in lecto, ut potuit, ac in oratione devota et silentio postmodum diu mansit. *In cruce* namque *Domini nostri Iesu Christi* et non in alio didicerat *gloriari*[6]. Tandem gloriosam resolutus in mortem, qui hic vivens ambulavit *in innocentia in medio domus*[7] suae, ad Deum suum contemplandum in gaudio facie revelata in sua innocentia est ingressus[8].

Verum, quia decebat multum divinae magnitudinem bonitatis, quod ille, quem in terris ipsum praeclaris adornando virtutibus suae imagini fecerat tam conformem, secum regnare in coelis certis virtutis suae testimoniis probaretur, multis eum magnisque miraculis post eius obitum clarum fecit, quorum quaedam certis probata testimoniis ad sancti huius declarandam gloriam praesentibus duximus adnotanda[9].

1. Quaedam namque duorum annorum puella, quae vi febris, quam passa fuit duobus mensibus, expiravit, facto voto per patrem sancto isti, quod ipse imaginem de cera offerret, si vitam a Deo suae filiae impetraret, resuscitata ubera matris suxit. (Proc. 126–8. Gaufrideta, f. Iohannis de Anssurla).

---

[1] Matth. 5, 7. [2] Iob 5, 11. [3] Matth. 11, 8. [4] Matth. 24, 45.
[5] Psalm. 42, 2. [6] Gal. 6, 14. [7] Psalm. 100, 2. [8] Psalm. 25, 1.
[9] Singulis miraculis addimus locum Processus ubi de eo inquiritur et nomen personae de qua agitur.

2. Quidam etiam quinque annorum puer vehementia febris continuae vita functus, facto voto per patrem est vitae pristinae restitutus, nec dictae febris in eo apparuit ullum signum. (Proc. 130–2. Petrus Durandus, f. Poncii Durandi).

3. Quedam puella annorum septem, quae per septimanas tres febrem passa continuam expiravit, facto ad dictum sanctum voto per suos, recuperavit spiritum et revixit. (Proc. 132–4. Gautelmeta, f. Raymundi Vitalis).

4. Quaedam denique mulier, quae duas conceperat filias, una illarum in ventre mortua ex casu dictae matris de quodam asino et in eius ventre ex mora diutina putrefacta, coepit de puerperio laborare. Cumque dictus partus iam putridus per frusta fuisset extractus et alia filia mortua iam educta esset obstetricum ministerio violenter et proiecta in stabulo super fimum, emisso ad illum sanctum voto, quod si partus ille integer resurgeret, unam sibi imaginem praesentarent, puella palpitare coepit et baptizata septem mensibus supervixit. (Proc. 134–6. Alaracia de Aquis).

5. Quidam etiam puer aetatis annorum septem, dum sub lecto, in quo cum suis iacebat parentibus, repertus fuisset mortuus, rigidus et frigidus ab eisdem et sic aliquo tempore permansisset, facto per parentes ad hunc sanctum voto, fuit divinitus suscitatus. (Proc. 138–40. Raymundus, f. Hugonis Lamberti).

6. Mulieri cuidam, quae propter vehementem infirmitatem diem extremum clauserat, emisso per suos ad istum sanctum voto, eius meritis reddita fuit vita. (Proc 141–4. Dulciana, ux. Guillelmi Hugonis).

7. Quaedam puella nobilis, quae ex casu ad terram de nutricis brachiis per octo annos passa fuerat surditatem, facto voto ad praedictum sanctum per patrem, a dicta surditate ad plenum extitit liberata. (Proc. 153–5. Rixenda de Fayensa, f. Guillelmi).

8. Quidam denique, cum post fortem febrem continuam perdidisset loquelam et sic mutus per mensem integrum permansisset, adductus ad sepulcrum sancti huius, fuit ibidem loquelae, finita Missa, plenarie restitutus. (Proc. 157 s. Petrus Picoti).

9. Mulier quaedam, quae subito muta et impotens de uno brachio facta fuit, durante sibi hac infirmitate per mensem, emisso voto per matrem statim ad sanitatem pristinam est reducta. (Proc. 158–61. Alaracia Amigua).

10. Quaedam etiam mulier, cum ex partu quodam violento de puero mortuo et in eius utero transversato contracta in pedibus et manibus ac femoribus biennio remansisset, facto voto ad sanctum praefatum, quod si curaretur, scoparet in tota vita sua ecclesiam, in qua iacet, dormire coepit et expergefacta a dicto morbo est curata. (Proc. 165–9. Dulcesa, ux. Michaelis Bermundi).

11. Vir quidam passus annis sex guttam in manu et brachio, ventre et humero, facto voto, quod eiusdem limina visitaret, fuit statim sanitatis beneficium assecutus. (Proc. 190 s. Petrus Hysnardi de Cadeneto).

12. Quidam denique presbyter passus guttam in latere, quae ipsum diebus septem afflixit graviter, facto voto ad memoratum sanctum de illius tumulo visitando, recepit continuo sanitatem. (Proc. 194 s. Iacobus de Albasania).

13. Mulier quaedam, quae per octo annos morbo epilectico quasi quotidie gravabatur, emisso voto, quod sepulchrum eius, si curam reciperet, annis singulis visitaret, curam recepit, sic quod ex tunc de morbo ipso penitus nihil sensit. (Proc. 209–10. Beatrix Manayra).

14. Monialis quaedam, quae post febrem longam, quam passa fuerat, dolorem incurrerat in omnibus membris suis in tantum, quod duodecim diebus nisi alieno adiu-

torio de lecto non potuerat se movere, portato sibi pedili seu saccone quodam, qui sancti huius dicebatur fuisse, ac sibi applicato ad carnem, sana et incolumis est effecta. (Proc. 210–13. Michelona de Rocaforti).

15. Cum homo quidam, qui miraculis huius sancti detrahere nitebatur, reversionem faciei et oculorum turpiter incurrisset sicque manens per dies sex huic sancto se cum devotione qua poterat devovisset, ad sepulchrum eius veniens et offerens caput cerae, antequam exiret ecclesiam, perfecte reperit se curatum. (Proc. 233–6. Guillelmus de Moyssaco).

onclusio. Haec sunt *mirabilia opera solius Altissimi*[1], quibus et aliis quam pluribus mirificare voluit *sanctum suum*[2] et toti mundo reddere venerandum. Laudetur igitur magnifice Deus noster, cuius dextera huic episcopo confessori confert stelliferum regium diadema. Applaudant et isti pariter coeli cives, quorum coetibus hic sole splendidior est insertus. Canant quoque altisone Franciae, Siciliae atque Ungariae regna felicia, de quorum horto candoris nivei flos erupit, quorum vitis germinat dulcem uvam, cuius liquor coelos laetificans abunde funditur in calicem summi Regis. Laetetur insuper civitas Tolosana sancto dotata praesule, quem *apud Deum advocatum*[3] habet sedulum et patronum. Vere felix es tu, o Marsilia, facta duorum aromatum tam sacrati corporis apotheca. Sed et fratrum Minorum Ordo conspicuus novae laudis canticum promere non desistat, in aula coelesti tam praeclarum alumnum festive divinis conspectibus repraesentans.

anonizatio. Ceterum quia convenit, ut, quem Dominus in coelo magnificat, mundus colat, nos de sanctitate vitae et veritate miraculorum ipsius confessoris inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem solemnem et studiosam examinationem ac discussionem solemnem, supplicatione devota et humili praelatorum omnium, tunc apud Sedem apostolicam existentium, cum instantia requisiti, de fratrum nostrorum consilio et assensu, confisi de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac nostra, ipsum VII idus aprilis sanctorum confessorum catalogo duximus adscribendum.

Festum. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus XIV kalendis septembris, cum felix eius anima, tunc de carnis vinculis astra petens, coelestem aulam adiverit aeternis gaudiis potitura, festum eiusdem episcopi et confessoris devote et solemniter celebretis, ut pia eius intercessione hic a noxiis protegi et in futurum sempiterna gaudia consequi valeatis.

ndulgentiae. Et ut ad venerabile eius sepulcrum ardentius et affluentius christiani populi confluat multitudo ac celebrius eiusdem confessoris colatur festivitas, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi: duos annos ac duas quadragenas; accedentibus vero annis singulis ad praedictum sepulcrum infra eiusdem festi octavam: unum annum et quadraginta dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Avinione, VII idus aprilis, anno primo.

In eumdem modum venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis per universum orbem constitutis: Sol oriens *etc.* Datum Avinione, IV idus aprilis, anno primo[4].

---

[1] Eccli. 11, 4. [2] Psalm. 4, 3. [3] I Ioan. 2, 1. [4] Eodem anno, 8 apr., indulgentias concedit visitantibus Sancti sepulcrum; 9 apr. canonizationem Sancti nuntiat matri ipsius et regi Franciae; 14 apr. regi Aragoniae (n. 258–61).

PAULINUS PUTEOLANUS

VITA S. LUDOVICI EPISCOPI

Cod. Vat. lat. 1960, fol. 262 b-d[1].

1. (262 b) Beatus Ludovicus, de Ordine Minorum, episcopus Tolosanus, ex hoc seculo migravit ad Christum. Hic admodum puer in aula paterna et regia etatem moribus transscendens, nulli voluptati animum dedit; et cum fratres et socii puerilibus iocis intenderent, ille semotus vel oracionibus vel sacris meditacionibus intendebat. Nunquam *puerile* agebat *in opere*[2]. (C 13).

2. Cum vero ad annum XIIII^{m} pervenisset, pro patre in Cathalonia obses fuit. Exinde semper astiterunt ei viri religiosi de Ordine Minorum, a quibus *bone indolis*[3] adolescens sumpsit *legem vite et discipline*[4]. Iamque *puer sortitus animam bonam*[5] magno animo suas suorumque portavit iniurias, et multa humilitate sibi ac fratribus attemptata obprobria tolleravit. (C 1, 17).

3. Factus annorum XVI cepit esse mundi suique contemptor. Speculabatur frequenter ymagines et formas hominum mortuorum, ut amplius sibi mundus vilesceret. Tantum cepit timere Altissimum, tantum Dei formidabat offensam, ut aliquando diceret, gratum sibi fore per castri crepidinem detrahi, quia vita hec nullo modo est appetenda, in qua inimici sumus Dei et frequenter eum offendimus, ad minus venialiter delinquendo. (C 1, 6).

4. Servande pudicicie curam egit pervigilem, et ieiuniis, vigiliis ac oracionibus carnem cogebat servire spiritui. Vigilias Domine in pane ieiunabat et aqua; ceteras vigilias et Adventum Domini, eciam cum necessitas suaderet et sociorum instancia hortaretur, nolebat absque communi saltem transire ieiunio. Familiarem locucionem non admittebat, nisi cuius sibi honestas aut vita laudabilis nota esset. Utque corporei nitoris testes haberet assiduos, tam sui quam camere custodiam commisit continuam, vixque et raro seculares admittebat personas. (C 8, 10, 8, 9).

5. Omni die Missam audiebat devote, et in Missa volebat audire sermonem. Frequenter, in magnis precipue festis, communicabat devote, et post Nonam (262 c) faciebat dici letaniam cum cereo accenso, et totam familiam convocabat. Tantis fulgebat exemplorum splendoribus, ut deputati ad eius custodiam, ad Deum conversi,

---

[1] Hunc textum iam edidit L. Ant. Muratorius, *Antiquitates Italicae,* tom. IV, 1024-27, Mediolani 1741, ex codice Vat. lat. 1960. Huius nos iterum collationem instituimus, et secundum hanc aliquot non spernendas correctiones ad dictam editionem facere licuit, quas tamen inutile duximus in notis referre. — Post singulas editionis nostrae paragraphos inter parentheses littera C signantur illi loci Legendae Petri Calotii, infra edendae (p. 404ss.), qui cum his Puteolani utiliter conferentur, ut relationes inter utramque Legendam facilius appareant et stabiliantur. Multa enim in utraque verbatim conveniunt.

[2] Tob. 1, 4. [3] III Reg. 11, 28. [4] Eccli. 45, 6. [5] Sap. 8, 19.

confiterentur peccata, dicerentque quia Omnipotens in posterum ipsius meritis multa esset facturus miracula. Licet autem in oracione esset assiduus, nunquam tamen pro sua liberacione orare voluit, nisi semel, idque sub condicione, videlicet, si anime eius saluti congrueret. (C 11, 12, 16, 17).

6. Postquam autem oracioni vacaverat, ad lectionem transibat. Aiebat enim ab una ad alteram transeundum. Infra quinquennium grammaticam, loycam, moralem philosophiam et, quod maius est, sacram theologiam sic ebibit memoriterque retinuit, ut eruditi viri, de fama scientie eius increduli, auditis collacionibus atque arguicionibus et responsionibus ex ore eius, sumpta experiencia, stupefacti recederent. (C 11, 15).

7. Interea, ut funditus mundum relinqueret, disponit menteque pertractat iuri renuntiare paterne hereditatis et regie. Et tandem per votum expressum se Domino obligavit, cum liber foret, Ordinem intrare Minorum. Interim vero pater illi per confessorem suadet, ut coniugem accipiat sororem regis Francorum [1], spondens illi continuo dare Provinciam. Perhorret ille virginali proposito contrariam suadelam, et in die sancto Pentecosten capellam solus introivit et votum perpetue castitatis emisit. (C 1).

8. Cum autem ad annum xxi^{m} pervenisset, libertati donatus, Narbone Ordinem fratrum Minorum intrare voluit, sed non affuit qui recipiendi facultatem haberet. Invento autem in Monte Pesulano Provinciali Ministro, ad Ordinem recipi instanter peciit. Minister vero, regalem excellenciam offendere reformidans, pio eius desiderio nequaquam annuit. Tunc iuvenis Deo gratus quod potuit, hoc fecit; votum castitatis perpetue in manibus iteravit eiusdem Ministri, promictens se ad intrandum Ordinem paratum et promptum, quandocumque eum Fratres recipere vellent [2]. Et subintulit: « Quod meum est, feci. Vos videritis, quid agere debeatis ». (C 2).

9. Cupiebat tamen remoto loco ignotus esse, ut contemplacioni ac humilitatis obsequiis liberius vacare posset. Cernens autem quia taliter suum desiderium implere non poterat, elegit fieri de sorte Domini et militare Deo in ordine clericali. Cum autem tonsurari debuit, genua flectens et demisso capite, Psalmiste dicebat versiculum [3]: *Dominus pars hereditatis mee et calicis mei. Tu es qui restitues hereditatem meam mihi.* Et hoc promebat tam dulciter, tam devote, ut nullus assisteret qui non provocaretur ad fletum. (C 3, 21).

10. In Nativitate Domini, Rome, in capella patris acolythatus humiliter egit officium, ante altare sedens in medio clericorum, non dedignans humilem locum, illius amore qui de *regalibus sedibus* [4] descendit ad yma. Ipso die ad Sanctum Petrum in Missa maiori cereum portavit humiliter coram Summo Pontifice, non erubescens Cardinalium et Prelatorum aspectum, non cleri ac populi frequenciam qui astabant. (C 20).

11. Suscepturus Ordines sacros, ad partem locari non consensit, sed quasi unus e turba, nulla voluit prerogativa pollere. Et factus subdyaconus vasis aureis et argenteis uti noluit, nec variis pellibus griseisque; sed nec alio animali quam mulo vehi. Asperam quoque usque ad mortem portavit stamineam. (C 21, 4, 9).

12. Solicitus eciam erat de aliorum salute. In Cathalonia enim multos baptizavit, factusque eorum patrinus, elemosynas illis solicite ministrabat. Manu propria duos Iudeos baptizavit Neapoli. Factus autem Minor, in Vigilia Nativitatis Domini et de licencia Summi Pontificis, continuo, profluvio prius lacrimarum emisso, professus,

[1] Potius Aragoniae. [2] Haec ad verbum leguntur in *Processu;* cf. supra, p. 101, lin. 30.
[3] Psalm. 15, 5. [4] Sap. 18, 15.

nunquam habitum, mantellum vel cappam pretiosam admisit, licet ipsa die pronunciatus fuerit episcopus Tolosanus, et sequenti Dominica consecratus. (C 27, 22).

13. Sed et pauperes dilexit eosque visitare studuit, monuitque infirmos precipue de animarum salute et pura confessione peccaminum. Semel procuravit ad se duci leprosum et cum quanta potuit caritatis dulcedine blande consolatus est, voluitque in suo lecto reponere, ni aliqui obstitissent. In crastino vero eum fecit diligenter perquiri, sed inveniri non potuit. (C 19).

14. Vocatus ad comestionem, prius suspirabat mortalitatis et miserie huius statum, et aliquantisper orabat. Deinde XIII pauperibus devotissime serviebat. Post episcopatum vero XXV aquam prebebat manibus et panem scindebat flexis genibus, quasi Christum haberet presentem; et ferculum primum suis manibus cum tanta caritatis ponebat dulcedine, ut sepe astantes provocaret ad fletum. Licet enim in cunctis polleret virtutibus, honestas tamen, caritas et humilitas in eo specialius refulgebant. Exempcionem enim suadentibus illud respondebat beati Bernardi[1]: Angeli non desiderant non subesse archangelis. (C 11, 23, 4).

15. Tandem, arduis urgentibus negociis, ad comitatum transiit Provincie. Cum ad villam, que Brig[n]ola dicitur, pervenisset, gravi, de qua decessit, infirmitate gravatus, puram suo more confessionem premisit, patientissime infirmitatem sustinens; oracioni continue deditus requirebat sepius crucem Christi, Missasque in camera audire volebat. Postremo, putantibus medicis abesse periculum, ipse ait extremum sibi imminere agonem, et oracionem illam[2]: *Domine, Deus omnipotens, qui ad principium* (262 d) *huius diei* etc. sepius replicavit. Et conversus ad quemdam fratrem ait: « Vos non creditis quod mori debeam, et tamen statim videbitis ». Et ex tunc amplius locutus non est, sed tam dulciter et quiete emisit spiritum, quod vix hora adverti potuit qua expiravit. Et factus est post mortem pulcrior quam ante infirmitatem fuerat, et astantibus dormiens, non mortuus, videbatur. (C 30, 31, 32).

16. Sanctissimum autem corpus eius, iuxta quod decreverat, Massiliam deportatum est. Ibi, cum agerentur exequie, in capite chori cum habitu et mantello, pulcra et leta facie visus est a Senescalco Provincie, milite veridico et celebri, et a domino Roberto de Bauso vicario Massilie; et dicto *Requiescat in pace,* ille quidem disparuit et angelicis sociatus est choris. (C 33).

17. Post felicem vero transitum eius cepit continuo miris splendere miraculis; inter cetera autem XV mortui rediere ad vitam. Venerabiles autem archiepiscopi Arelatensis et Ebredunensis, Aquensis eorumque suffraganei ac cives Massilie eadem ipsa seriosius explicantes, supplicaverunt devota instancia prefato Summo Pontifici[3], qui sanctitatis vite ipsius non erat ignarus, ut eum, quem Deus tantis et tam continuis clarificabat miraculis, Sanctorum cathalogo dignaretur ascribere. (C 34).

18. Sed quia in hiis Romana Curia cum multa maturitate procedit, et Summus Pontifex ante exacte disquisicionis indaginem vita functus est[4], iidem Prelati civesque Massilie successori ipsius Clementi V per solempnes nuncios porrexerunt suplicacionem eamdem, multiplicata aientes miracula et testimonia sanctitatis. Hiis perceptis, Summus Pontifex, solita in huiusmodi maturitate procedens, dominis Guidoni Zantonensi et Raymundo Lectorensi[5] episcopis, egregiis ac litteratis viris, de Fratrum

[1] Cf. *De consideratione ad Eugenium III,* l. III, c. 4, n. 18 (PL 182, 769). [2] Oratio ad Primam. [3] Bonifacius VIII. [4] Bonifacius VIII obiit 11. X. 1303. [5] Cod. habet *Lacconiensi.*

suorum consilio per apostolica scripta mandavit [1], ut de vite ipsius meritis ac miraculis veritate diligencius inquisita, quicquid super hiis invenire contigerit, scriptum fideliter sub ipsorum sigillis per certos et ydoneos muncios delegarent. (C 35).

19. Ipsi vero ad complenda mandata Massiliam personaliter accedentes, que denunciata fuerant Summo Pontifici tam de miraculis quam vite sanctitate per testes plurimos ac fide dignos vera fore reperiunt, et iuxta formam mandati sub propriis transmittunt sigillis. Tunc Summus Pontifex transmissam inquisicionem nonnullis Cardinalibus discuciendam commisit; et ex luce hac, pendente discussione, migravit [2]. (C 36).

20. Post hec Iohannes papa XXII Ecclesie prefuit [3]. Hic magister sancti Ludovici non modico tempore fuit. Hic ex continua conversacione cum eo, et de sanctitate ipsius certior erat, puta qui eius gesta et acta et vidit oculis et manibus contrectavit [4]. Ideoque cepta securius ad debitum finem deduxit, et inquisicionem prefatam examinari fecit per plures dominos Cardinales. Qua tandem [discussa] et a cunctis Cardinalibus approbata, idem Summus Pontifex de Fratrum suorum consilio et omnium Prelatorum, qui tunc erant in Curia, communi assensu, canonizandum decrevit. Et miris, que longum foret enarrare, solempniis, Sanctorum ascripsit cathalogo, anno Domini M°.CCC°.XVII°, Idibus Aprilis, Pontificatus sui anno primo, in civitate Avinione, ubi tunc Romana Curia residebat, precipiens festum ipsius XIIII Kalendas Septembris a cunctis fidelibus devote et fideliter celebrari; ipsa die visitantibus eius sepulcrum dans indulgentiam II annorum et duarum quadragenarum, infra octavam autem unum annum et dies XL. (C 37).

21. Anno quoque Domini M°.CCC°.XIX° [5], VI Idus Novembris, idem Summus Pontifex ad translacionem ipsius misit VI Cardinales, et in presencia regis Ierusalem atque Sicilie, germani eius, ac regine, multorum prelatorum ac baronum, concurrente etiam cleri ac populi innumera multitudine, cum miris solempniis et reverencia multa corpus eius de terra levatum est et in argenteo et ornato sarcofago super altare reconditum in ecclesia, sumptuoso opere ad ipsius dedicata honorem; ubi *mirabilis Deus in sanctis suis* [6] stupenda miracula operatur. (C 38).

22. Nam per ipsius invocacionem et merita, votis emissis a propinquis et notis, XV vere mortui rediere ad vitam. Multa quidem et alia exstant miracula, que iuxta morem, gracia brevitatis in hoc libro scripta non sunt. Nam circa XX variis legi infirmitatibus liberatos et totidem iuxta notarium haberi [7], et in quaternis alii ultra CC [8]. Que omnia manu publica scripta et diligenter examinata de mandato Massiliensis episcopi [9], ab hiis dumtaxat exposita qui et oculis viderunt et manibus contrectaverunt [10], et firmata sunt prestito sacramento.

---

[1] Clementis V bullam vide supra, p. 1-3. [2] Clemens V obiit 14. IV. 1314.

[3] A die 7. VIII. 1316 ad 4. XII. 1334. [4] Cf. I Ioan. 1, 1.

[5] Iuxta *Chronicam XXIV Generalium* et Sedulium haec translatio locum habuit anno 1317. Cf. AF III, 472; AASS, mensis aug. III, 822a, n. 71. Recte autem Waddingus, *Annales*, ad ann. 1319, n. 2, hunc annum 1317 reiicit. Cf. etiam supra, p. 261 sq. et 380. [6] Psalm. 67, 36.

[7] In *Processu* recensentur 24 infirmitates. [8] In *Libro Miraculorum* notantur 211.

[9] Eius litteras vide supra, p. 3 s. [10] Cf. I Ioan. 1, 1.

PETRUS CALOTIUS

VITA S. LUDOVICI EPISCOPI

ex cod. Vatic. Barberin. lat. 714 [1].

1. (99a) Ludovicus, puer annorum 12, pro illustri viro domino Karolo in Cathalonia obses [fuit], cui astiterunt usque ad mortem fratres Minores, a quibus adolescens *bone indolis* [2] sumpsit *legem vite et discipline* [3]. (P 2).

Factus autem annorum xvi cepit, census suique contemptor, ad celestia anhelare; et iuri paterne hereditatis et regie renunciare cupiens, per expressum votum se Domino obligavit, cum liber esset, Ordinem Minorum intrare. Interim per confessorem suum pater ei suadet ut sororem (99 b) regis Francie [4] accipiat in uxorem, spondens illi continuo dare Provinciam. Horret sanctus iuvenis virginali proposito contrariam suadelam, et in die sancto Pentecostes capellam intrans solus, votum castitatis emisit. (P 7).

2. Cum vero ad annum 21 pervenisset, libertati donatur et statim Ordinem Narbone intrasset, set non erat qui recipiendi facultatem haberet. Invento autem in Monte Pesulano provinciali Ministro, ad Ordinem recipi instanter peciit; set Minister, regiam excellenciam offendere metuens, recusavit. Qui non abiens retrorsum, set *ad anteriora extendens se* [5], votum iteravit in manu dicti provincialis Ministri, solempniter promittens se semper paratum intrare, et dicens: « Vos videritis quod facere debeatis; quod meum est feci ». (P 8).

3. Volebat autem intrare Ordinem illum, ut postea retulit, ubi penitus esset ignotus, ubi cum comtemplativa vita exercere posset humilitatis obsequia, scopare domos, lavare paropsides et similia. Frequenter dixit post suam liberacionem, quod bene et quiete sibi fuerat in castro de Siurana, et quod nunquam fastiditus fuit in castro illo, licet inibi fuisset 7 annis detentus, percipiens illud Psalmi [6]: *Cum ipso sum in tribulacione, dilatasti mihi.* (P 9).

4. Postea subdyaconus ordinatus, vasis aureis et argenteis uti noluit nec pellibus variis griseisque; set nec alio animali quam mulo vehi sustinuit. Persuasus quoque,

---

9 confessorem] confessionem B. 16 offendere *om.* P. 21 contemplativa vita] contemplativam vitam B. 22 paropsides] parapsides B. 26 argenteis] argentis P.

---

[1] Hanc Vitam edidit cl. G. Presuti, in AFH I (1908), p. 282-90, iuxta hunc codicem, quem nunc novo examini subiecimus, et paucos errores codicis, hic littera B signati, in editione occurrentes correximus, lapsus vero calami cl. Presuti littera P signavimus. — Cum in hac Calotii Legenda multa verbotenus recurrant quae in illa Puteolani habentur, post singulas paragraphos nostrae editionis inter parentheses littera P notantur illi loci Legendae Puteolani, supra editae (cf. p. 400-3), qui cum his Calotii utiliter conferendi sunt, ut relationes inter utramque Legendam facilius reperiantur.

[2] III Reg. 11, 28. [3] Eccli. 45, 6. [4] Rectius Aragoniae. [5] Cf. Philipp. 3, 13.

[6] Psalm. 90, 15 et Psalm. 4, 1.

quod in pontificali dignitate plura bona posset (99c) facere, non adquiescebat; set et coacte susceptam, stimulantibus temporalibus curis, in manibus Summi Pontificis resignavit, allegans raciones quas potuit. Cumque super hoc argueretur a sociis improperantibus quod fatue fecisset, respondit quod libenter volebat a Summo Pontifice fatuus reputari, ut eum a pontificali honore liberaret, unique sociorum quasi indignando dixit: « Vos fecistis quod essem episcopus ». Et dicebat interdum quod mallet in Provincia esse presul, quia posset ibi melius errata corrigere, malos punire, populos informare. (P 11).

Exempcionem suadentibus respondebat verbum beati Bernardi[1], quod angeli non desiderabant non subesse archangelis; et in infirmitate quas misit super hoc litteras, urgentibus consiliariis, mandavit districtius revocari. (P 14).

5. Ante mortem suam per menses duos cum socio solo, quasi unus frater Minor, per montes Pyreneos ad sua repeditans, ait: « O si possemus fugere in terram longinquam! ». Qui respondit hoc sibi non fore possibile cum esset episcopus; sed celerem postea mortem advertens, eius desiderium intellexit esse completum, quo abiit viam longissimam, et sacculum pecunie secum tulit, quam pauperibus dedit.

6. Hunc mundi contemptum et amplexum celestium, cum adhuc esset in captivitate, amplexus est, ubi tanto Dei timore repletus est, (99d) tam Dei formidabat offensam, ut aliquando diceret, gratum sibi fore, si per castri rupem precipitaretur, quia vita ista nullo modo est appetenda, ubi sumus inimici Dei et frequenter peccamus, saltem venialiter. Contemplabatur frequenter ymagines et formas hominum mortuorum, ut ad se ipsum et mundum contempnendum amplius cor firmaret. (P 3).

7. Quicquid illi pro anime salute utile videbatur studuit adimplere, non retractus pudore, non territus difficultate, non carorum offensa remissus. Magis autem verbum Gregorii[2] allegabat: « Quos proximos novimus diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. Per odium enim diligitur qui carnaliter sapiens, dum prava nobis ingerit, non auditur ».

8. Hic, ut esset de numero sequencium *Agnum* et cantancium *canticum novum*[3], non solum renes suos cinxit *çona pellicea* cum Ioanne[4], set eciam cum Christo *çona aurea*[5] cor restrinxit, quia in austeritate vite carnem afflixit et cum oculis suis pepigit *fedus ne de virgine* cogitaret[6]. Illi nunquam mulier familiaris fuit. Servande pudicicie invigilavit continue; tanta honestate fulgebat ut et familiaribus et militibus, qui illi aderant, indicta pena comedendi in terra sine mappa prohiberet, que *mores corrumpunt, colloquia*[7] inhonesta. (P 4).

Familiarem locucionem nunquam admittebat vel raro, nisi persone mature, hone(100a)ste, humilis et devote. Talium puritate delectatus illud sepius proferebat[8]: *Et cum simplicibus sermocinacio eius.*

9. Denique, ut mentis puritatem integre servaret, frequenter conscienciam purgabat scopa confessionis; et ut corporei nitoris certum testimonium exhiberet, fratres Minores semper secum habebat in camera ibi iacentes, illius secreta noscentes, illi in omnibus

---

13 abiit] obiit P. 22 retractus] rei tactus P. 27 hic *om.* P. 31 et[1]] a *add.* P. 35 humilis] humiles P. proferebat] preferebat P.

---

[1] Cf. supra, p. . . . . [2] *In Evang.*, III, hom. 37, n. 2 (PL 76, 1275). [3] Cf. Apoc. 14, 3 s. [4] Marc. 1, 6. [5] Apoc. 1, 13. [6] Cf. Iob 31, 1. [7] I Cor. 15, 33. [8] Prov. 3, 32.

ministrantes, nec secularem quemque ibi de nocte iacere aliqualiter passus est. Cogebat carnem suam servire spiritui; cordam semper portavit ad carnem. (P 4).

Factus subdyaconus staminiam asperam addidit, nec, rogatus, usque ad mortem dimisit. Antequam fratrum Minorum indueret habitum, iacebat indutus continue. (P 11).

10. Vigilias omnes beatissime Virginis ieiunabat in pane et aqua; aliorum sanctorum vigilias et Adventum Domini tam stricto observabat ieiunio, ut eciam in itinere et corporis anxietate positus, illa nunquam solveret. (P 4).

Semel, dum equitaret per Franciam, beati Marci vigiliam [1], licet debilis et contradicentibus sociis, omnino voluit ieiunare. In vigilia quoque beati Iohannis [2], multo labore afflictus propter laboriosum transitum montis Pyrenei, nec medici iussu, nec fratrum inductionibus ad capiendum vespertinum cibum potuit suaderi. In cibo et potu tantum erat parcus ut fami-(100 b)-liares sui abstinencie eius paverent excessum. Iacens, culcitra vel lecto de pluma uti nolebat. Per manus fratris disciplinas suscipiebat frequencius et secrete. Ad capellam beate Virginis visitandam, que in monte, qui sanctus dicitur, sita est, per duas leucas peditando accessit.

11. Tempus vite sue prudentissime dispensabat; pro magna parte temporis oracioni et lectioni vacabat, et aiebat, ab una ad alteram transeundum. Crebras oraciones habebat et quasi iaculatas, sicut fratres in Egypto. (P 6).

Ad comestionem vocatus, cum Iob [3] antequam comederet suspirabat, prius vel modicum orare volens. De sero autem tamdiu oracionem continuabat ut socii gravarentur; et antequam lectum intraret, semper dicebat septem gaudia Virginis gloriose. Ut vero sua oracio foret accepcior, confitebatur frequenter antequam Missam audiret. (P 14).

Quasi in quolibet festo solemni communicabat cum multa devocione, et orans aspiciebat attentissime Crucifixum. Libros devocionis et oracionis revolvebat frequenter, Bernardi maxime et Ricardi [4], et quemdam *De stimulo amoris in Dominum Yhesum Christum* [5]; septem psalmos cum litania [6] et psalmis *Voce mea* [7], et *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus* [8], in quibus devotionem multam conceperat, quasi quotidie devote dicebat. (P 5).

12. Divinum officium quoque obses existens, quasi ex debito teneretur, dicebat continue, et (100 c) turbatores officii aut nimium festinantes sollicite arguebat. Dicebat preterea devotissime officium Crucis, et aliquando in secreto, uno tantum socio comitatus, ad modum crucis manus et brachia ad parietem extendebat quousque tale complesset officium, quod iustum dicitur et penale. Cum de pace et concordia rumores aliqui portarentur, statim convocabat familiam ad capellam, et dicendo *Te Deum laudamus* aut *Salve Regina,* agebat gracias Salvatori.

Volebat cotidie habere sermonem in Missa et postea audiebat, sicut semper consueverat, lectionem, et post Nonam faciebat dici letaniam cum cereo accenso, et totam familiam convocabat. (P 5).

---

2 portavit] portabat P. 4 indueret] induceret B. 25 quemdam] quoddam B. 27 psalmus] psalmos P. 30 turbatores] turbationes B.

---

[1] 24 aprilis. [2] 23 iunii. [3] Iob 3, 24. [4] Richardi de S. Victore. [5] Editus in *Bibl. Franciscana ascetica medii aevi,* t. IV, Ad Claras Aquas 1905. [6] Id est septem psalmos poenitentiales. [7] Psalm. 76, 1, vel potius 141, 1, quem S. Franciscus moriens cantavit. [8] Psalm. 146, 1.

13. Cum autem fratres sui, domini Carolus Martellus, postea rex Ungariae[1], et Robertus, nunc rex Ierusalem et Sicilie[2], extra castrum irent ad solacia et corporales deductiones, ipse domi manens vacabat oracioni aut lectioni, allegans verbum Bernardi[3], quod tempus amittit homo quando de Deo non cogitat; et illud[4]: *Dum nil perenne cogitat, seseque culpis illigat.*

In regno autem Apulie, admodum puer, nulli animum voluptati dedit, etatem moribus transcendens. Sed cum fratres et socii puerilibus aliquando iocis intenderent, semotus ille aut oracionibus aut sacris meditacionibus intendebat, *nil*que *puerile* egit *in opere*[5]. (P 1).

14. Petebat sollicite et devote (100d) oracionum suffragia; maxime episcopus consecratus pro se oracionem illam dici volebat[6]: *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo* etc. Factus sacerdos, eciam in via positus, propter laborem vel prolixitatem itineris a celebracione cessare nolebat. Multis annis de ligno vere crucis et aliis reliquiis super se devote portabat; crucem eciam, quam secrete, cum obses esset, acceperat, pro devocione et reverencia Terre Sancte, usque ad suscepcionem habitus publice Minorum portavit in vestibus.

15. Rudimentis grammatice inchoans infra 7 annos, in loycalibus, naturalibus, moralibus et theologi[ci]s ita imbutus est, ut magni philosophi et theologi que de ipso dicebantur impossibilia reputarent, sed experti scienciarum eius profunda, subtilium argumentacionum conflictus, redibant admodum stupefacti. (P 6).

16. Ne vero quicquam temporis infructuose excideret, cum ab oracionis aut lectionis studio surgeret, in orticello cum sarculo propriis manibus laborabat. Aliquando in estate dormire nolebat nisi super cathedram studii, nec volebat, cum quereretur, quod ad eum accederet aliquis secularis. Faciebat in prandio legi de Biblia, et in cena libros beati Bernardi vel Gregorii, et post prandium libenter de divinis et sciencialibus loquebatur. Sermones audiebat libenter, frequentissime et devote.

His ceteris-(101a)-ve edificacionis exemplis commoti ad eius custodiam deputati in Cathalonia, convertebantur ad Deum, confitentes peccata sua, et aiebant quia Omnipotens in posterum ipsius meritis multa esset miracula ostensurus. (P 5).

17. Omni tempore quo tam iuvenis pro patre obses fuit cum fratribus suis, magno animo improborum hominum supportavit iniurias, multa humilitate toleravit opprobria sibi vel fratribus aut familie attemptata. In camino tribulacionis probatus, perfectus inventus est; non modo enim pacienter, set alacriter cuncta sustinuit. Asserebat autem, exercitatus virtutibus, adversitatis tempus esse optimum et securum, nolleque pro orbe universo non tolerasse talia que anime tam fuere salubria, promens tam pro se quam pro fratribus suis illud Psalmi[7]: *Letati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* (P 2).

Dixit aliquando quod pro liberacione sua nunquam ad Dominum oracionem dixerat, nisi semel et sub condicione, si sue anime expediret. (P 5).

1 Martellus] Marcellus B. 5 perenne] pene P. 12 factus] facto P. 18 imbutus] indubitus B. 24 biblia] blibia B. 28 convertebantur] convertebant P. 31 supportavit] sopportavit P.

[1] Martellus obiit ante 30 augusti 1295. [2] Coronatus fuit 1 augusti 1309 et obiit 19 ianuarii 1343. [3] Cf. Ps.-Bernardus, *Meditationes de humana cognitione,* c. 6, n. 18 (PL 184, 497). [4] Ex hymno *Lucis creator optime,* in Dominicis ad Vesperas per annum. [5] Tob. 1, 4. [6] Oratio quinta post Litanias Sanctorum. [7] Psalm. 89, 15.

18. Volebat autem ut Frater suos sibi recenseret defectus, et cum ille interdum forcius exageraret culpas et que magis displicere poterant instancius replicaret, sustinebat pacientissime universa. Factus autem episcopus, virtute humilitatis et paciencie semper crevit. Susceptus semel minus decenter a quodam, murmurante universa turbata familia, solus inoffensus permansit, compescu-(101 b)-it murmur, hospitem defensavit, idque in morem traxerat ut sibi illatas iniurias excusaret; iactancie ac superbie verba proferre semper abhorruit. Laudes audiebat invitus; unde post agitatas disputaciones in curia et alibi volentes dicta sua asserere frequenter conpescuit.

19. Visitabat libenter leprosos et infirmos alios in hospitalibus receptos, et humiliter eis serviens, de confessione et paciencia sollicite admonebat. Accidit semel ut in Parasceve, illius memor effectus qui pro nobis quasi leprosus [1] apparuit ut lepram tolleret peccatorum, introduci secreto fecerit ad se leprosum, et cum quanta potuit consolacione blande ac dulciter prosecutus est, voluitque in suo iacere lectulo, nisi aliqui obstitissent. In crastino quoque disposuit eum publice consolari in ecclesia, et fecit inquiri sollicite, set non potuit inveniri. (P 13).

20. In Nativitate Domini, Rome, in capella regis acolythatus gessit officium tam humiliter quam devote in medio clericorum sedens ante altare, illius amore qui de *regalibus sedibus* [2] descendit ad yma. Ipso die ad Sanctum Petrum in Missa maiori coram Papa humiliter portabat cereum, non erubescens Cardinalium aut Prelatorum aspectum, non clericorum militumve presenciam, non frequenciam populi qui astabat. (P 10).

21. Ordines autem cum multa humilitate et omnium edificacione suscepit. Cum enim debuit tonsurari, flexit genua et demisso capite cum fletu, illum profe-(101 c)-rebat versiculum Psalmi [3]: *Dominus pars hereditatis mee.* Nullus erat ex circumstantibus qui non provocaretur ad fletum. (P 9).

Dyaconatus ordinem suscepturus noluit in prerogativa vel in loco honoris, set ceteris mixtus, quasi unus de turba, nulla voluit prerogativa pollere. Hoc ipsum cum multo fletu et summa devocione sacerdocium suscipiens observavit. Post eciam susceptos ordines sacros, portando vestes de camelino bigino aut panno nigro humilime incedebat. (P 11).

22. Factus autem frater Minor, in vigilia Nativitatis Domini et post lacrimosam oracionem, de licencia Summi Pontificis continuo professus (nam ipsa die pronunciatus est episcopus Tolosanus et sequenti dominica consecratus) nunquam habitum, mantellum vel cappam portare sustinuit, nisi de panno satis rudi et vili. (P 12).

Semel oblatam a camerario suo cappam renuit. Et licet fratres socii asser[er]ent, quod ipsi possent sine nota portare, non adquievit, set magis pauperculo episcopo dari iussit. Habitum quemdam fecit dissui, quia sibi videbatur curiose consutus. Cunctus etiam ornatus camere eius honestatem preferebat; tapecia erant vilia, cortine lecti de staminia bruna, coopertorium de camelino, carelli ubi sedebat eodem cooperti colore. Predicabat sine mantello, in habitu et interdum cum soleis, et circa pulpitum positos ad pompam amovebat ornatus. Cum primo incurrit Tolo-(101 d)-sam, rogatus a magnis viris ut deambulatorem vel palafredum aut magnum mulum ascenderet, obstinate renuit, asserens id nil pretendere nisi fastum et arroganciam prelatorum.

---

15 inveniri] invenire P. 23 psalmi] pater P. 34 portare] portari P. 35-36 cunctus etiam] cultus et P.

---

[1] Cf. Isai. 53, 4. [2] Sap. 18, 15. [3] Psalm. 15, 5.

23. Faciebat pauperes ad se vocari, antequam esset episcopus, et pedes eorum devote lavabat et osculabatur, serviebatque in mensa omni die 13 pauperibus. Factus vero episcopus 25 pauperibus, antequam ipse comederet, diligenter et sollicite serviebat, aquam prebendo manibus, flexis genibus, scindendo panem et primum ferculum apponendo, ut vere Christum videretur habere presentem. Mirabantur astantes ipsius humilitatis excessum, et mira devocione concepta sepius excitabantur ad fletum. (P 14).

24. Cum autem in ebdomada sancta venisset Parisius visitans Fratres, accipiebat cum eis communiter disciplinas, et semel, comedentibus Fratribus, intravit coquinam et humili ministerio ex animo se coaptans, Fratrum paropsides lavare cepit. In Cena Domini semper solitus erat 13 pauperibus lavare pedes et CCC pauperes ipsa die induit, et antequam sermonem faceret vel cibum sumeret, Fratrum pedes abluit in Mandato.

25. Processu dierum, cum habitu indigeret, non habuit nisi vilem et a socio mutuatum, et tunc letus aiebat quia illius Fratris esset scutifer, cuius raubas[1] indigens deferebat. Cum semel radi vellet et misisset pro bacili socii sui, deportatum fuit argenteum; ipse (102 a) vero concepta humilitate non destitit, set in bacili, in quo equorum mensurabantur prebende, elegit radi.

26. Non solum autem pauperibus diligentissime serviebat, set eciam eorum miseriis miro compaciebatur affectu; aliquando eciam eis vestes sibi necessarias tribuebat. Transiens enim per Franciam pauperi seminudo propriam cappam fecit tradi secreto, qua tamen propter luta indiguit continuo. Hoc idem de mantello regali patris sui fecisse dicitur ad Romanam curiam pergens. Et cum in Cathalonia esset, et sui fratres ioculatoribus vestes darent, suas tamen semper pauperibus est largitus. Precipiebat quoque, ut pauperibus posset plura tribuere, in curia sua expensas fieri parcas, moderatas. Volebat quoque bona ecclesie solis dari pauperibus; unde rogatus ut patris consiliario equum daret illi necessarium, renuit, quia non acciperet sub titulo paupertatis.

27. Compaciebatur quoque animarum miserie et sollicitus erat de earum salute. Pro peccatoribus libenter orabat, et infideles sollicite convertebat ad fidem. In Cathalonia multos baptiçari fecit, et factus eorum patrinus, nimis elemosinas eis dabat. (P 12).

Totum perditum reputabat quod pauperibus non dabat. Omnia que dabantur sigillo, more suorum predecessorum, iusserat pauperibus erogari. Fratres ad confessiones mittebat, dicens quia libenter, si posset, quasi simplex sacerdos confessiones audiret. Affectuose predica-(102 b)-bat, et ad predicandum alios excitabat. De caritate maxime producebat sermonem, de qua multa studuerat et sciebat et opere adimplebat.

Manu propria duos pueros iudeos baptiçavit Neapoli, et procurabat nonnullos interdum de carceribus liberari. Ibat latenter ad videndum pauperes cum daretur eis elemosina, et, si quid deficeret, illico supleri volebat. (P 12).

28. Miro modo erat sollicitus episcopalia officia exercere; confirmabat pueros, reconciliabat et consecrabat ecclesias, benedicebat virgines. Ecclesiastica vero beneficia, nisi matura deliberacione, nolebat conferre. Ipse enim beneficiandum examinare volebat et faciebat eum instruere ut intelligeret que legebat. Volebat quod beneficiandi essent in cantu convenienter instructi. Examinabat eos de decem preceptis, de articulis fidei

3 25] 24 P. 9 ministerio] magisterio B. 18 eis *om.* P. 28 patrinus] pater P.
31 dicens] id est P. 40 instruere] construere B.

[1] Id est vestes.

et de capitalibus viciis, et repellebat eos qui bene et ordinate nesciebant respondere de huiusmodi.

29. Accidit per tres septimanas ante mortem ipsius, ut clericum quemdam repelleret, qui impetraverat in forma pauperum in episcopatu suo, licet examinatum se diceret in Romana curia, quia sibi insufficiens pro adipiscendo beneficio videretur. Propter hoc clerici in suo episcopatu ad hec discenda diligenti studio se parabant. Proponebat, Christo duce, purgare vicia clericorum, corrigere vitam in diocesi, quantum erat possibile, deordinacionem omnem pro viribus amovere, plantare (102 c) virtutes et ad sanctitatis ac pietatis opera excitare.

30. Contigit eum, arduis negociis urgentibus, ad comitatum transire Provinciae, et cum ad villam, que Brinonia dicitur, pervenisset, gravi, de qua decessit, infirmitate gravatus, puram suo more premisit confessionem; febriles anxietates patientissime supportavit, contemplacioni et oracioni vacabat continue. Requirebat sepius crucem Domini et contemplabatur eam diucius et Crucifixi pedes affectuosius osculabatur. Non obstante infirmitatis gravedine, volebat in camera Missas audire, et in festo Assumptionis beatissime Virginis de loco surgens, in habitu, quem semper amavit, ad altare accessit, et flexis genibus, mira devocione et reverencia sumpsit Eucharistie sacramentum. Semper volebat sibi Fratres assistere, et de Domino Ihesu Christo, de intemerata Virgine aliisque devotis volebat sibi retexi sermonem. (P 15).

31. In die qua ex hoc mundo migravit ad Patrem, assistenti Fratri de curia venienti, quem noverat esse devotum, piam narracionem suasit proponere. Qui compunctionis excitativa verba attentis auribus, donec febrilis ferveret accessio, non parvo temporis spacio instillavit. Dicentibus sibi quod de infirmitate illa evaderet, aures non prebuit. Dixerat enim die tertia ante mortem, quod expediebat anime sue ex hac vita migrare, quia episcopatus onere pressus, temporalibus distractus negociis, secundum suum desiderium Deo vacare non poterat. Religio-(102 d)-sum, magne auctoritatis virum, qui visitacionis gracia ad eum venerat et diebus aliquot moram contraxerat, putantibus medicis abesse periculum, valefacientem retinuit, dicens extremum sibi imminere agonem. Die quoque sui transitus, ultra solitum morem, cum multa devocione illam dixit oracionem [1]: *Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei* etc. Et dicebat continue: *Adoramus te, Christe* etc. et *Yhesus Naçarene, rex Iudeorum, miserere mei,* et salutaciones Virginis, et signo crucis se muniebat frequenter. Et cum per confessorem querebatur ab eo, cur tam frequenter diceret *Ave Maria,* respondit: « Quia beata Virgo salvabit me ». Et postea ait [2]: *Delicta iuventutis mee et ignorancias meas ne memineris, Domine.* (P 15).

32. Et conversus ad Fratres ait: « Non creditis quod mori debeam, et tamen statim videbitis ». Et ex tunc amplius locutus non est; set tam dulciter et quiete emisit spiritum, quod vix hora adverti potuit qua expiravit, anno Domini 1297, 14 Kalendas septembris, cum esset annorum 23. Factusque est post mortem pulcrior quam in infirmitate fuisset, et videbatur astantibus quod dormiret. (P 15).

33. Sanctissimum autem corpus eius, iuxta quod decreverat, Massiliam deportatum est. Vidit Senescallus Provincie, miles veridicus et celebris fame, ipsum Sanctum in

1 et[2] *om.* P. 6 diligenti] diligendi B. 11 Brinonia] Brinella B P. 19 retexi] retexeri B. 22 excitativa] excitatam P. febrilis] febribus B.

[1] Oratio ad Primam. [2] Psalm. 24, 7.

capite chori stantem (103 a) cum habitu et mantello, pulcra et leta facie; et peciit cum grandi fletu a fratre R. Gaufredi [1] si sanctum videret episcopum. Sic etiam vidit eum Vicarius Massilie, dominus R. de Bausio. Sed dicto *Requiescat in pace,* hominibus quidem disparuit, set angelicis sociatus est choris, ubi coronatus immarcessibili gloria in splendoribus Sanctorum torrente inebriatus divine dulcedinis et semper desiderata sui specie Conditoris perfruitur sine fine. (P 16).

34. Post felicem eius transitum ad celum, cepit continuo divina clemencia per Sanctum suum eius implorantibus suffragium impartiri beneficia, miracula operari; cepit fama eius in populis divulgari et usque ad aures Summi Pontificis domini Bonifacii pape igitur mirabilium et signorum pervenit noticia. Venerabiles quoque archiepiscopi Arelatensis, Ebrudinensis, Aquensis eorumque suffraganei ac cives Massilie eadem ipsa seriosius explicantes, supplicaverunt devota instancia Summo Pontifici memorato, qui sanctitatis vite illius non erat ignarus, ut eum, quem Deus tantis et tam continuis clarificabat miraculis, Sanctorum cathalogo dignaretur ascribere. . (P 17).

35. Sed quia in hiis Romana Sedes cum multa maturitate procedit, et Summus Pontifex, nondum exacta disquisitionis indagine, vita functus est [2], iidem prelati civesque Massilie successori ipsius Clementi (103 b) V per solempnes nuncios porrexerunt supplicacionem eamdem, multiplicata aientes et miracula et testimonia sanctitatis. Quibus perceptis, Summus Pontifex dominis Guidoni Sanctonensi et Raymundo Lectorensi episcopis, egregiis ac litteratis viris, de Fratrum suorum consilio per apostolica scripta mandavit [3], ut de vite ipsius meritis ac miraculis, veritate diligencius inquisita, quicquid invenirent de his, scriptum fideliter sub ipsorum sigillis per certos et fideles nuncios destinarent. (P 18).

36. Ipsi vero ad complendum mandata Massiliam personaliter accedentes, que denuntiata fuerant Summo Pontifici, tam de vite sanctitate quam de miraculis per testes plurimos et ydoneos ac fide dignos vera fore reperiunt, et iuxta formam mandati sub propriis transmittunt sigillis. Tunc Summus Pontifex transmissam inquisicionem nonnullis Cardinalibus discuciendam commisit, et ex hac luce, pendente discussione, migravit [4]. (P 19).

37. Post hec dominus Iohannes papa 22, qui magister huius Sancti non modico tempore fuit, ex continua conver[sa]cione cum eo de sanctitate ipsius cercior, puta qui eius gesta et acta et vidit oculis et manibus contrectavit [4], cepta securius ad finem adduxit debitum, inquisicionem prefatam examinari faciens per plurimos Cardinales. Qua tandem discussa et a cunctis Cardinalibus approbata, de Fratrum suorum consilio et omnium prelatorum, qui tum erant in curia, communi assensu canoniça-(103 c)-vit et Sanctorum cathalogo annotavit cum mira solempnitate, anno Domini 1317, septimo Ydus aprilis, anno primo sui pontificatus, Avinione; precipiens festum ipsius 14 Kalendas septembris a cunctis fidelibus devocius celebrari; dans indulgenciam duorum annorum ipsa die visitantibus sepulcrum ipsius et duarum quadragenarum; infra octavam autem, unum annum et XL dies. (P 20).

5 inebriatus] debriatus P. 6 specie] spe P. 16 nondum] tamen B. 19 Lectorensi] Lacterensi B. 38 indulgenciam] indulgencias P.

[1] Raymundus Gaufredi fuerat Minister glis Ord. Min. (1289-95); de quo cf. H. Holzapfel, *Manuale historiae Ord. Fr. Min.*, Friburgi Brisg., p. 45, 50 sq. [2] Bonifacius VIII obiit 11 oct. 1303. [3] Vide eius bullam supra, p. 1-3. [4] Clemens V obiit 14 aprilis 1314. [4] Cf. Ioan. 1, 1.

38. Anno vero Domini 1329[1] idem Papa misit ad translacionem ipsius 6 Cardinales, et in presencia regis Ierusalem et Sicilie, fratris eius, et regine multorumque prelatorum et baronum, concurrente eciam cleri ac populi innumera multitudine, cum stupendis solempniis et reverencia multa corpus eius de terra levatum est et in argenteo et ornato sarcophago super altare reconditum in ecclesia, sumptuoso opere ad ipsius dedicata honorem, ubi per eum Dominus multa miracula operatur. Nam 15 mortui per eius merita redierunt ad vitam, et multi alii infirmi sanati sunt a diversis infirmitatibus. (P 21).

1. (103 c). Puer vij annorum ... Petrus Duranti (Proc. 130; Bulla, n. 2; Orta, n. 70).
2. (103 d). Domina Maria (Orta, n. 69).
3. (104 a). Domina Sancia de Tribulana (Mir. 205; Orta, n. 71).
4. Cum Gantelmeta (Proc. 132; Bulla, n. 3; Mir. 123).
5. (104 b). Rostagnus Albua de Narbona (AA. SS. 792 b, n. 84).
6. Rainosa de Mannasca (AA. SS. 793 a, n. 85).
7. (104 c). Iacobus macellarius (AA. SS. 793 a, n. 85).
8. Iacoba Rascabona (AA. SS. 193 a, n. 86).
9. Iacoba Ariola obstetrix (Proc. 122).
10. Adalasia Reclandi (AA. SS. 793 a, n. 86).
11. (104 d). Adalasia Lombarda de Rocha (Orta, n. 71).
12. Puer unius anni ... cadens de fenestra (Proc. 239; App. I, n. 16? AA. SS. 793 a, n. 87).
13. Dominus N. de Narbona (AA. SS. 793 a, n. 87).
14. Quidam habens runcinum (Mir. 103).
15. (105 a). Beatrix Bruna et Ricarda (Proc. 296; Orta, n. 66).
16. (105 b). Guillelmus de Mossaco (Proc. 233; Bulla, n. 15; Orta, n. 67).
17. (105 c). Domina Beatrix (Mir. 56; Orta, n. 68).
18. Quidam Massiliensis de Sardinia veniens (Mir. 209).
19. P[etrus] de Forolivii (Mir. 139; App. I, 23).
20. Iohannes Sifredi ex gravi infirmitate visum amisit. Facto voto, fuit sanatus plenarie.
21. Constantinus Mercerii (AA. SS. 793 b, n. 90).
22. (105 d). Puer x annorum (Proc. 176; Orta, n. 60).
23. Rixindis de Podio Ricardi (AA. SS. 793 b, n. 90).
24. Galterus Anglicus (AA. SS. 794 a, n. 90).
25. Alegreta etatis duorum annorum (AA. SS. 794 b, n. 90).
26. (105 d). Domina Maria Guillelma (AA. SS. 794 b, n. 91).
27. Dominus Poncius Romani canonicus (AA. SS. 797 a, n. 109).
28. (106 a). Dominus abbas de Lura (Mir. 197).
29. Domina Aycaida (AA. SS. 794 a, n. 91).
30. Dominus Iacobus Marconii (AA. SS. 794 b, n. 96).

1 6 cardinales] G. cardinalem P. 3 eciam] et P. 4 stupendis] stipendiis B. et[2] *om.* P. 6 15] alii P.

[1] Corrigas *1319*. Cf. supra, p. 403, nota 5.

31. Fr[ater] de ordine beate Marie (AA. SS. 794 b, n. 95).
32. (106 b). Fr[ater] custos Massiliensis.
Multis aliis miraculis clarificavit Dominus sanctum suum.

Subsequens schema hic ponere iuvat, ut relationes inter supra editas Legendas Puteolani (**P**) et Calotii (**C**) primo intuitu appareant. Simul autem sub littera **O** indicantur referentiae ad numeros crassiores Vitae S. Ludovici a Ioanne de Orta exaratae (cf. p. 335–80), quae alias pro utraque supra dicta Legenda non raro bis repetendae fuissent. Hac vero referentiae non sic intelligendae sunt quasi tum Puteolanus tum Calotius omnia verbotenus ex **O** desumpserint, sed ut notentur elementa narratorum in **P** et **C**, et non semel horum ipsamet verba, quae in O inveniri possunt.

C	P	O	C	P	O	C	P	O
1	2. 7	19 s.	14	—	12. 11	27	12	33. 35
2	8	21	15	6	14	28	—	29
3	9	27. 4	16	5	32	29	—	29
4	11. 14	7. 42	17	2. 5	4	30	15	49
5	—	37 s.	18	—	36	31	15	48 s. 39
6	3	20	19	13	43. 40	32	15	50
7	—	23	20	10	44	33	16	50
8	4	25. 31	21	9. 11	19. 44	34	17	52
9	4. 11	27. 24	22	12	23	35	18	73
10	4	24	23	14	40	36	19	74
11	6. 14. 5	12. 11	24	—	39	37	20	74 s.
12	5	8. 9	25	—	23	38	21	75
13	1	3. 2	26	—	34	—	22	—

* * *

Alia habetur Vita S. Ludovici anonyma in Parisiensi Bibliotheca Nationali, Ms. lat. *5376*, eademque mutila in cod. Ottobon. lat. *2516*, de qua fusius actum est in AFH XL (1947), 118–40. Hanc autem hic non inserimus, quia, ut ibi probatum exstitit, est tantum prima quaedam redactio, stylo oratorio et non parum turgido exarata, quae nihil novi affert quod pro hagiographia alicuius sit momenti aut utilitatis.

H. Sedulius quoque Antverpiae 1602 quamdam Vitam S. Ludovici edidit[1], quae inserta invenitur in AASS, aug. t. III, 806–22. Hanc in editione nostra non recipimus, quia Sedulius codicis conventus sui Lovaniensis textum non fideliter tradidit, sed libere addendo, transponendo ornandoque eum edidit, ita ut iam impossibile evadat discernere quid editor de suo ingenio, quidve ex codice afferat. Quare de hac Sedulii elucubratione non duximus curandum.

[1] *S. Ludovici, Caroli II, Regis Siciliae filii, ex Ordine Minorum, Episcopi Tolosani. Vita. P. Henricus Sedulius e tenebris eruit, stilo et commentario illustravit.* Antverpiae, Ioan. Moretus, 1602.

BINA LEGENDA "ALMUS CHRISTI"

I. — Legenda Liturgica.

L = London. Brit. Museum, *Additional* MS 23.775, fol. 1r–10v. P = Paris. Bibl. Nat. Ms lat. 1064. fol. 392c–97a. S = Mediolan. Bibl. Ambrosiana cod. N. 39 Super. fol. 1r–5v. V = Vatican. lat. 4752, fol. 534b–35d. Vatican. lat. 7592, fol. 344a–45b.

Integrum textum habent soli codices PS, ceteri deficiunt locis a nobis in margine signatis.—S textui praemittit: *Incipit vita beati Ludovici Episcopi de Ordine fratrum Minorum.* Z habet: *De sancto Ludovico Episcopo et confessore de Ordine fratrum Minorum.* — Quod textus divisionem attinet, codices non sunt concordes. Codex P habet trinam seriem novem Lectionum, quam sequimur, quamque per litteras A B C distinguimus; S et V dividunt in novem Lectiones, quas ad margines signabimus; in LZ nulla divisio occurrit[1].

A. – Lectio 1. — * Almus Christi confessor et episcopus Ludovicus, ex illustrissima * SV I prosapia oriundus, patrem habuit Karolum regem Siculorum, matrem vero Mariam, filiam regis Ungarorum. Qui licet more regio fuerit in aula regia deliciis regalibus educatus, Dei tamen preventus gracia, etatem moribus transcendens, nulli animum voluptati dedit, set quasi ab ipsis cunabilis sacra illustris pueri infancia divinam elegit pocius servitutem. Ab ipso namque puericie sue tempore cor gerens senile[2], pueriles insolencias viriliter abiecit, seque divinis obsequiis per sacre meditacionis et oracionis studia devocius mancipavit. (O 2)[3].

Lectio 2. — * Cum vero iam annum XIV attigisset, ut tamquam lapis electus in * V I superne Ierusalem hedificio collocandus, probativis tribulacionum tunsionibus quadraretur[4], ductus est in Cathaloniam et pro patris sui liberacione pacisque reformande paccione obses datus, ac sub militari custodia est arctatus. * In huius itaque tribulacionis * V I camino positus, quamvis plurima fuerit perpessus tedia multaque sustinuerit gravamina, nulla tamen prorsus fractus aut mutatus est iniuria, quin ymo exemplo et verbo fratres suos aliosque qui cum eo erant obsides confortans, non quasi fenum in igne denigratum fumavit, set tamquam *aurum in fornace*[5] probatum clarius rutilavit. (O 4).

2 oriundus] ortus S Siculorum] Cecilie S 3 Ungarorum] Ungarie S more] in ore Z fuerit] fuerat P 4 preventus] proventus P moribus *om.* V 5 ipsis *om.* P cunabulis] carnalibus S 7 abiecit] obiecit Z studia] studium P 9 iam *om.* L attigisset] attingisset S ut] vel *add.* Z. *Saepe hic scriptor in medio textu ponit signum graphicum l' (=vel), quod in fine linearum pon solet, non ut in textum inseratur, sed ut lineae perfecte adaequentur.* 10 probat. tribul.] probacionis tribulacionibus V 11 Cathaloniam] Chantaloniam S 12 datus *om.* Z ac] atque P; *om.* S custodia] in castro Siurane *add.* Z est *om.* V tribulacionis] tribulacionibus V 13 sustinuerit] sustinuit V 14 fractus] tractus P mutatus] immutatus L V Z est *om.* Z 15 aliosque] ambos V

[1] Textum edidit E. Alenconiensis, ap. *Analecta Ordinis Minorum Capuccinorum*. XIV (1898), 120-26. [2] Cf. Tob. 1, 4. [3] Ita remittitur ad numeros crassiores ex Ioan. de Orta, *Vita S. Ludovici,* supra edita, pp. 335-80. [4] Allusio ad hymnum *Caelestis urbs Ierusalem,* in Officio Dedicationis ecclesiae ad Vesperas. [5] Cf. Sap. 3, 6.

tio 2. tio 4. **Lectio 3.** — * Attendens autem puer sapiens, quod, iuxta Sapientis verbum[1], *data sapienti occasione, sapientior fit,* nacta occasione huiuscemodi, ad acquirendam sapienciam animum transferre sollercius cogitavit. Cui se tam studiose coaptavit, quod infra septennium quo obses fuit, sub magisterio et informacione Fratrum Minorum, quos semper secum informatores in moribus et sciencia habuit, divina opitulante gracia, imbutus humanis ac divinis litteris plene fuit. (O 14).

Lectio 4. — Tam sufficienter quippe in ipsius mundam animam sapiencia introivit, quod non solum ad convenienter eloquendum ac predicandum de divinis erat peritus, set eciam ad profunde tractandum et subtiliter disputandum de profunditatibus theologicis et obscuritatibus philosophicis inveniebatur ydoneus, sicut frequens tio 5. effectus et multiplex experiencia comprobavit. * Et quia non ad ostentacionem, set ad sui proximorumque hedificacionem vir sanctus scire cupiebat, Sancto eum illustrante Spiritu fiebat ut, crescente in eo sciencia, cresceret simul vite mundicia et consciencie sanctimonia. (O 14).

tio 6. **Lectio 5.** — * Non enim, ut plerisque solet accidere, propter lectionis studium omittebat devote oracionis ocium aut sacre operacionis exercicium, quin ymo ad Deum orandum devocior et ad bene operandum prompcior ex Scripturarum studio reddebatur. tio 3. tio 7. * Quamvis igitur a primeva etate consuetus esset officium Beate Virginis semper dicere, tamen ex quo aliquid sciencie attigit, qualibet die intermisse dicere addidit, iuxta Fratrum Minorum Breviarium, totum ecclesiasticum officium diurnum pariter et nocturnum. (O 8).

Lectio 6. — Officium quoque Passionis Domini dicere solitus erat tenendo brachia ad instar crucifixi extensa, ut Christi crucifixi dolorem posset vel ex parte aliquatenus tio 8. experiri. * Multa eciam alia divinarum laudum munia devote cotidie Domino persolvebat. In vigiliis nichilominus ac ieiuniis, eciam interdum panis et aque, paupe- tio 9. rumque obsequiis ac aliis pietatis officiis seipsum sedule exercebat. * Confitebatur sepe et communicabat tam devote, ut intuentes ad sacramenti reverenciam excitaret. Verbum quoque Dei audire cum magna aviditate et humilitate animi frequentabat. Orans autem, vultu sereno oculos ad celum levans orabat, exteriorisque vultus composicio interioris leticie testis erat. (O 9, 24, 10, 8).

Lectio 7. — Perurgente dehinc eum Dei Spiritu, quem pura mente conceperat, ad tantum mundi pervenit contemptum, quod, spreto terreni honore regni omnique

---

1 attendens] videns P 2 nacta] nata P huiuscemodi] huiusmodi V ad *om.* L sapienciam] divinam *add.* S 3 animum] se P sollertius] solicitus P coaptavit] coarthavit P quod] ut S 6 ac] atque P plene] plenius P; plenus Z 7 tam] nam P mundam] mundanam S 8-9 ac predicandum - peritus *om.* V 9 peritus] promptus L P S prof. tract. et *om.* V 10 frequens] sequens P 12 proximorumque] et proximorum V scire *om.* V 13 eo] eum P V; *om.* S simul] et *add.* P V 14 sanctimonia] augeretur *add.* S 16 omittebat *om.* S ocium] actum P Deum] devote L 17 scripturarum] scripture Z 19 attigit] attingit S intermisse] intermissa V 20 Minorum] consuetudinem seu *add.* L fratrum - Breviarium] ecclesie romane consuetudinem S 22 domini dominice] P 23 instar] modum P ut *om.* S Christi crucifixi *om.* P 24 munia] munera P S V 25 pauperumque] pauperum L 26 pietatis] pietatum P 27 tam *om.* S intuentes] intuentem Z; quam plurimum *add.* S sacramenti sacramentorum] P; sacramentum Z sacram. reverentiam] sacramentiam L excitaret] excitabat V 28 quoque *om.* Z animi] anime 29 autem] nullum *add.* S celum] celos P 29-30 vultus comp. interioris *om.* Z 31 Dei *om.* L 32 mundi] regni V terreni] terre et Z omnique] omni L

---

[1] Prov. 9, 9.

ornatu mundi [1] ac universo luxu seculi, nullius mortalis consilio inductus, set proprio motu Deique nutu ductus, firma mente deliberavit voceque Deo votum emisit seculum totaliter deserere, et in Fratrum Minorum religione paupercula Domino deservire *. Quod quidem votum pium ac sanctum propositum tam medullitus eius menti a Deo fuit impressum, ut, sicut cuidam viro religioso sibi multum familiari aliquando dixit, nulla racione unquam ab eo divelli potuit, quin ymo ex allegatis in contrarium vehemencius firmabatur. (O 24, 19, 20, 37).

Lectio 8. — Unde et post liberacionem suam statim in Monte Pesulano Ministro et Fratribus se obtulit, requirens instanter, ut sibi habitus Ordinis donaretur. Verum Ministro et Fratribus, timore scandali patris hoc facere recusantibus, non habens vir Dei quid amplius faceret, votum, quod prius secrete emiserat, cum quanta solempnitate valuit, iteravit. Ad consenciendum eciam provisioni episcopatus Tolosani, per dominum papam de se postea facte, nullatenus potuit inclinari, quousque habitum Fratrum Minorum recepit et in manu generalis Ministri professionem solempniter de licencia pape fecit. * Pace denique inter regem Aragonie et regem Sicilie, patrem sancti viri, auctoritate Romane ecclesie per Dei graciam reformata, regibusque ipsis amicicia et affinitate sibi coniunctis, post septennium, quo pro Rachelis amore servierat [2], exiit vir sanctus liber a servitute cum Rachele simul et Lia, sibi a Patre luminum copulatis, multa prole bonorum operum comitatus. (O 21, 22).

Lectio 9. — Statim vero reiecto habitu laicali, sumpsit coronam et habitum clericalem ac in nupciarum regis Aragonie et sororis sue celebracione, presentibus ambobus regibus duobusque apostolice Sedis legatis et innumera multitudine prelatorum, baronum ac populi copiosi, in festo Omnium Sanctorum predicavit. Exinde Romam cum patre et fratribus suis pergens, a domino papa Bonifacio cum grandi honore susceptus, ordinatur subdyaconus ab eodem. Ubi aliquamdiu commoratus quasi quoddam sanctitatis speculum toti Romane curie honestatis exempla et eximie conversacionis vestigia dereliquit. Strepitum vero curie fugere cupiens, Neapolim se transtulit et, dyaconatus ac sacerdocii devotissime susceptis ordinibus, in castro Ovi, quod est in maris insula, ab habitatione hominum separata, decrevit cum Fratrum Minorum sociorum suorum aliorumque virorum honestorum comitiva ydonea commorari. Ubi locum solitudinis nactus, suavibus Rachelis amplexibus perfrui cupiens, devote oracionis et sacre lectionis studiis sine intermissione vacans, divinis consolacionibus multipliciter est refectus. * Cernens autem Lia se quasi sperni, non est passa Iacob diucius cohabitare Racheli. (O 22, 15, 32).

---

1 ornatu mundi] ornatum regni V   seculi] mundi Z   1-2 set proprio - ductus *om.* S   2 nutu] motu LV   voceque Deo votum] votumque Domino V   3 deservire] servire V. *Cetera desunt in V, ubi iam sequuntur antiphonae ad Laudes et per Horas.*   4 pium] primum P   6 unquam *om.* L; nunquam Z   allegatis] sibi *add.* S   13 papam] Bonifacium *add.* S   postea *om.* P   14 recepit] receperit LP   15 viri *om.* L Z; sancti viri *om.* S   16 per Dei graciam *om.* P   regibusque] rebusque L   17 servierat] serviebat P   18 simul *om.* P   Lia] alia Z   multa] multaque P   20 reiecto] eiecto P; relito Z   21 sue *om.* L   22 duobusque] et duobus P   23 copiosi] barchinone *add.* Z   exinde] et exinde P; et inde Z   24 Bonifacio] octavo *add.* P   27-28 ac sacerdotii - susceptis *om.* Z   28 est *om.* P   ab *om.* S   29 separata] separatas L   sociorum suorum *om.* P   30 nactus] natus P; tractus S   31 suavibus] suavis S   33 Lia *om.* Z   se *om.* S

---

[1] Cf. Responsorium VIII in Officio non Virginis.   [2] Alluditur ad Gen. 29, 18.

Infra octavam lectiones.

B. - Lectio 1. — Deo nempe disponente, Tolosana vacante ecclesia, considerans prudens pontifex Bonifacius felicem fore tantam ac talem ecclesiam, si tanto ac tali sponso eam contingeret desponsari, de sancto hoc, licet absente, curavit eidem ecclesie providere. Quamvis igitur invitus atque renitens, humiliter tandem obediens, avulsus est a Rachelis pulcre uberibus, qua se gaudebat potiri, Lieque lippe traditus[1], coactus est curis exterioribus occupari. (O 22).

Lectio 2. — Pontificali vero cathedra sublimatus, quanto alciori gradu se stare conspexit, tanto profundiori se humilitate deiecit. Cum enim prius uteretur vestibus clericalis honestatis, cepit ex tunc uti vestibus regularis mendicitatis. Quas cum paucis diebus clam portasset ad patris scandalum evitandum, palam post solempniter sumpsit et simplici vilique Fratrum Minorum veste manifeste contectus rudique chorda succinctus de loco S. Marie de Araceli usque ad S. Petrum in urbe Roma discalciatus et pedes ivit, ac deinceps usque ad finem vite sue semper tam in occulto quam in manifesto huiusmodi habitu usus fuit. (O 22 s.).

Lectio 3. — Necnon cortinis et aliis lecti opertoriis tam pretio quam colore vilibus utebatur. Nunquam equo insedebat, set mulo satis despecto, omni ornatu superfluo ac curioso a sella, freno et calcaribus resecato. Licet enim a Summo Pontifice licencia sibi data fuisset, quod expensas faceret, non solum ut episcopus, set sicut magni regis filius, hac tamen licencia uti renuit, dispensatorique domus sue precepit, ut, moderatis expensis pro se et familia sibi necessaria factis, residuum pro Christi pauperibus reservaret*. Unde nec venaticos canes aut aves in curia sua unquam haberi sustinuit, nec hystrionibus nec aliis personis levibus aliquid exhiberi, ut et bona ecclesie pauperibus distribueret, ac humilitatis formam in se servaret eiusque exemplum aliis demonstraret. (O 34).

Lectio 4. — *Inter omnia siquidem divina karismata, ab Altissimo Datore sibi concessa, humilitas in eo tamquam *gemma carbunculi in ornamento auri*[2] precipue fulgebat. Per hanc quippe, cum in veritate esset sanctitatis vasculum ac honestatis speculum, sentiebat, dicebat ac scribebat se peccatorem vilissimum. Ob hanc reprehendi se a Fratre socio faciebat, reprehensoremque specialiter diligebat, et ab ipsum racione huius calumpniantibus defendebat. Per hanc servus Christi servilia ac vilia officia exer-

1 Tolosana *om.* Z 2 Bonifacius] octavus *add.* P 3 desponsari] desponsariam S ecclesie] ecclesia S 4 atque renitens] autem retinens L tandem] tandere S avulsus] evulsus P 5 est *om.* L a *om.* P potiri] amplexibus *add.* P Lieque] dieque Z lippe *om.* L 10 clericalis honestatis] clericalibus honestis Z 11 post] postea Z; et *add.* P 12-13 rudique - succinctus *om.* S 13 in] de P Roma] romana S Z 14 et] eciam P tam *om.* Z 15 huiusmodi] huiuscemodi L Z 17 opertoriis] coopertoriis P; opertoris S; opertoribus Z 18 a] ac L sella] et *add.* P 19 expensas] spensas P set] eciam *add.* P 20 tamen] attamen P; *om.* Z uti] utique Z dispensatorique] dispensario itaque S 21 expensis] spensis P familia] sua *add.* P Z 22 reservaret. *Hic cessat* Z. venaticos] venationum P sua *om.* P unquam *om.* S haberi] habere S 23 nec[2]] vel P personis *om.* L aliquid] quid P 24 in se *om.* P 26 altissimo] largo L datore] doctore P 28 ac honest. speculum *om.* L 29 ac scribebat] ascribebat S; ac *om.* P reprehendi se] reprehendisset P se *om.* L 30 fratre] suo *add.* P reprehensoremque] suum *add.* P ab] ob L P; *om.* S 31 huius] huiusmodi a P S

[1] Cf. Gen. 29, 17 et 24. [2] Eccli 32, 7.

cere optabat; ideo cogitavit aliquando religionem Fratrum Minorum in remotis partibus introire, ut tamquam ignotus et despectus posset scopare domos, lavare paropsides ceteraque servilia obsequia liberius frequentiusque actitare. (O 36 s.).

Lectio 5. — Effectus denique antistes, in Fratrum Minorum monasteriis, in quibus ut plurimum hospitari solebat, ad lavandum paropsides ceteraque coquine utensilia cum eisdem Fratribus se ponebat. Non solum autem superioribus aut equalibus, set eciam, ut Christi exemplo *omnem* impleret *insticiam*[1], inferioribus se subdebat ac humiliter ministrabat; ideoque aliquando Fratribus sociis suis collacionis tempore serviebat; set et pauperum hospitalia sepe visitans, infirmos consolans, obsequebatur eisdem et necessaria ministrabat. (O 39, 44, 43).

Lectio 6. — Quadam equidem vice, iam existens episcopus, cernens quamdam vetulam paupereulam in paleis miserabiliter decubantem, pietate victus, cum societate honesta eius domunculam introivit grabatoque illius appropians dulcibus sermonibus confortavit et de cibariis, que de domo sua iussit afferri, propriis manibus eam pavit. Domum autem reversus ita pediculis fuit plenus, quod eciam mutatis vestibus vix ab eis potuit emundari. Non tamen vir Dei ex hoc in aliquo fuit turbatus aut a similibus officiis pietatis ullatenus est retractus. (O 43).

Lectio 7. — In Cena quoque Domini, adhuc eciam laicus existens, duodecim pauperibus evocatis, ipsorum manus abluens, propriis manibus eos pascens et poculum porrigens, humillime postea pedes lavit. Set et in Parasceve, cum in ecclesia leprosum quemdam horridum prospexisset, memor illius qui quasi leprosus apparuit[2] et plagatus, ipsum voluit osculari. Timens vero aliquos qui secum erant presentes offendere, domum rediens, eumdem evocatum ad se fuit cum devocione et humilitate maxima osculatus. In crastino quoque simile facere publice ad exemplum aliorum disposuit, set leprosi presenciam habere nequivit. Tribus quoque pauperibus lavare pedes quolibet sabbato consuevit. (O 40 s.).

Lectio 8. — O si videres regis filium in croceis enutritum, pontificemque magnum die quolibet viginti quinque pauperibus sordidis et despectis flexo genu aquam manibus fundentem et pulmenti paropsides apponentem panemque scindentem, magis mirareris Ludovicum sic in pulvere procumbentem quam Salomonem in throno aureo residentem! * Quamvis autem humilis Christi servus servilem se ostenderet habere per- * S lect sonam propter admirandam humilitatem, nichilominus tamen ministerium suum more apostolico[3] honorificans, pontificalem conservabat auctoritatem. (O 40).

Lectio 9. — Licet enim personis miserabilibus mitissimum se exhiberet per misericordiam, superbis tamen et Dei contemptoribus severus erat per insticiam. Miro quippe modo ad bonos, quamvis secundum seculum pauperes essent et impotentes, affi-

1 optabat] cupiebat L ideo] ideoque P cogitavit] cogitabat P; cogitarat S 3 frequentiusque] et frequentius L S 4 effectus] factus S 5 ut *om.* S 9 visitans] vesitans S et[2]] ac P 12 miserabiliter] mirabiliter S 13 eius] eiusque L S appropians] appropinquans L dulcibus] dulcis S 15 eciam] et S 16 fuit *om.* L S aut *om.* S similibus] similis L 17 officiis] ofeciis S ullatenus] nullatenus P S est *om.* P 19 ipsorum] eorum P 20 postea *om.* P et] cum P cum in ecclesia *om.* P 22 ipsum *om.* L presentes *om.* L offendere] et precipue fratres suos *add.* S 23 eumdem] leprosum *add.* P 24 exemplum] exemplar P 25 nequivit] nequit S 27 enutritum] nutritum P 29 et *om.* L 34 enim] eciam L 36 quippe] quidem S

[1] Matth. 3, 15. [2] Cf. Isai. 53, 2. [3] Cf. Ioan. 13, 14.

ciebatur, et malos, eciam seculi prosperitate seu nobilitate fulgentes, detestabatur. Ideoque eos, quibus de beneficiis ecclesiasticis providere habebat, de moribus ac sciencia diligenter examinabat, et sufficientibus, quamvis pauperibus, ea liberaliter conferebat. Ad conferendum vero insufficientibus, licet nobilibus, flecti minime poterat precibus aut favoribus quorumcumque. (O 28 s.).

C. - Lectio 1. — Clericos quoque sibi subiectos delinquentes regulari discipline subdebat, eis eciam, cum oporteret, adepta iam beneficia auferendo. Sic eciam vir hic angelicus condescendebat per fidelem dispensacionem ad proximum, ut eciam non cessaret per devote oracionis et contemplacionis continuacionem ascendere ad Deum. Omni enim fere die Missam celebrabat, nec propter laborem itineris omittebat. In dominicis quoque et festivis diebus Missam solempniter celebrans, cum grandi solempnitate officium fieri faciebat. Ordinaciones quoque clericorum, consecraciones virginum et ecclesiarum cum mira devocione et omni gracia peragebat. (O 11 s.).

ectio 8. **Lectio 2.** — * Ut autem ad Deum purius per contemplacionis graciam evolaret, victus parcitate, vestitus aperitate et alia multiplici corporis austeritate carnis superbiam atterebat; ad carnem siquidem funem nodosum et hispidum deferens, staminia aspera pro camisia utebatur, catenulisque ferreis flagellari se faciens. Mulierum aspectus et consorcia fugiens, ociumque malorum sentinam a se radicitus excludens, carnem cogebat spiritui deservire. Tanta denique pudicicia refulgebat, quod exemplo sui, cum adhuc secularis existeret, nonnullos de custodibus, qui olim nimis impudice vixerant, ad pudicicie semitam revocavit. (O 24 s., 26).

Lectio 3. — Hunc itaque exemplarem virum, mundo celitus datum, placuit Deo ad sui gloriam Ecclesieque profectum parum ante suum obitum tamquam alterum *angelum habentem Evangelium eternum, volantem per medium* Ecclesie *celum*[1] deducere, *ut* exemplo et verbo *evangelizaret sedentibus super terram*[2] et ad Dei timorem ac amorem efficaciter induceret omnes gentes. Nimirum, ecclesie causis exigentibus, Romam egressus, diversis Italie Galliarumque decursis provinciis, evangelizando ubique[3] tam sermone quam opere regnum Dei, pervenit Parisius et inde ad ecclesiam Tolosanam. (O 16).

Lectio 4. — Unde post diffusa apostolice vite aromata evangeliceque doctrine semina, pertransitis montibus Pyreneis, subiit Yspaniam, peragrataque Cathalonia, in Provinciam est reversus. A cuius gloria commota est omnis terra[4]; properabant undique ad ipsius vultum angelicum intuendum. Tanta quippe aviditate ad eum populus concurrebat, quod aliquando propter pressuram turbarum se comprimencium nonnulli evadere mortis periculum vix valebant. Tandem divina disponente providencia,

3 sufficientibus] sufficientis S 6 sibi *om.* P 7 oporteret] aliquando *add.* L iam *om.* S auferendo] auferebat L eciam] autem L S 9 et contemplacionis *om.* L contemplacionis] et *add.* S 10 celebrabat] celebrat et S omittebat] committebat L 12 quoque] eciam L S consecrationes - ecclesiarum *om.* L 14 ad *om.* S evolaret] evolaretur S 15 vestitus] vestibus P asperitate] austeritate L austeritate] asperitate L superbiam] superbia L 16 atterebat] austerebat L S staminia] *ita* P *corr.*; stamina L 17 catenulisque] catenis quoque P; catenulis S 18 fugiens *om.* P ociumque] omniumque L; *om.* P 19 sui] eciam *add.* P L 20 olim *om.* S 22 Deo] domino L 23 profectum] profectus P 24 volantem] volantemque L 25 exemplo] sui *add.* L evangelizaret] evangelizare P 26 amorem] honorem L S induceret] deduceret P 27 egressus] reversus P provinciis] et *add.* P 29 unde] et inde L 31 a cuius gloria] ad cuius gloriam P est[2] *om.* L 31-32 properabant undique] que pluraliter undique procedebat P 32 ipsius] ipsum P; eius S 33 concurrebat] currebat P

[1] Apoc. 14, 6. [2] L. c. [3] Cf. Luc. 9. 6. [4] Cf. Matth. 21, 10.

que hunc sibi placitum et dilectum, expletis multis temporibus *in brevi*[1] consummatum ad se decreverat evocare. (O 46 s.).

Lectio 5. — Vir sanctus in loco, qui Brinonia dicitur, vite sue viginti tribus annis et dimidio expletis, vi febrium correptus mortisque prescius, cum ingenti devocione receptis sacramentis omnibus, crucis tropheum tenens in manibus, Christi et Virginis Matris eius laudes continue pronuncians, gaudens et iubilans anno Domini M°CC°XCVII, XIV Kalendas septembris ad Dominum feliciter transmigravit, sepultusque est in ecclesia Fratrum Minorum civitatis Marsilie, iuxta quod vir sanctus, cum adhuc viveret, ordinaverat. (O 48 s., 51).

Lectio 6. — * Hunc igitur virum mirabilem, utpote paupertatis amore predivitem, humilitatis profunditate sublimem, columbina simplicitate prudentem, carnis mortificacione vividum * omnique morum honestate conspicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, post vitam fecit incomparabiliter clariorem. * S lectio — Cessat L.

Lectio 7. — Beato namque viro, Deo facto dilecto, et tamquam vas auri purissimi de igne materiali huius seculi eruto et ad eternitatis gloriam translato, cepit Deus, exaltator humilium [2], nomen eius inter fideles populos exaltare et ad ipsius invocacionem multis et magnis miraculis coruscare, ut sublimitas sanctitatis eius, qui, dum viveret, per exempla perfecte iusticie innotuerat mundo, per miracula divine potencie post mortem comprobaretur e celo. (O 52).

Lectio 8. — Siquidem cecis et surdis, mutis et claudis, hydropicis et paralyticis, demoniacis et leprosis, naufragis et captivis aliisque variis morbis affectis, divine faciei superradiante aspectu, ipsius meritis remedia sunt collata ac quibuscumque necessitatibus et periculis laborantibus oportuna subsidia clargita; quodque maius est omnibus hiis, quampluribus mortuis vita mirabiliter est restituta. (O 52).

« Laudetur[3] igitur magnifice Deus noster, cuius dextera huic episcopo confert stelliferum diadema. Applaudant pariter celi cives, quorum cetibus sanctus iste, sole splendidior, est insertus. Canant quoque altissone Francie et Sicilie atque Ungarie regna felicia, de quorum horto candoris nivei flos erupit, quorum vitis germinat dulcem uvam, cuius liquor celos letificans habunde infunditur in calice Summi Regis ». (Bulla, p. 399, l. 10-15).

Lectio 9. — « Letetur insuper civitas Tolosana tanto dotata presule, quem *apud Deum advocatum*[4] habet sedulum et patronum. Verum felix es tu et Marsilia, facta divinorum aromatum tam sacrati corporis apotheca ». Letetur « Fratrum Minorum Ordo conspicuus, nove laudis canticum promere non de-

---

1 placitum] placidum P   3 vir] itaque *add.* P   loco] provincie *add.* S   Brinonia] Briniola L; Bindola P   vite sue *om.* P   4 vi] in S   correptus] correctus P   5 tropheum] trofeis S   manibus] e *add.* S   7 transmigravit] commigravit L   sepultusque] sepultus P   8 cum] dum S   9 ordinaverat *om.* S   10 mirabilem] admirabilem L   12 vividum. *Hic cessat* L.   14-15 vas-puris. *om.* S   15 materiali *om.* S   eruto] erupto P   17 invocacionem] exaltacionem P   18 innotuerat] innotuerit P   19 comprobaretur] eum comprobaret P   21 demoniacis] demoniatis P   naufragis] naufragiis P   22 aspectu] respectu S   ac] P et   23 et] atque P   subsidia] remedia sunt P   24 quampluribus] quamplurimis P   32 conspicuus] aspicus P

---

[1] Cf. Sap. 4, 13.   [2] Cf. Matth. 23, 12.   [3] Sequens additio « *Laudetur — representans* » occurrit in solo cod. P, qui ea verba ex Bulla canonizationis desumit, ut Lectiones 9 perficeret, quae et nos hic minoribus litteris impressa ponimus potius quam, ut deberemus, ea ad apparatum criticum deiiciamus. Desunt autem in cod. S, qui est melioris notae, et recte post vocem « *restituta* » (l. 24) concludit « *prestante — Amen* » (p. 421, lin. 1-3); quae apud P quide mhabentur, sed eo loco connexionem cum verbis Bullae habere non videntur.   [4] I Ioan. 2, 1.

sistat, in aula celesti tam preclarum alumnum festive aspectibus divinis represcntans », prestante Domino nostro Ihesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. (Bulla, l. c., l. 15–20; O 51).

***

Hic verbulum adiicere liceat de Legenda Surii, *Historiae seu Vitae Sanctorum,* edita Augustae Taurinorum 1877, p. 424–6, § 1–4. Haec revera nihil aliud est quam fidele compendium Legendae nostrae liturgicae, ex qua non raro ipsamet etiam verba assumit. Legenda nostra, uti diximus, habet tres series novem lectionum, quas pro faciliori collatione distinximus litteris A B C. Conferendo has cum 4 paragraphis Surii sequens habemus schema: Surius § 1 = A 1–7. § 2 = A 9. § 3 = B 1; A 8; B 2 3 4 7 8 (finis tantum) 9; C. 1. § 4 = C 2–5 7 8 (initium tantum).

II. — Alia Legenda « Almus Christi ».

Similis quaedam Legenda, pariter incipiens verbis « *Almus Christi confessor* », invenitur etiam in duobus aliis codicibus, nempe Vratislaviensi, Bibliotheca Universitatis *I. F. 271,* fol. 224r–27r, et Ligniciensi, Bibliotheca ecclesiae SS. Petri et Pauli, cod. *11* (¹), fol. 170r–76r, inter quos hic ultimus certe est peior. In editione tamen nostra Legendae liturgicae hos codices negligendos esse duximus ob sequentes rationes.

1. Hi duo codices nihil novi afferunt pro parte hagiographica. Omnia enim ibi relata inveniuntur, et quidem melius, in dicta Legenda liturgica, praeter illa mirabilia in citatis codicibus narrata, quae infra afferimus [2].

2. Licet dicti codices tamquam fundamentum habeant textum nostrum liturgicum, hunc tamen non fideliter sequuntur, sed quisque eum modo suo adhibet, variando, addendo vel minuendo, ita ut impossibile foret eorum variationes annotare, quin apparatus criticus in decuplum augeretur, et quidem absque ulla utilitate. Eorum textus videtur potius quaedam liberrima redactio, in qua quisque eadem facta suo modo exponit, satis libere quidem Vratislaviensis, liberrime vero Ligniciensis.

3. Tandem omnes istae variationes et elucubrationes sunt mere de genere litterario, quae etiam pro hac materia nullius sunt valoris. Linguam denique latinam parum curant, et usus constans participii sic dicti coniuncti, loco ablativi absoluti, quandoque sensum reddit absurdum.

Pauca exempla hic afferimus, ut cuique pateat hos codices merito negligendos fuisse, tum ob liberrimum cuiusque modum eadem facta narrandi, tum praesertim, ut diximus, quia nihil novi vel alicuius momenti afferunt quod rei hagiographicae prodesse valeat.

---

2 nostro *om.* S   Christo] ac Salvatore nostro *add.* P

---

[1] Ex hoc codice *11* plura de B. Marco Fantutii, Vicario generali O. M. Obs. Cismont. († 1479), edidit Benvenutus Bughetti, ap. AFH XXVII (1934), 95–145. Codex accuratissime descriptus est ibid., 132–45. Conscriptus est ab eodem fr. Bernardo, O. Cart., qui etiam codicem *12* in Cartusia Ligniciensi (Liegnitz in Silesia) exemplavit. Est vasti tenoris hagiographici franciscani. — Etiam cit. codex Vratislaviensis multas res franciscanas complectitur.

[2] Cf. p. 424–26.

Ligniciensis.

Set et aliis *Fratribus* ut exemplum daret *vere* humilitatis, *licet non esset nunciarius, tamen* pro elemosina ire ostiatim erat sollicitus, *nec pluviam, nivem lutumque abhorruit, quin discalceatus* et saccum in humero *positum pro elemosina ivit.* Unde accidit semel, ut in magna *pluvia et luto* pro elemosina iret *madidatus; portans saccum in collo, unum habuit obvium de suis amicis pocioribus, qui statim* patruo *regi Francie nunciavit,* qui in solempnitate cum suis principibus *et nobilibus* sedit. Qui precipiens ut *sibi aditus claustri occuparetur et* sicut ierat adduceretur. Quem adductum cernentes omnes flere ceperunt *et sibi assurgentes maxime honoraverunt,* et rex coronam suam deposuit et ad pedes sancti Ludovici proiecit. (172 c).

Unde accidit semel *ut* Missam audiret *cum familia sua, inter quos erat quidam qui omnes homines sprevit et seipsum meliorem estimavit. Sanctus autem Ludovicus, ut eum humiliaret et ad pietatem provocaret, sibi, pace a sacerdote accepta,* precipiens ut omnibus *in ecclesia* daret, *inter quos scivit unum leprosum deformem, fetidum et spretum.* At ille cum omnibus pacem dedisset et *ad leprosum venisset,* eum *despexit* et sibi pacem minime dedit. Quem cum sanctus Dei interrogasset utrum pacem omnibus *in ecclesia* dedisset, ac ille sic se fecisse respondit, ait *enim vir Dei:* « Non est ita ». Et per seipsum ad leprosum accessit et osculum *pacis ei* dedit, et *statim* a lepra *mundatus est.* (173 a).

Pertransitis itaque Franciam, Provinciam *est reversus; ad cuius adventus commota est terra universa. Et hoc non sine*

Vratislaviensis [1].

Ut *vero* daret aliis humilitatis exemplum, *secundum Ordinis consuetudinem* pro elemosina ostiatim ire solitus erat et saccum in humero *portabat nec nix nec pluvia eum prohibebat.* Unde accidit semel quod in magna *intemperie aure* pro elemosina iret; quod patruo *suo fuit nunciatum,* qui in solempnitate cum principibus suis sedit, precipiens ut sicut iret adduceretur. Quem adductum cernentes omnes flere ceperunt et rex *sibi assurgens in brachio eum recepit et* coronam suam deposuit et ad pedes sancti Ludovici proiecit *dicens: O quam felix essem si sic me humiliarer!* (225 c).

Cum enim semel Missam audiret *et in ecclesia quemdam leprosum presentem sciret, mandavit suo ministro* ut pacem omnibus daret. At ille cum omnibus dedisset et *leprosum vidisset,* eum *abhorruit* et pacem minime dedit. Quem cum sanctus Ludovicus interrogasset utrum pacem omnibus dedisset, et ille se sic fecisse respondisset, « Non est ita », *ait.* Et per seipsum ad leprosum accessit et osculum dedit et *sic eum* a lepra *mundavit.* (225 c).

Exinde vero rediens et in Provinciam *perveniens, tunc* vir quidam cum uxore tempore messis *laboribus intenti* infantem

[1] Litteris cursivis exarantur notabiliores differentiae utriusque codicis.

Ligniciensis.

causa, quia tempore messis vir quidam *pauper* cum *sua* uxore *infantem habuerunt; hunc, quia materno alimento carere adhuc non potuit,* in campum secum detulerunt. *Qui fideli labori intendentes,* infantem *in agro* reliquerunt. *Quem* corvus *quidam solum cernens, super eum volans* et oculos sibi eruit *quod de pupillis omnino nichil reliquit,* et sic evolavit *et in arbore alta consedit.* Quem parentes cernentes, lamentum *et clamorem* magnum *facientes, ita* quod plures *accurrerent* et miserum puerum *cum turbatis parentibus* viderunt. *Contigit autem, ut* sanctus Ludovicus ibidem transitum *faceret* et *clamorem tam lamentabilem audisset et ab eis didicisset, et parentes cum puero et corvum conspexisset,* misericordia motus, corvum *ad se* vocavit, ut oculos erutos sibi redderet precepit. Qui statim advolavit et quasi assuetus *super eius manus consedit* et oculos *sibi in manu posuit.* Qui eos in nomine Christi benedixit et puero restituit et *sic* eum illuminavit. Quod cernentes *homines* Deum et sanctum Ludovicum benedicentes et eius gloriam ubique proclamantes [1]. (174 d).

Ipse vero obitum suum longe ante prescivit. *Vir sanctus in loco Provincie, qui dicitur Marsilia, vite sue triginta tribus annis cum dimidio expletis, febribus correptus est;* matremque et *omnem parentelam* ad se vocavit, *de sua morte demulcens* et de gloria *celesti* exultans, eisque dixit: « Fateor ad laudem Dei, quod omnibus diebus vite *mee* nunquam peccatum mortale commisi, sicut michi a Christo revelatum est ». (175 a).

Vratislaviensis.

secum in campum detulerunt *et in sulco solum* reliquerunt. *Ad* quem corvus *pervenit* et oculos sibi eruit et sic evolavit. Quod parentes cernentes, lamentum magnum *faciebant in tantum* quod plures *occurrerent* et miserum puerum viderunt. Sanctus *vero* Ludovicus, transitum ibidem *faciens* et *causam tristicie intelligens multumque eis compaciens,* misericordia motus *super eos, et statim* corvum vocavit et ut sibi oculos redderet precepit. Qui statim advolavit et quasi *manu* assuetus *assedit* et oculos *sancto Ludovico reddidit.* Qui eos in Chisti nomine benedixit et puero restituit et eum illuminavit. Quod *omnes* cernentes Deum et sanctum Ludovicum benedicentes et gloriam eius proclamantes. (226 a b).

Ipse vero obitum suum longe prescivit. Matrem et *fratres* ad se vocavit *et de obitu suo eos consolans* et de gloria *paradisi* exultans, eisque dixit: « Fateor ad laudem Dei, quod omnibus diebus vite nunquam peccatum mortale commisi, sicut michi revelatum est a Christo ». (226 b).

---

[1] Idem brevius narratur supra, in Appendice II, p. 391, n. 20.

Mirabilia [1].

1. (L 170 a). Cum enim eum parentes sui in primevo iuventutis flore procreassent et mater eum in utero portaret et pro partus periculo ante ymaginem b. Virginis oraret, audivit vocem dicentem sibi: « Ne paveas, mulier, quia quoddam lumen salva paries, quod mundum plurimum illustrabit et quamplures ad Dei amorem accendet, et multos suis virtutibus et meritis salvabit ». Que, postquam eum salva parturivit, Ludovicum appellavit. Quem mater post partum materno affectu quasi ad loquendum sollicitans, set primum verbum quod protulit, dum stetit in matris gremio, dixit: « Ihesus Christus, Deus meus et salvator meus! ». (V 224 b).

2. (L 170 b). Unde accidit semel, cum adhuc quasi septennis puer esset et elemosinam, ut ex more suo habuit, in suo gremio portaret, patrem proprium obvium habuit, et pius puer, verecundia ductus, elemosinam in gremio abscondit et vestimento contexit. Quem pater videns, pietate motus circa puerum, quid ferret requisivit. Tunc pius puer quasi timidus, tamen Spiritu Sancto illustratus, rosas se ferre respondit. Quod pater audiens, cum esset in medio hyemis, plurimum mirabatur de sua responsione et sinum aperuit et rosas tam recentes ibi reperit, quod plurimum fuit recreatus et ad pietatem motus [2]. (B 224 b).

3. (L 171 a). Unde factum est ut spiritus malignus, qui est castorum corporum persecutor et mundorum cordium insidiator, quamdam mulierem pulcram set lascivam contra eum incitavit, que de petulancia carnis eum temptavit. Quam sanctus Ludovicus devote inspexit, et statim mulier corruit et exspiravit. Sanctus autem Ludovicus, sue damnacioni compaciens, lacrimosis oculis humiliter pro ea oravit et eam a mortuis resuscitavit. Que gracias agens Deo et sancto Ludovico et vitam suam in melius mutavit, et sic salvata fuit meritis sancti Ludovici. (V 224 c).

4. (L 171 b). Et cum hec pia mente revolveret et semel in ecclesia solus ante crucifixum oraret, videns dominicam crucem, cepit flere, hesitans in seipso, quam vitam vellet recipere, per quam possit animam salvare et securius Christo adherere. In eadem nocte apparuit sibi sanctus Franciscus cum multis de parentela sua in vestibus albis et dixit: « Que cogitas tu? Nescis quod ille qui te creavit, ordinabit de statu tuo? Scias ergo quod hii omnes salvati sunt per preces Fratrum, quia omnes fuerunt fautores Ordinis [3]. Si vis cum eis salvari, intra Ordinem et salvaberis ». Evigilans autem sanctus Ludovicus et de revelacione sibi divinitus facta plurimum confortatus et gracia [Spiritus] Sancti animatus, votum vovit Deo et sancto Francisco post liberacionem intrare Ordinem et Deo servire in voluntaria paupertate. (V 224 d).

5. (L 172 c). Set et aliis Fratribus... (L 225 c). Cf. supra, p. 422.

1 eum *om.* L procreassent] procrearent L 2 ymaginem b. Virginis] crucifixum L 6 post partum] infancia V affectu] affatu L 9 quasi septennis] quinquennis L 12 pius] sanctus L. 19-20 sue damn. comp.] compunctus V 21 gracia - Ludovico] penitenciam egit V 21-22 et sic - Ludovici *om.* V 24 dominicam *om.* L 26 multis de] omni L 28 quia - Ordinis *om.* V

[1] Praebemus textum cod. Liguiciensis (L) adnotando principaliores, non vero omnes, variantes lectiones codicis Vratislaviensis (V). [2] Idem mirabile narratur supra, Append. II, p. 391, n. 16.

[3] Alluditur forsan ad quamdam revelationem factam S. Francisco « quod nullus veraciter amans Ordinem suum malum finem haberet ». Cf. Celan., *Vita II*, Ad Claras Aquas 1941, p. 247, nota 3.

6. (L 173 a). Unde accidit semel ut Missam... (V 225 c). Cf. supra, p. 422.

7. (L 173 b). Unde accidit semel, quod Christus sibi apparuit, et cur se sic affligeret requisivit. Cui sanctus humiliter respondit: Non tantum pro se, set eciam pro sibi commissis hoc faceret, quia in extremo iudicio se racionem pro eis reddere oporteret. Cui Dominus respondit: « Promitto tibi, quod in tuo episcopatu nunquam aliqua anima, dum vixeris, peribit ». Quod et factum est, sicut ipse postmodum revelavit, quod in quatuordecim annis nunquam aliqua anima de suo episcopatu fuit dampnata. (V 225 d).

8. (L 173 c). Unde accidit semel in una sexta feria, ut quendam leprosum elegisset et coram se stare fecisset ut generosi Regis obprobria memor esset; ille leprosus eum benedixit, et quod ipse esset Christus sibi revelavit, et sic disparuit. (V 225 d).

9. (L 174 c). Pervenit itaque Parisius. Ut exemplum pietatis aliis preberet, et cum nichil preter solum habitum haberet, obvium habuit in porta quemdam pauperem, quem quasi nudum reperit. Cui multum compaciens habitum suum tradidit, seque nudato mox ipsum vestivit. Cumque se nocte sequenti sopori dedisset, celitus fuit in sompnis sibi ostensum Christum suo habitu esse vestitum. (V 225 b c).

10. (L 174 d) Pertransitis itaque... (V 226 a b). Cf. supra, p. 422 s.

11. (L 175 a). Ipse vero obitum suum... (V 226 b). Cf. supra, p. 423.

12. (L 175 b). Membra ipsius adeo mollia et tractabilia se prebebant palpantibus, ut conversa viderentur in teneritudinem puerilis etatis, et signis evidentibus innocencie decorabantur. Faciesque eius, que prius ex abstinencia pallebat, candore nimio renitescens, estivali pulcritudine pretendebat [1]. Rosa etiam rubea et pulcherrima de ore eius crevit, que odore suo suavissimo ita multum redolevit, quod plures ex eo fuerunt recreati, et videbantur se esse constitutos in amenitate paradisi. De corpore vero eius odor suavissimus exivit, qui multos refecit. (V 226 b).

13. (L 175 c). Cumque principes et nobiles sanctum corpus vellent levare et ad sepulcrum deferre, ecce angeli sancti affuerunt, ipsum cum ympnis et canticis levantes et ad locum sepulcri deducentes ibidem condiderunt. (V 226 b c).

14. (L 176 b). Qui cum eius sepulcrum reserassent et sarchophagum apperuissent, corpus eius sanctum, facie rutilans, odore suavissimo fragrans, in oleo natans invenerunt. De oleo quoque, quod de eius corpore sudavit, multa corpora infirmorum curata sunt, duo mortui resuscitati sunt. Quamplura eciam miracula facta fuerunt. (V 226 c).

(V 226d) *Sequitur exemplum de sancto Ludwico* [2].

Parisius erat quidam magister, qui sanctum Ludwicum valde dilexit et eius festum omni anno sollempniter peregit. Accidit semel in die sancti Ludwici quod post solempnitatem Missarum idem magister cum multis aliis magistris et studentibus iuxta flumen

4 in extr. iudicio *om.* V 8-9 elegisset] ad se vocaret L 9 fecisset ut] faceret et L esset *om.* L 10 ipse *om.* L 11 Pervenit - cum] cumque enim sic se ex pietatis operibus excitaret et pre manibus iam L 12 in porta *om.* L 18 et tractabilia *om.* L 19 viderentur] tractabilium *add.* L teneritudinem] teneritatem L 20 que prius - pallebat *om.* V nimio] niveo L 21 estivali - pretendebat] ut non quasi mortuus set quasi dormiens vivus iudicaretur V 23 esse constitutos] constituti V amenitate paradisi] paradiso L 25 ibidem condiderunt *om.* L 29 rutilans... fragrans .. natans] rutilantem.. fragrantem... natantem BL

[1] Fere omnia verba « *membra - pretendebat* » verbotenus sumuntur ex S. Bonav., *Legenda Maior*, c. 15, n. 2 et 3, *Anal. Franc.* X, Ad Claras Aquas 1941, p. 624.

[2] Quae sequuntur habentur in solo codice Vratislaviensi., cuius orthographiam servamus.

transisissent. Et tunc dictus magister cum duobus studentibus in naviculam ascendit, volens pro solacio meare. Illi autem studentes nescientes navem regere, subito subverterunt. Illis autem evadentibus, magistrum in flumine reliquerunt. Quod omnes qui presentes erant cernentes lamentum magnum facientes et lacrimosis vocibus clamantes: « Sancte Ludwice, adiuva! ». Mirabile dictu! Ille, quem timuerunt omnino submersum, quem plus quam ad unam horam sub aqua manentem omnino viderant, de aqua exivit letus et siccus et quod nec corpus nec vestimentum in eo fuit madefactum, protestans ad honorem sancti Ludwici quod (227a) de navi cecidit clamavit: « Sancte Ludwice, adiuva me »! Statim sanctus Ludwicus affuit et proprio clamide eum contexit et eum in aqua duxit tamdiu incolumem et illesum.

Item aliud exemplum.

In provincia Coloniensi erat quedam mulier nobilis unicam filiam habens, que sancto Ludwico suam vovit castitatem. Mater vero cum bonis temporalibus habundaret, multi eam vexabant pro filia, volentes eam in coniugem habere, et continue ei suadebatur ab amicis ut eam desponsaret. Tandem acquievit et eam desponsavit, statimque puella cepit infirmari et tandem nimia infirmitate detenta moriebatur. Pater vero vehementer se afflixit pro morte filie, maxime eo quod sciebat quod desponsacio contra voluntatem filie causa infirmitatis et mortis extiterat. Accidit autem in festo sancti Ludwici quod funus portaretur ad ecclesiam Fratrum ad sepeliendum, et predicator recitans miracula sancti Ludwici de mortuis suscitatis, tunc mater commota clamorosis vocibus clamavit, ut sanctus Ludwicus suam dignaretur suscitare filiam, promittens suo servicio perpetue mancipandam. Mirabile dictu! Statim voto facto a matre, filia surrexit incolumis et matri et omnibus gaudium fecit. Cumque repeteretur a sponso tamquam sua, subiit mater: « Sponsam tuam tibi Deus abstulit, set filiam meam sanctus Ludwicus mihi reddidit et sibi sponsam elegit ».

Item exemplum aliud.

Negociator quidam, sancto Ludwico valde devotus, de omnibus mercimoniis suis eum honoravit, ut sanctus Ludwicus eum in bonis temporalibus conservaret et spiritualibus ditaret. Omni anno illum habens modum in festo sancti Ludwici Fratribus sollempnem pietanciam faciendi accidit semel quod pro (227b) negociis suis transiens ad tantum periculum devenit quod omnes qui erant in navi de vita desperarent et, ut navis alleviaretur, quidquid habere poterant a se iactarent. Predictus vero mercator in ista tribulacione magnum fistum auri in mare iactavit. Tandem, invocante eo sancto Ludwico, mare factum tranquillum et sic cum salute ad portum pervenit. Contigit ut sequenti die in festo sancti Ludwici ad forum pergeret ut Fratribus, ut moris habuit, pietanciam emeret, invenit magnum piscem in foro, quem emit et ad conventum portavit; quem cum incidisset, totam substantiam suam in eo reperit. Qui sancto Ludwico gracias egit et in bona consuetudine permansit [1].

Iuvat hic breviter illa indicare miracula quae narrantur tum in *Chronica XXIV Generalium Ordinis Minorum,* ap. *Analecta Franciscana* III, ad Claras Aquas 1897, tum ap. Bartholomaeum Pisanum, *De conformitate vitae B. Francisci ad vitam Do-*

[1] Cf. AA.SS, aug. III, p. 795 s. n. 97 ex apographo Aroldiano.

mini Iesu, in *Anal. Franc.* IV, ibidem 1906. Horum plurima ap. Waddingum et AA. SS. ex Sedulio et aliis recensentur; quorumdam tamen fontem non deteximus, nec ea alibi invenimus narrata. Ex omnibus iis tantum quatuor in Processu invenimus examinata. Brevitatis causa sola initia narratorum afferimus.

EX *CHRONICA XXIV GENERALIUM.* AF III.

P. 435. *Qualiter quendam ad sanctum Iacobum misit.* Anno Dni MCCCXVIII...
P. 436. *De curato ab ictu sagittae.* Anno Dni MCCCXXII... (Wadd., *Annales,* an. 1298, n. 20; AA. SS, mensis aug. III, p. 796 b, n. 104).
De milite a morte liberato. Anno Dni MCCCXXIII... (Wadd., l. c.; AA. SS, l. c.).
De filio miraculose impetrato. Anno Dni MCCCXXV quidam nobilis...
P. 437. *De equitante a magno mortis periculo liberato.* Anno Dni MCCCXXVI, cum frater Araldus... (Wadd., l. c., n. 17; AA. SS, l. c., p. 793 b, n. 89).
Qualiter frustum carnis in puerum animatum convertit. Fuit quidam homo nobilis... (Wadd., l. c., n. 16; AA. SS, l. c., p. 792 a, n. 82).
P. 438. *Qualiter puer ex utero frustatim eductus fuit resuscitatus.* Quaedam mulier nobilis... (Wadd. et AA. SS, l. c.)
De puero mortuo, soluto voto, resuscitato. Quidam nobilis et eius uxor... (Wadd., l. c., n. 17; AA. SS, l. c., p. 792, n. 83).
Qualiter liberavit quemdam suspendio elevatum tribus vinculis fractis. Anno Dni MCCCIIII, fuit bellum in Apulia... (Wadd., l. c., n. 12).
P. 447, l. 7. Anno Dni MCCXCVII in Brinonia... (Proc., p. 97, l. 27 ss.; Orta, n. 50).
l. 20. Cum homo quidam... (Proc., p. 233, c. 184; Orta, n. 67).
l. 26. Cum enim vir quidam laxatis habenis... (Proc., p. 145–49; App. I, n. 10; Wadd., l. c., n. 16).
l. 34. Cum autem in Marsilia... erat ibi quidam expertus medicus...
P. 448, l. 7. Iohannes primogenitus regis Franciae Philippi huius nominis VI...
P. 449, l. 12. In regno Portugalliae in castro, quod Begia dicitur... (Wadd., l. c., n. 18).
l. 35. In villa Ripaudensi, castro regni Castellae, Iohannes de Villanova... (Wadd., l. c., n. 20; AA. SS, l. c., p. 796 b, n. 106).
P. 450, l. 14. Anno Dni MCCCXLII duo nobiles mercatores...
P. 451, l. 24. Circa idem tempus erat in Marsilia...
l. 35. Vulgatum etiam est quod in Italia dicitur contigisse. Cum enim quidam mercator.. (AA. SS, l. c., p. 795 a, n. 97–99. Cf. supra, p. 426).

EX PISANO, *DE CONFORMITATE.* AF IV.

P. 315, l. 28. Mulier quaedam nobilis de Tholosa...
l. 32. In Monte Pessulano, dum praedicasset...
P. 316, l. 24. Marsiliae duo erant fratres... (App. II, n. 21; Wadd., l. c., n. 12).
l. 27. In civitate Aretii puer natus mortuus... (Wadd., l. c., n. 17; AA. SS, l. c., p. 793 b, n. 89).
l. 29. Alium puerum oppressum ab equo... (Proc., p. 145–49; App. I, n. 10; Wadd., l. c., n. 16).
l. 31. Quendam de Cibottolo, (AA. SS, l. c., p. 796 a, n. 102, ex Pisano).
l. 38. Quicumque tres *Pater noster*...
l. 42. Frater Franciscus Formica de Senis... (AA. SS, l. c., ex Pisano).

CODICES WASHINGTONIENSES

Notabilia.

Impressis iam nostrae editionis paginis 1–391, tardius ad nos pervenerunt duo optimae notae codices ex Washington, Holy Name College, *19* et *32*[1]. Iuvat ergo ex eis afferre quae notatu digna sunt, praesertim variantes lectiones ad *Translationem, Monasterium Venetum* et *Vitam S. Ludovici* a Ioanne de Orta exaratam.

I. — HOLY NAME COLLEGE cod. 19.

(Fol. 2r–8r). Textus acephalus bullae canonizationis: « manifestans. Igitur letentur celi ... annotanda » (Cf. supra, p. 395, l. 15–397, l. 38).

(8r–21r). Succincte narrantur 26 miracula. *Incipit:* « Nota quod predictus Summus Pontifex annotari fecit hic hec miracula sub compendio, que habentur in libro sue canoniçationis diffusius scripta et examinata dignis et veris testimoniis et demum per predictum Summum Pontificem suis cum fratribus approbata ».

Series miraculorum.

(8r). *Primo. De puero suscitato. Carta lij^a^.* In civitate Massilie ... Bertranda[2] (Proc. 122).

(8v). *De infantula suscitata. liiij^a^.* In castro Sancti Remigii ... Iacoba (Proc. 126–8; Bulla, n. 1).

De puero suscitato. liiij^a^. In civitate Massiliensi ... Massilia nomine (Proc. 128 s.: App. I, n. 12).

(9r). *De puero suscitato. lv^a^.* Vir quidam, nomine Petrus (Proc. 130–2; Bulla, n. 2; Mir., n. 42; Orta, n. 70; App. I, n. 8).

(9v). *De infantula suscitata. lvj^a^.* In civitate Massilie ... Gentalinetam (Proc. 132–4; Bulla, n. 3; App. I, n. 13).

(10r). *De infantula abortiva suscitata. lvij^a^.* Alaratia de Aquis (Proc. 134–6; Bulla, n. 4; App. I, n. 11).

(11v). *De infantula suscitata. lviij^a^.* Quidam, nomine Adam, parisiensis (Proc. 136-8; App. I, n. 14).

(12r). *De puero suscitato. lviij^a^.* Quidam vir, Ugo Lamberti (Proc. 134–40; Bulla, n. 5; App. I, n. 7).

---

[1] Cf. Seymour de Ricci, *Census of Medieval and Renaissance Manuscripts*, t. I, p. 473, New York 1935.

[2] Sola initia damus textus 26 miraculorum, quae succincte in codice narrantur. Notandum quod codex sequitur in his ordinem *Processus*, uti ex locis inter parentheses citatis apparet, et quidem iuxta codicem nostrum Mutinensem, cuius etiam folia seu « cartas » annotat.

(13r). *De infantula suscitata. lxa*. Mulier quedam, uxor Gulielmi de Sancto Egidio ... Margarita (Proc. 140 s.; App. I, n. 9).

(13r s.). *De muliere suscitata. lxa*. Mulier quedam, Dulciana (Proc. 141–4; Bulla, n. 6).

(13v s.). *De infantula suscitata. lxja*. Quidam, nomine Petrus Iustini (Proc. 144 s.).

De infantula suscitata. lxja. In civitate Carpentoratensi (Proc. 145–9; App. I, n. 10).

(15v). *De muliere illuminata. lxiija*. Berengaria nomine mulier (Proc. 149 s.; Mir., n. 28).

(15v s.). *De viro illuminato. lxiiija*. In Foroiulii provincia, unus cui nomen Ugo (Proc. 150 s.; Orta, n. 58).

De viro illuminato. lxiiija. In civitate S. Pauli quidam Stephanus Blancardi (Proc. 151–3; Orta, p. 370, lin. 3).

De muliere a surditate liberata. lxva. Rixenda de Fayrenza (Proc. 153–5; Bulla, n. 7).

(16v). *De quodam viro a surditate liberato.* Antonius quidam, Paroni nomine (Proc. 155–7; Orta, p. 369, lin. 1).

Item quidam Iacobus Picoti (Proc. 157 s.; Bulla, n. 8).

Similiter quedam mulier, vocata Alaratia (Proc. 158; Bulla, n. 9; Orta, n. 57).

Ab atractione liberati. lxviija. Filius cuiusdam Iacobi, Paulus[1] nomime (Proc. 161).

Item multi etiam ab atractione membrorum meritis ipsius sancti curati sunt. (Proc. 162-76).

Ab ydropisi curati. Item, plures ab ydropisi curati, nonnulli siquidem a paralisi, plerique gutosi orationibus ipsius beati Ludovici perfecte liberati sunt. (Proc. 182–96).

(17r). *De quadam muliere liberata. lxxa*. Dulcesa, uxor cuiusdam viri, cui nomen Michael Bermundi (Proc. 165–9; Bulla, n. 10; Orta, n. 54).

(18r). *De gutosis.* Item nonnulli ab infirmitate gute (Proc. 187–96); quamplurimi a febre (Proc. 196–206); multi etiam a morbo caduco (Proc. 206–10); alii a peste (Proc. 226–7); quidam a postemate (Proc. 200–4), meritis ipsius sancti liberati sunt. Item a periculo maris multi salvati precibus eius (Proc. 228–33).

De clerico furioso. lxxxiiija. In Carpe[nto]ratensi ecclesia ... nomine Raymundus (Proc. 221; Orta, n. 63).

(19v). *De quodam incredulo. xcviija*. Quadam die dominica ... Gulielmus lapicida (Proc. 233; Bulla, n. 15; Orta, n. 67).

(20r s.). *De muliere incredula. xcixa*. Gaufreda Rosa (Proc. 236; Orta, n. 66).

(21r). *Conclusio.* Hec sunt mirabilia opera solius Altissimi quibus et aliis quam plurimis mirificare voluit sanctum istum ac toti mundo reddere venerandum. Laudetur ... (22v) festive divinis conspectibus representans (Cf. supra, p. 399, lin. 9–19).

(21v). *Canonizatio eius.* Ceterum quia ... (23r) misericorditer relaxamus. Datum Avinioni vijo Idus aprilis, pontificatus nostri anno primo. (Cf. supra, p. 399, lin. 20–40).

(23r). Multa quidem et alia mirabilia habentur in libro sue canonizationis largius prenotata et testibus dignis examinata atque approbata, e quibus plurima scripta succincte sunt, ne legentibus fastidium pariant.

(f. 23r–24v). Officium Missae mutilum in fine: Epistola in festo sancti Ludovici. Lectio libri Sapientie. Cap.lo VIIJo. Iuvenis et acutus inveniar ... corpus incoinquina-

---

[1] In Processu vocatur Guillelmus.

tum. In festo S. Ludovici. Ad Missam. Evangelium secundum Marcum. Cap.lo X°. In illo tempore dixit Ihesus discipulis suis: Sinite parvulos ... vade quecumque. (Cf. supra, p. 262, lin. 20 sqq.).

In Translatione Sancti Ludovici.

VARIANTES LECTIONES [1].

f. 26r–33v. Textus acephalus *Translationis,* cuius hic variantes lectiones afferimus. *Incipit:* « Appropinquante igitur tempore quo spiritum redderet celo ... in secula seculorum. Amen ». (Cf. supra, p. 259, lin. 3 – p. 262).

P. 259. — 6 completis] expletis 17 Marsilie] Marsie 18 quamdiu] quam 19 peciit] requisivit qui] postea *add.* 20 eciam *om.* 24 mensium] mensibus 25 Cathalonie] in Cathaloniam 27 virtutis] sue *add.* 34 scilicet *om.* 35 Brinçola] Brinzola.

P. 260. — 2 videlicet *om.* sepultus] est *add.* 10 ibi] ibique 11 et facularum] facularumque 13 ibi] ibique 14 altissimis] altissimo 16 ipsius] eius 17 febricantes] febricitantes 18 pluribus] plurimis 21 quamplura] plurima 22 in *om.* 24 testimoniis] optimis et *add.* 26 ipsius *om.* 28 inexperta] experta 34 se] sese 35 contempnendo] si *add.*

P. 261. — 1 Deus] Dominus 2 supplicacioque] suppliciterque 8 nobilitati] nobilitate 9 ita *om.* 12 undecimus] vj 15 maxima *om.* 18 miraculis] vitaque eius *add.* 19 obedire *om.* 22 de cardinalibus] cardinalium ut] et 25 a Domino *om.* evocatus] sublatus 26 qui] et 29 perficere *om.* 31 omnibus] et *add.* 36-37 in civitate Avinionis - residebat *om.*

P. 262. — 18 Et sic est finis *om.* 28 vende] vade 28-29 omnia - sequere me *om.*

Monasterium S. Ludovici Venetiis.

VARIANTES LECTIONES ET ADDITAMENTUM [2].

P. 263. — *Titulus:* Venerabilis et optimi religiosi Pauli de Maffeis, canonici regularis Ordinis sancti Augustini, epistola ad prestantissimum sacerdotem Thomam Cremonensem in visionem illam preclarissimam de edificatione ecclesie et monasterii sancti Ludovici in hac illustrissima civitate Venetiarum 10 istum] illum 18 vel] aut 19 me] in Christo *add.* 22 perspecta] perspicua; *sed in marg.* alias perspecta in *om.* 24 huiuscemodi] huiusce adolescentia] consecuti *add.* 28 collabiit] collabuit.

P. 264. — 1 an] ac 4 rebus volunt] aliorum ingeniis solent 5 libere] libereque 10 delegam] delegavi 15 confidentia] fictum *add.* 17 ratione] silentio *add.* 22 et[1]] ac Item quia] itemque 27 cepit] ceperit 30 optimum] *In marg.* vel maximum 37 timere] veridicis *add.* que] quas 38 incipiamus] Explicit prologus. Narratio ipsius visionis *add.* 42 etiam] autem.

P. 265. — 6 preceptionibus] *In marg.* alias institutis 8 exornata] ornata; *sed in marg.* alias exornata 10 adeo] a Deo 15 visionem] *add. rubricam:* Quo tempore habuit visionem hanc preclarissimam 16 illuscente] illucescente 18 levissimus] tenuissimus 21 collobio] colbio 23 ad se *om.* 24 spectas] prospectas 25 tibi] absolute *add.* 27 cum] eum

---

[1] Cf. supra, p. 258-62. [2] Cf. supra, p. 263-69.

29 inquit *om.* 30 inquit] tibi *add.* 32 quod] qui 36 que] nec *add.* 37 nullo] ullo potuerunt] potuere 38 iterum *om.* 41 institute] instructe 43 titulus] titulum.

P. 266. — 12 atque] ac 15-31 cuius - delegit] *om. Folium 43 deest.* 36 modis] in *add.* 43 sanctissimo] sacratissimo.

P. 267. — 2 venerabiliter] ab episcopo *add.* absque] ulla *add.* 3 qui] et 4 locatur] locatus 9 quadrangulari] quadranguli 12 concepte] conscripte 23 inquit *om.* 25 omnis] omnes 27 omnino studiose] omni studio 28 admonitis] monitis quidem] quod 31 quarum] quorum 32 isto] ipso 36 impulsibus dellata] impulsionibus delata 37 se *om.* 39 proinde] inde 41 monstrarat] monstravit.

P. 268. — 4 Venetiarum] Venetiatus 5 sancta] tanta. *In marg.:* Nota laudes domini presbyteri Leonardi Pisano preditus vite] predictus virtute 8 nundum] nondum 9 peperint] peperiverint 10 morem] modum 23 providentiam] providentia 25 huiuscemodi] huius 27 quod] quo 29 Antonius] *In marg.:* Nota laudes domini Antonii Venerio ducis Venetiarum 36 quibus autem. *Hic in editionis nostrae codice, inter fol. 111 r et 112 r, deficiunt folia, immo probabiliter deest unum quaternium. Codex autem Washington.* 19, *fol. 49v-59r, solus recte continuat ut sequitur:*

Qui oraculis erant divinis increduli, stabant in sententia, ne violaretur prorsus
49v. *decretum; quibus autem*[1] mens moderatior fuerat * salubriusque consilium, censebant fidem adhibendam esse mulieri, set et decernebant non reluctandum fore penitus voluntati divine. Patribus plebis inter se non mediocriter in rei diffinitione dissentientibus, negotium ipsum nimis periclitari videbatur; quod totum contentionis genus non latuit omnino mentem sapientissime femine.

Sane, ipsa nocte intempesta, qua deliberatum fuerat supplicatum iri senatui, adest sanctus Ludovicus; in somno facie iocundissima sese illi representat, iubet, admonet, adhortatur ut institutum opus ceptumque negotium magno cum animo et constantia
50r. peragat *, nullo pacto fore sibi dubitandum quin tandem res prospere ac de auspicato procedat. Sex, inquit, patrum conscriptorum, qui illustrissimo cum duce cuncta decernunt, quatuor habebis contrarios mee postulationi, quos nulla ratione velim prorsus pertimescas. Neque enim *est* ullum *consilium contra* Deum[2] immortalem et bonum, quo labefactari aut impediri queat institutio eius. Certe dies infra paucissimos e rebus cedent humanis iudicio Dei qui tibi in causa ista religiosissima adversabuntur; neque istud ab[s] re fiet aut absque summa ratione consilii. Ea enim iusta animadversione confecta,
50v. facile a reliquis intelligetur non oportere omnino * neque utile esse mortalibus sapientissimi atque optimi Dei reluctari potentie. Que omnia sicuti sibi divinitus sunt premonstrata, feruntur contigisse ad unguem iuxta verbum antiquum.

Interim mulier instat summa cum industria, studio, diligentia quo senatus ipse conveniat in sententiam. Tandem vicit religio impietatem ac studia bonorum fuere maiora pravis ingeniis. Censent patres conscripti decreto perbello facultatem donari liberam nobilissime femine edem sacram edificandi cum appenditio monasterio, eo urbis loco quem sibi dormienti affirmabat celitus fuisse monstratum. Re definita, ingenti
51r. cum gaudio bonorum * omnium, emitur illico a vidua fundus tum pecuniis pauculis, que sibi iure hereditario sive dotario censu provenerant, tum peramplius piorum civium largitionibus.

---

[1] Cursivis litteris notamus verba editionis, ut sensus phraseos facilius intelligatur.

[2] Cf Prov. 21, 30.

Iaciuntur fundamenta[1] ipsa templi pulcherrimi, altare sanctum erigitur, celebrantur ibi divina misteria, domus edificatur inde monastica, fano ipsi contigua, que paulatim multa post tempora ex denariis piorum virorum atque sanctarum mulierum ad perfectum usque tandem adducta est. Anthonia vidua nobilis, plus multo sanctissima, suam habitationem cum paucis collegis eo loci constituit et non dies neque noctes a divinis lectionibus, * oratione atque abstinentia fatigatur. Prebet se frugi femina omnibus virtutum f. 51v ductricem spiritualium, quodque preclarissimum est genus laudis, summa cum humilitate utitur singulari magisterio sanctitatis.

Sed neque, cum monasterii ipsius fundamenta locarentur, defuit insigne vulgatumque prodigium, quo luce clarius constaret omnibus non diabolica illusione (uti fit sepe), set certissima revelatione Dei religiosam mulierem ad ag[g]ressum negotii huiusce permota[m] esse. Dum enim ab artifi[ci]bus ipsis accurate intenditur fabricario operi, ea die, qua primo cepit locari sacrarium, plerique probati viri et fidelissime * femine, f. 52r quorum adhuc quidam vivere feruntur atque istud constanter asserere, ibidem adstantes vident lucem quamdam e loco fosso surgere humane forme similimam; erat quippe aspectu gratissima et radiis splendidissimis circumfulsa. Que cum se supra locum tulisset, post aliquantulum more versus Murianum opidum tendens, paulatim oculis non sine multa admiratione contuentium subtracta est. His igitur veluti pulcherrimis divine voluntatis auspiciis erigi atque fabricari cepit is locus, quem videmus porro his diebus nostris perfundi tanto splendore exemplorum vite monastice, ut nulli restet penitus * ambigendum quid significationis protenderet lux illa preclara adoriri, que initiis f. 52v sanctis, dum fabricare mulier studet, manifestissime apparuit.

Sed neque effugit animum beate femine quam copiosus cetus monialium sanctarum post eius mortem ipsum locum incolere, Deo servire, celestibus disciplinis sese dedere debuisset. Ipse quidem gloriosissimus presul his de cunctis in visu eam plene reddidit certiorem. Nam quo letiorem promptioremque illam efficeret ad laboriosa primordia sacri templi: « Vive, inquit, secura, egregia mulier, quod post tuum discessum e vita ista mortali uberrimus atque cumulatissimus virtutum fructus a congregatis * in loco f. 53r sororibus sub una lege viventibus bene instituta Christo, immortali ipsarum sponso, reddetur, set et vite continentissime earum admirabilis quedam fama Deo hominibusque suavissimum odorem tota in urbe diffundet. Denique tanta erit celebritas et fragrantia sanctitatis ut multe virgines atque vidue prestantissime, spretis deliciis, ambitione relicta, omni spe mundi destituta, sub iugo levissimo obedientie, amore divino tracte atque ibi collecte, numerum perficiant, qui sacratus est, quinquagenarium ». Eam sane propheticam visionem partim iam, Thoma mi suavissime, in presentiarum videmus expletam, multiplicata nimis copia pudicarum sororum, quas * tuis erudis consultationibus f. 53v saluberrimis; reliquum quod restat in brevi absque ulla ambiguitate existimamus conficiendum. Gaudemus autem non parum, verum ingenti cum letitia recordamur numerum illum sororum, idest septenum septies iteratum, unitatis perfectione coniuncta a sancto viro precipue delectum esse, qui iubilei, scilicet plene remissionis, in seipso contineat

1 Iaciuntur] *In marg.:* Dominus Franciscus Bembo episcopus Castelli primum posuit lapidem Missamque celebravit. 22 apparuit] In marg. *alias visa est* 23 sanctarum] In marg. *alias sacrarum*

[1] A Francisco Bembo, episc. Castelli ab 27 aug. 1401, † 6 sept. 1416. Cf. Eubel, *Hierarchia catholica medii aevi,* Monasterii 1913, I, 171.

sacramentum, maxime cum memorata matrona illis diebus aspexerit in meditulio monasterii iuvenem quemdam incomparabili pulchritudine et honestate conspicuum, quem, si recte intelligimus, Christum exstitisse illarum sponsum; si vero Ludovicum maluerimus oppinari paraninphum ipsarum, qui * eas in sponsalitium thalamum introducat, non ingratum erit accipere.

Superest ut his addamus breviter rem, uti reor, non plane indignam memoratu, ymo satis periocundam futuram ipsi sacro collegio monacharum, de habitu ipso in visione ostenso impensoque desideratissime mulieri, quasi primarie ac magistre religionis, quam Christus per eam instituere decreverat. Fiet, sicuti ego percogito, quo summa cum voluntate studeant imitari hanc matrem religiosissime filie in frequentibus meditationibus suis, si intellexerint prius in quali contemplationis genere illa cotidie versabatur. De his enim, que sepe et multum nobiscum in vigilia * cogitamus, eedem rerum species atque ymagines ut plurimum formari in animo, cum nos sopori quietique dederimus. Unde hec vidua, philosophiam quamdam edocta divinam, dies noctesque conterebat in crucifixi Iesu optimi Dei vigilantissima atque attentissima meditatione, secundum illam que Deum humanitati nostre coniunctum fecisse in mundo ac fortiter tolerasse pro nobis inviolabilis sancte fidei pietate credebat. Quam ob rem fiebat sepenumero ut, cum somno forte opprimebatur, iisdem in premeditatis formis mens eius, Deo agente, volutaretur, quibus vigilans fuerat ardenter atque dulciter agitata.

Ea res cum frequentius fieri soleret, quadam nocte, dum corpusculum * femine sopori est deditum, spiritus eius divinitus, ut fertur, est raptus. Quo in mentis excessu videt se perduci in ignotam quamdam viam, cuius limes angustus apparebat et longus· Huius vici cum demum pervenisset ad finem, videt continuo aram quamdam constitutam in loco satis ornatam, cui vir quidam venerabilis forme stabat innixus. Eum intuita curiosius, deprehendit esse Ludovicum antistitem, a quo olim mandatum de monasterii institutione susceperat. Que cum se vocari ab eo et accersiri persentit, pergit ad illum impigerrima, prostrataque ad pedes illius, quid velit sanctus dicere aut peragere, summa cum diligentia prestolatur. Tum ille cervici manus eius imponens et psalmum * trigesimum quartum [1] totum super eam canens, sacris quibusdam divinis (uti aiunt) initiavit. Quo facto: « Velim te, inquit, Anthonia, novis vestimentis induere ». Statim autem palmis extensis porrigit ille sanctus candidissimam talarem stolam, subtili satis arte contextam, quam capiti suo superpositam mulier, brachiis paulumper elevatis, per omnia corporis membra ad terram usque defluxisse persensit. Tradit idem castissime vidue genus aliud vestimenti, cuius nitidissimus color nigredini cuidam infuse erat non inconvenienter admixtus; eius vero palii superioribus partibus consutum erat quoddam capitis operimentum cum quadam coronula * superintexta, spinis septem acutissimis insignita. Eam vestem, adhortante se sancto, pia vidua superinduit. Sed et funiculum quemdam collo eius innectens: « Feras, inquit, hunc, mulier, memorabili pro benivolentia Dei tui, cuius presidio tuta eris ne ullum tibi officiat genus adversitatis ».

Hiis ita peractis, presul ipse benignus iocunda facie et familiari colloquio rationem exigit a prestantissima femina, quid habitus ipse collatus sibi significet, quo ipsa divinum mysterium et incarnati Verbi cognoscat archanum. Tum illa tacita secum aliquanta

35 quoddam] quiddam

[1] Ps. *Iudica, Domine, nocentes me.*

considerationc percogitans, talc fertur multo cum fletu viro sancto dedisse * respon- f. 56v sum: « Vestem, inquit, albissimam subterpositam arbitror significare carnem illam virgineam, nulla peccati labe pollutam, quam, anime rationali coniunctam et animatam, Verbum ipsum increatum Patris ingeniti de Maria matre purissima et perpetua Virgine solo Sancti Spiritus adiumento assumpsisse et singulariter sue persone unisse fides catholica confitetur. Ista autem tunica superposita, que nigro colore perfunditur, eamdem etiam mihi carnem representat boni Dei, que columne alligata, flagellis cesa, attrita vulneribus, sputis linita, confossa spinis, felle amaricata, livoribus labefacta, lacessita contumeliis, me egram, me infelicem, * me indignam revocavit ad gratiam. f. 57r Funem vero qui in collo pendet nihil aptius reor significare quam cathenas ipsas aut vincula, quibus vinctus traditur Deus meus, ut de servitute diaboli absolveret me ligatam ». Que cuncta cum sanctus ita esse affirmasset, ut ipsa divino afflata instinctu egregie diffinierat: « Surge, inquit, famula Christi prudens, et iterum ad unum rogata responde: « Habes, uti prevideo, in pedibus calceos, ritu quorumdam hominum superiore parte perpatulos; eo quidem more apostoli etiam a plerisque ambulasse dicuntur. Quid illa indicent foramina sandalorum velim mihi abs te breviter dici ». Cui illa presto * respon- f. 57v dit: « Nescio, inquit, convenientius quid sentiri queat per ipsas fixuras significari quam clavos illos qui potentissimum omnium Deum cruci affixum perfodere ac tenere valuerunt ». Quod cum assensisset fore verissimum, disparuit ille; ipsa vero, humanis sensibus reddita, cum evigilasset, memoravit se ista vidisse.

Multas preter id habuit illustris et religiosa matrona visionum species divinarum, quas silentio sciens volensque preterco, cum ad rem, de qua loqui constitui, minime pertinere videbantur, quamquam aliter perutiles sint et admiratione dignissime. Satis autem miror, prudentissime Thoma * mi, cur volueris hoc ultimum, quod posui genus f. 58r oraculi de habitu mulieri sancte donato, his nostris litteris interponi et mandari memorie, presertim cum illa quoad vixit talem affirmetur nunquam gestasse formam indumentorum, set neque ipse moniales sacri delubri cohabitatrices, quarum quasdam vita, prudentia, moribus pares mulieri illi vel etiam superiores fuisse et nostra etate esse, non temere existimarim, simili habitu aliquando sunt use.

Ceterum, ut mea fert opinio, non ab[s] re neque absque optimi ratione consilii indicasti perbelle litteris commendari oportere rem istam. Tametsi enim ipsa femina vel ipse sorores, * que hodie te patre congaudent tuisque instituuntur gravissimis f. 58v disciplinis, huiusce specie indumenti non ferant aut tulerint aliquando in corpore, cupis nihilominus, ut puto, ab eisdem magnopere et continuo gestari in mente, idest eas vestiri Christo et quasi quibusdam virtutum gemmis ornatas incedere. Denique ingenti desiderio curas ut, iuxta Pauli nostri sententiam, crucem mortificationemque Iesu undique circumferant in corporibus suis [1]. Agis profecto prudenter et pie, addo perdoctissime. Nam si omnium Prophetarum figuras et enigmata Scripturarum, que in lege veteri continentur ad litteram voluerimus interpretari, timeo * ne de nobis rideat omnis [2] f. 59r *schola philosophorum* ...

21 multas] multas

[1] Cf. II Cor. 2, 10.

[2] Post haec codex Washington. *19* continuat ut textus nostrae editionis p. 268, lin. 36, salvis sequentibus lectionibus variantibus.

P. 268. — 38 eruditissimis] doctissimis.

P. 269. — 1 plus certitudo] pulchritudo 7 perdocti] edocti 16 quorum] quorumdam 19 aut] a *add.* 21 argumentum] quippe *add.* 22 nostros] meos 22-23 plus scilicet-denegare] hanc scilicet lugubraciunculam pro officioso munere debuisse Paulum Thome potius offerre petenti quam pro ipsa imperitia denegare 33 vale] Explicit epistola in visione edificationis ecclesie seu monasterii sancti Ludovici episcopi, Castelli diocesis, quam visionem habuit predicta domina Anthonia Venerio in M°CCC°XCIX° vel circa. Traducta fuit e materna lingua in latinum in MCCCCXXIJ° per religiosum virum Paulum de supra *add.*

2r. * TABULA

Tabula vite miraculorumque beati Ludovici et visionis ecclesie [1].

DEO GRATIAS.

[1] Numerus « cartarum » perfecte correspondet foliis nostri codicis Mutinensis.

II. — HOLY NAME COLLEGE COD. 32.

Vita Sancti Ludovici.

VARIANTES LECTIONES [1]

1. — Incipit prologus] In nomine Domini nostri Ihesu Christi incipit prologus in vitam beati Ludovici episcopi 5 suppetat] suppeditet 10 perspexi] prospexi 11 sanctissimi servi] sancti 12 sermone] quidem *add.* 18 miraculis] et *add.*

2. — 1-3 Incipit-devotissimi] Incipit vita beati Ludovici episcopi 5 primum capitulum *om.* 7 secundo *om.* 10 eius] cuius 11 affectantes] affectabant 14 vividus] invidus 18 ipsa namque] ipsaque

3. — 5-11 Mirabile valde - recedet ab ea *om.* 12 animus quoque] animusque

4. — 9 animum] animo 15 pluries] plures 16 qui *om.* 21-22 in detentione - fuerat] ibi fuerat

5. — 2 deseruit] deseruerit 6 in *om.* 14 ad honorem-dedicatam *om.* 15 altare] virginis gloriose *add.*

6. — 2-3 videlicet - assumptus *om.* 5 hoc] hocque praedicti *om.* 7-8 quantum bono modo poterat condescendebat 8 vero *om.*

7. — 5 misericordia] med' ia 7 sicut] quod

8. — 6 nisus] visus 7 consuetudinem] sancte *add.* 10 aut] aliquem *add.* 13 quem] quam

9. — 3 clamavi *om.* 9 semper] super 13 vix tolerare posset pre afflictionis angustia

10. — 6 aptius] aptis

11. — 8 aliquando] alii 12 sanctus] sacer

12. — 4 exercitium] exercicia

13. — 3 surrexit] surrexitque 8 excussit] exclusit figuram terribilem] portentum terribile 9 dominum *om.* Berengarii] ungarii

14. — 20 confidenter] fidenter

15. — 4 superabundanter] superabundante 12 sibi *om.*

16. — 8 praedicavit] et *add.* 11 sacrum] sanctum 13 vesperas] vesperos

18. — 6-7 episcopus et *om.* 9 ordinis Minorum *om.* 12 correptionem] correptionem 13 correctionem] correptionem 14 correctorem] correptorem

19. — 1 et *om.* ac] et

20. — 6 porro] forti 7 persuadenti] persuaderet

21. — 1 quae si] quasi 4 instanter] constanter 6 provinciae *om.*

22. — 10 relictis] reiectis 12 nudis] nudus apparere] adimplere

23. — 1 quod] et *add.* 8 significantia] sapiencia 10 sed] et *add.* 14 indicabat] indicavit 17 praedicatorio] predicatoris 23 ipsum *om.* mutationem] mutacioni

24. — 6 stamina] staminia 12 rigidate] rigiditate

25. — venirent] veniret volebat] nolebat

26. — 13 igitur] itaque 15 de] ex

27. — 1-2 cum quavis] quavis cum

28. — 4 etiam *om.* 8 eis etiam si indigni] indigni eis aliquando eciam si

29. — 8 eidem] ei 9 aliquatenus] aliquafiter 13 examinatum se] examinatus

30. — 3 sed] et *add.* 6 et *om.* 8 continuo] continue 9 aliquod] aliquid tristatum] disperatum 10 cognoscens] etiam *add.*

---

[1] In signando sequentes lectiones variantes, numeris crassioribus remittimus ad eosdem occurrentes in Ioan. de Orta *Vita S. Ludovici* (Cf. supra, p. 335-80); numeris vero ordinariis ad lineas eorumdem.

31. — 10 familiaritatem] aliquam *add.* 13 scientia] sciencialibus

32. — 1 et ardentius *om.* 6[1] et *om.* 7 collocutionibus] collacionibus 8 non] in *add.* 9 vero *om.* 10 beati Bernardi] benedicte vel 14 ambulans] deambulans

33. — 2 ad] et 8 compater] compactus

34. — 9 ecclesiae] eidem 18 ideoque - habere] Ideo quoque nec aves rapaces nec canes venaticos habere umquam 21 aut vestium] aliquo modo

35. — 4 eleemosyna] ecclesie 9 incisione] incisioni

36. — 14 defectibus] fectibus quasi] de *add.* 16 arguebant] de arguerent

37. — 4 aiebat] iam 11 exsequia] obsequia 13 cognoscar] agnoscar

38. — 2 inquiri] queri 3 Minister] ministri 4 haec] hoc 9 peroptati] optati

40. — 3 sabbatis] diebus sabbatinis 13 scilicet dominum Robertum *om.* 14 rediisset] redissent 15 de mane] divine

41. — 3 huiusmodi] eius

43. — 3 eleemosynarum] ecclesiarum 5 Pyrenaeos] Pirinei 9 vero *om.* in] nimia

44. — 2 in *om.* 10 altari] altario 11-12 in - Minorum *om.* 15 ibidem *om.* 17 aliud] ad 20 sibi *om.*

46. — 13 Aurelianos] Aurelianis 16 virginis] virgines 17 ecclesiam] eciam

47. — 2 properabat et] properabatur

48. — 7 vero inde *om.* Brinonia] Brinyola 11 divina] audire volebat ac *add.*

49. — 19 die] vfro *add.* XV] XI 13 levavit] elevavit 15 vesperas] vesperos

50. — 4 et *om.* 7 dominus *om.* 8 Bancio] Baucio dominus Podii - Provinciae *om.* 10 Iuvenis quidem aetate sed antiquus maturitate obiit 11 sed - meritorum *om.*

51. — 1 sue] ipsius sex] X 14 vixeriut] vixerunt quamplurima] quamplurium 16 sapientis] sapientum 18 Brinonia] Brinyola 21 Marsiliae] Marsilia 24 permansurum] permansura 26 merita *om.* populi ductor

52. — 1 miraculis] et *add.* 4 properabat] properarat 15 conati] conatus

53. — 10 misericordiam] in ecclesiam

55. — 2 confluxu] fluxu

56. — 1 tam] pertam 5 in posterum *om.* 10-11 sepulcrum - visitaret] hic deficit votum quod fecit 15 mirabilia] miracula

57. — 4 ibi] inibi 11 Alaracia] Aladaycia Campis] Carnpis

58. — 14 eius] ipsius

59. — 4 quod nullum] in illum quod

60. — 9 quamcitius] quam tocius 11 remota] semota

61. — 9 decumbenti] decubanti

62. — 7 continuo] eciam *add.* 9 sanitati] sospitati 12 infirmitate] hac *add.* 15 permittebatur] permittebat 19 invocasset] statim *add.* 20 statim *om.*

63. — 3 ferri] forti 5 parentibus] eius *add.*

64. — 4 imminentibus] imminentis 4-5 periculis] periculo

65. — 1 Tolonensi] holonensi 13 perpensius] propensius 16 pariebat] faciebat

66. — 13 paulo] paululo 22 tumori-correspondente] correspondeute tumoreque ac cecitate corporis et tumore cordis et animae cecitate

67. — 10 praecordiis] cordis 11 de cera] cereum

68. — 5 doloremque] doloreque 7 correctam] correptam sanctum] et beatum *add.*

69. — 1 Exemplum-suscitato *om.* 3 vero] autem 5 et iucundum] rotundum 7 te adiuvem] ad te veniam 9 obdormierant] subito *add.*

70. — 1 Petrus] Perretus vi] in

71. — 5 quousque] usque 74 implorandum] imploranda 15 eam protinus] creaturam partubus] partibus

72. — 1 super scriptos] suprascriptos 7 acceperint] susceperint

73. — 1 De eius-translatione *om.* 5 eiusdem *om.* optatum *om.* reportavit] deportavit 11 viri] beati *add.* 13 obnixe] intermisse *add.* 15 virtutum] virtutis 17 IX *om.* 18 facere] perficere 22 Lectorensi] Lactorensi

74. — 1 curantes] sine mora *add.* 6 referretur] referrent

75. — 1 MCCCXVII] M.CCC.XVI aprilis] aprelis 2 adscripsit] fecit ascribi 17 vitae-finis] Explicit vita beati Ludovici episcopi. Anima scriptoris salvetur ab omnibus horis. Finito libro isto sit laus et gloria Christo.

S. Ludovici Vita versificata.

Holy Name Coll. 32, fol. 25r-26v (= F).
Neapoli, Bibl. Brancacciana, III. F. 9, fol. 100r-101r (= N).

INCIPIT VITA BEATI LUDOVICI EPISCOPI IN VERSIBUS [1].

DE BONIS NATURALIBUS SANCTI LUDOVICI.

Filius hic regis, cui quisquis psallere debet,
Laus, honor est legis, quem mundo provida prebet
Celestis cura, condens hunc ad bona plura
Aptum natura, vix huic similem paritura.

DE VIRTUTIBUS EIUS.

Vitam si queris, plenus fuit omnibus iste,
Nempe bonis veris, conformatus tibi, Christe.
Hic simplex, humilis, rectus, puer haud puerilis,
Sensu subtilis, aliis carus, sibi vilis;
Divinis donis fugit e medio Babilonis,
Mollia dragonis vitans rabiemque leonis,
Robur Sampsonis et spem sumit Gedeonis,
Pacificisque tronis properat iungi Salomonis,
Magna fides Abraham facit, facit hunc innoxius Adam,
Et patientia Iob monstrat, constantia Iacob,
Ut Ioseph est castus, velut Abel sacrificans thus,
Est Moyses mitis, verus David quia fortis,
Cultu Iosias extat, pietate Thobias,
Fervidus Helias, carnem macerans Iheremias,

1 Incipit - versibus] Vita beati Ludovici episcopi Tholosani in carminibus descripta per illius temporis scriptorem ex codice MS originali in pergameno N 2 De bonis - Ludovici *om.* N 4 legis] regis N 5 hunc] huic N 6 paritura] peritura, *sed in marg.* alias paritura N 7 eius *om.* N 10 haud] aut F N 11 aliis] alius N 12 Babilonis] *nota mg.*: hic filia Epentrensis F 14 Sampsonis] Scipionis N 17 patientia] patientiam F 19 David quia] Davidque N 20 extat] e sane N

[1] Cf. Seymour de Ricci, *Census of Medieval and Renaissance Manuscripts*, tom. I, p. 475, New York 1935.

Est Paulus tollerans, Petrus devotus orans,
Verbo Mattheus est, in signis Heliseus,
Marchus honestate, atque Iohannes virginitate,
Existit Iacobus in fame dulcis odore,
Alter Franciscus in paupertatis amore.
Uno coniuncta sunt huius sancto bona cuncta.

DE STUPENDIS ACTIBUS IPSIUS.

Oscula leprosis dat, aquam pedibus miserorum,
Flectit pannosis, mensisque ministrat eorum,
Visat languentes, se nudans vestit egentes.

DE QUADRÙPLICI STATU IN QUO SE LAUDABILITER GESSIT.

Ordine quadruplici trivit laqueos inimici
Mens Ludovici sacre deitatis amici.
Nam Domino gratum primo tenuit laycatum,
Regna potentatus despexit clericus actus,
Inde minoratus est ordine magnificatus,
Post violentatus fert pondera pontificatus,
Nunc consumatus regnat per secula beatus.
En speculum splendens et sidus luce refulgens,
Propositum cunctis in Christi nomine iunctis.
Huic conformetur quisquis quocumque locetur,
Si restaurari vult nunc, semperque beari.

DE MIRACULIS EIUS.

Si vis miranda, tibi plurima sunt recitanda,
Invidia dira si non torqueris et ira.
Febris curatur, captivatus liberatur,
Corde unitatur, cum demone lepra fugatur,
Os mutum fatur, pes claudus rectificatur,
Surdus sanatur, ceco visus reparatur,
Languens salvatur, defunctus vivificatur,
Fit prius insanus animo cum corpore sanus,
Rapte redduntur res, perdite comperiuntur,
Ceditur irridens, sanatur post bene fidens,
Prava perit guta, solidantur membra soluta,
Exurgunt bruta languentia, cessat acuta,
Cor, splen, idropisis, caput et dens, persicus ignis,
Et partus, vomitus, aer, ventus, mare, litus,
Hostis, pirata parent et cuncta creata.

2 in signis] insignis N 3 atque] que F; ... que N 6 huius] huic N 7 stupendis *om.* N 10 visat] visitat N 11 De - gessit *om.* N 12 trivit] ... N 13 sacre] salve N 21 quocumque] quacumque N 22 restaurari] res curari N 23 De mir. eius] miracula N 24 sunt *om.* N 28 fatur] datur N 32 perdite] perdita F 34 guta] tanta N 36 idropisis] idropicis F persicus] percisus N

DE ETHIMOLOGIA NOMINIS IPSIUS.

Inspice nunc nomen quam felix cessit in omen.
LU. Luxit mundo pia mens in corpore mundo.
DO. Docuit doctus in Pneumatis igne recoctus.
VI. Vite iunctus est, vite munere functus.
CUS. Custoditus fuit, est nunc luce potitus.
LU. Lux, illustra nos ergo per omnia lustra.
DO. Doctor, doceas celestes nosse choreas.
VI. Vivens, vivos fac nos virtuteque divos.
CUS. Custos, custodi semper ab hoste vetusto.

DE ETATE ET DIE OBITUS EIUS.

i. mille. i. trescentos annos i. tres annos [1]
M. tria C. iunge, quibus attamen tria deme,
i. quos tres annos i. XX annis
Que tria si binis X addas, fit tibi finis
quia obiit anno Dni M°CC.XC. Vij.
Perspicuus primo numero, sed vita secundo,
i. post festum Assumptionis
Quarto migro die post maxima festa Marie.
Da, lux, dux, victor, miser horum metrificator
Quod cor mundatum teneat finemque beatum. Amen.

Explicit Vita Beati Ludovici Episcopi in versibus.

1 De - ipsius *om.* N 3 pia] pie N 5 vite[2]] vita N 7 illustra nos] illustrans N 8 doctor] doctor *add.* N celestes] celestis F 9 divos] dives N 11 De - eius] etas et obitus N 12 i. mille - annos *om. haec et sequentia interlinearia* N 15 que] quia N finis] *In marg.*: quia vixit 33 annos N 18 secundo] *In marg.:* quia vixit XX tribus annis *add.* F 19 Marie] *In marg.:* id est post festum Assumptionis N 20 victor] doctor N 21 Amen] Finis. Anima scriptoris salvetur ab omnibus horis. Finito libro isto sit laus, gloria Christo *add.* N 22 Explicit - versibus *om.* N

[1] Haec est sequentia interlinearia sic habentur in F, omittuntur autem in N.

DOCUMENTA

DOCUMENTA[1]

I.

Sistanti, 2. V. 1286. — *Epistola Ludovici et fratrum eius ad Eduardum I, regem Angliae, pro liberatione patris eorum.*

Excellentis magnificentiae principi domino Edwardo, Dei gratia regi Angliae, domino Hiberniae et duci Aquitaniae, Ludovicus, Robertus ac Raymundus Berengarius, illustris domini Karoli, principis Saler[ni]tani et Honoris Montis Sancti Angeli domini, filii, correlativae oppositionis sequestrato respectu, solo nomine filii nuncupati, seipsos, licet minimos, cum quanta possunt reverentia et honore.

Ex ore infantium et quasi *lactentium*[2], domine, preces, si placeat, suscipe; balbutientium linguas nolite despicere, orbatis patre vivo succurrite pupillis, et quasi orphanis, prout regiam decet Excellentiam, adiutores estote. Patrem nostrum, heu! proh dolor! carceribus mancipatum[3], pristinae reddite, o rex magne, o rex inclite, libertati, qui[a], sicut fama celebris praedicat et vulgaris tenet opinio, per vos, domine, si Magnificentia vestra diligenter institerit, potest eius liberatio expediri, nobisque paternae consolationis subtracta dudum solatia restaurari. Parcat Magnificentia regia pueris inconsultis, sed ex affectu scribentibus. Praelatis, nobilibus ac aliis, ad regiae Maiestatis praesentiam nunc ob hoc specialiter accedentibus[4], benignam, si placeat, audientiam admittatis, nos interim, dum in patris suberimus potestate, recipientes ex gratia in filios et alumnos. Conservet vos Dominus per longa tempora. Et quia sigillum proprium non habemus, praesentes litteras sigillo reverendi patris domini Aquen. archiepiscopi[5] fecimus sigillari. Datum Sistanti, secunda die Maii, decima quarta Indict.

Rymer, *Foedera* I, II, Londini 1816, p. 664.

II.

Parisiis, 15. VII. 1286. — *Epistola Eduardi I, regis Angliae, ad Ludovicum et fratres eius super liberatione patris eorum.*

Edwardus, Dei gratia rex Angliae, dominus Hiberniae et dux Aquitaniae, consanguineis suis dilectis Ludovico, Roberto et Raymundo ac (!) Berengario, natis karissimi consanguinei nostri, domini Karoli, principis Salernitani et Honoris Montis Sancti Angeli domini, salutem et ad laetitiam de moerore celeriter pertransire.

---

[1] Hic afferuntur sola illa documenta quae s. Ludovicum concernunt. [2] Psalm. 8,3.

[3] Carolus in captivitate mansit a die 5. VI. 1284 usque ad mensem oct. 1288. [4] Die 14. V. 1286 Sistanti *(Sisteron)* convenerunt clerus ac nobiles Provinciae et determinaverunt nuntios mittere ad Eduardum regem Angliae pro Caroli liberatione; pro qua missione deputati fuere Isuardus de Agoult et Faucherus de Sabran-Forcalquerio. Cf. V. Verlaque, op. cit., p. 29; C. Vielle, op. cit., p. 64.

[5] Rostagnus de Novis, archiep. Aquen. 14. VIII. 1283 † 30. I. 1311. Cf. Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 96.

Plena potimur corporis sospitate, hoc scire de vobis et vestrum quolibet affectantes; et, ut animi vestri tristes solatium recreationis accipiant, omnibus et singulis nunciamus, nos inter regem Franciae et illos de Aragonia inivisse securitatem treguarum[1] duraturam usque ad festum b. Michaelis, quod instat, et ex tunc usque ad idem festum anni sequentis totaliter revoluti, ut interim inter partes de pace et de liberatione patris vestri, consanguinei nostri karissimi[2], tractare, dante Domino, valeamus. Exultate igitur et gaudete, quoniam appropinquat in proximo salus vestra. Continentiam insuper vestri status et, si aliqua alia penes nos fuerint vobis placentia, nobis fiducialiter nuncietis. Valete. Datum Paris., XV die Iulii, anno gratiae MCCLXXXVI. A. D. 1286. An. 14 Edw. I.

Rymer, *Foedera* I, II, p. 668.

III.

Tirassonae, 28. VIII. 1287. — *Alfonsus II, rex Aragoniae, suos constituit procuratores ad recipiendum qua obsides tres filios principis Salernitani.*

Revista de Estudios Franciscanos 1910, Num. extraord., p. 30 ss. ex *Reg. Aragonen.* C. Vielle, op. cit., p. 465 s., n. 6.

IV.

Jaccae, 8. IX. 1288. — *Idem salvum conductum concedit Eduardo, regi Angliae, ad intrandum in regnum Aragoniae cum filiis principis Salernitani ac aliis quos ut obsides intendit adducere pro dicto principe liberando.*

Revista cit., p. 45 s.

V.

Valentiae, 27. XII. 1288. — *Idem mandat ut tribus filiis principis Salernitani et tribus filiis militum, qui cum eis stant in obsidatu, assignentur 12 custodes.*

Revista cit., p, 46.

VI.

Ilerdae, 11. II. 1289. — *Idem prohibet ne absque sua scripta licentia ullus intret in castrum Ciuranae neve cum filiis principis Salernitani loquatur.*

Revista cit., p. 67.

VII.

Caesaraugustae, 27. II. 1289. — *Idem permittit ut certi fratres Minores visitent filios principis Salernitani in castro Ciuranae.*

Revista cit., p. 67 s.

---

[1] Bello exorto (1285) inter Philippum III, regem Francorum, et Petrum III, regem Aragoniae, illegitime Siciliam occupantem, et ideo a Papa excommunicatum et a regno deiectum, Eduardus I, rex Angliae, obtinuit ut induciae ab utroque bellum gerente acceptarentur. Documenta affert Rymer, *Foedera* I, II, p. 662, 664 s., 668-72.

[2] Raymundi Berengarii IV, comitis Provinciae, filia Eleonora, nupta Henrico III, regi Angliae, filium habuit Eduardum I; Beatrix, filia eiusdem Raymundi, nupta Carolo I, regi Neapolis et Siciliae, filium habuit Carolum II, principem Salernitanum.

VIII.

13. III. 1289. — *Statuuntur expensae singulis mensibus a principe Salernitano solvendae pro filiis suis et aliis cum ipsis in obsidatu detentis*[1].

Marseille, Archives départment., B. 387, 66bis, ex quo edidit C. Vielle, op. cit., p. 466, n. 7.

IX.

Caesaraugustae, 30. III. 1289. — *Alfonsus II determinat ubi et quomodo custodiendi sint filii principis Salernitani et homines quos princeps mittit ut obsides.*

... In primis volumus et ordinamus quod filii principis simul cum custodibus qui nunc eos custodiunt, sint in castro de Siurana, si eis placuerit. Et volumus quod Bernardus de Montepavone tradat castrum de Siurana Bernardo de Peratayada nomine nobilis Guilaberti de Crudiliis... Et volumus et concedimus quod filii principis et socii sui possint ire spaciatum extra castrum seu locum ubi steterint equitando vel pedestres simul cum custodibus semel vel bis in ebdomada in circuitu castri seu loci prout custodibus videbitur ... Datum Caesaraugustae, III° Kalendas Aprilis. Anno Domini M°.CC°.LXXX° nono.

Revista cit., p. 46.

X.

Barchinonae, 12. XI. 1290. — *Idem permittit ut Raymundus Esquerrer cum fratre suo Petro visitet filios principis Salernitani in castro Ciuranae.*

Revista cit., p. 72.

XI.

Barchinonae, 12. X. 1291. — *Iacobus II, rex Aragoniae, mandat Bernardo de Montepavone ut Franciscum*[2]*, medicum Ludovici et fratrum eius, ad eos a principe Salernitano missum, sinat ad ipsos intrare et litteras eorum secum sumere.*

H. Finke, *Acta Aragonensia* I, p. 9.

XII.

Barchinonae 24. III. 1292. — *Idem mandat ut incontinenti quidam morantes cum filiis principis Salernitani de castro Ciuranae et regno expellantur.*

Iacobus etc. dilecto suo Bernardo de Montepauone salutem et dilectionem. Dicimus et mandamus vobis, quatinus incontinenti visis presentibus expellatis de castro de Siurana Guillot Iohannem Coch, Motxa Foch, Ribalta, Gombertum, Arnaldum Bretonum, qui nunc morantur cum filiis principis Salerni, iniungendo et prohibendo eis ex parte nostra, quod amodo cum filiis dicti principis nisi in nostra presencia loqui vel perseverare non audeant seu presumant, immo incontinenti exeant de terra nostra, a nobis mandato alio non expectato. Volumus tamen et vobis concedimus, quod de expensis et

---

[1] Alias Caroli II expensas pro solis filiis suis obsidibus, vide ap. R. Minieri, *Saggio di codice diplomatico, Supplem.* I, n. 48, p. 61; I, n. 55, p. 66; II, I, n. 5, p. 5.

[2] Franciscus Andreae de Mayronis, quem Carolus II, 3. IX. 1292, in suum « familiarem » recepisse et de suo hospitio retinuisse declarat. Cf. V. Verlaque, op. cit., p. 34, nota 2, allato documento ex *Reg. Andegaven.* 1307, B, n. 168, fol. 172t. Franciscus erat archidiaconus Mimatensis (Mende). Cf. Pr. 21, lin. 31.

missionibus pro predictis factis et de eorum custodia per eosdem competenter factis et de eorum custodia per eosdem competenter satisfactio fiat vobis. Dat. Barchinone, IX kalendas Aprilis anno Domini MCC nonagesimo primo.

H. Finke, *Acta Aragonensia* I, p. 9.

XIII.

Barchinonae 11. IV. 1292. — *Idem officialibus et subditis suis mandat ut supradictis expulsis nullum nocumentum aut contrarium faciant in exeundo de Aragonia.*

Universis officialibus et subditis... Mandamus vobis, quatinus Guilloto Iohanni Coch, Moxafocho, Ribanco, Gomberto Bretono, qui de familia dictorum filiorum principis [Salernitani] erant, impedimentum aut contrarium minime faciatis in exeundo de terra nostra cum equitaturis eorum, roncinis videlicet, qui non sint apti ad arma, vel mulis, ac redeundo ad principem supradictum, immo eidem familie in ipso reditu provideatis de securo reditu et conductu... Presentibus tamen post VIII dies a data presencium enumerandos minime valituris. Dat. Barchinone, III idus Aprilis.

H. Finke, *Acta Aragonensia* I, p. 9.

XIV.

Barchinonae 13. IV. 1292. — *Idem mandat ut tot sint custodes pro filiis principis Salernitani, quot erant pro ipso principe* [1].

Bernardo de Montepauone... Volumus... et mandamus, ut teneatis in custodia filiorum illustris principis Salernitani tantos custodes, quantos in custodia ipsius principis tempore, quo erat apud castrum de Siurana, erant... Dat. Barchinone, idus Aprilis.

H. Finke, *Acta Aragonensia* I, p. 9.

XV.

1. X. 1293. — *In aestate 1293 Ludovicus et fratres eius brevi temporis spatio fuerunt obsides apud regem Castellae Sancium IV, sed mox in manus Iacobi II remissi, ut constat ex huius testimonio.*

Procedentibus nobis apud Grunnum [2], presente ibidem domino rege Castelle, quem in tractatu ipsius pacis ac aliis nostris negociis patrem invenimus et amicum, et habito hinc inde per plures dies tractatu huiusmodi, mediantibus dicto domino rege Castelle ac aliis amicis nostris, quia vidimus principem Karolum [3] hostem nostrum et alios inimicos nostros variantes et discrepantes a primis tractatibus et promissionibus nobis factis ex parte eorumdem, per mediatores communes procedere voluimus in ipso tractatu, set inde discesimus honorifice recuperatis tribus filiis principis, quos dictus dominus rex Castelle pro nobis tenebat obsides, quos nobiscum duximus apud Barchinonam et modo

---

[1] Nempe duodecim custodes, ut iam ordinaverat Alfonsus II. Cf. supra, n. V.

[2] Id est vulgo Logroño. - Circa expensas pro filiis suis obsidibus faciendas Carolus II, mense augusti 1293, haec mandat: « Quod si iidem filii nostri morentur in partibus Catalonie vel Aragonie amministrentur eis per diem quamlibet, tam pro ordinariis videlicet quam extraordinariis, turonensium nigrorum libre quatuor. Si vero in partibus Castelle morentur, solidi tantum viginti similiter per diem amministrentur ». R. Minieri, *Saggio di codice diplomatico, Supplem.*, I, n. 55, p. 66.

[3] Id est principem Salernitanum.

carcere, ibidem fecimus detineri, habendo etiam dictum regem Castelle nobiscum, qui pro toto corde et animo, paterno amore nos prosequitur incessanter. Dat. ut supra [Kalendis Octobris MCCXCIII].

H. Finke, *Acta Aragonensia* III, p. 26.

XVI.

1293 exeunte. — *Extractum ex conditionibus pro pace inter regem Aragoniae et regem Carolum II obtinenda.*

Item dictum est quod... dictus rex Aragonum statim restituet dicto Karolo regi Sicilie liberos suos, obsides omnes et prisonnieros seu captivos...

Item dictum est, quod dominus rex Aragonum dominam Yolandam sororem suam dabit in uxorem Ludovico vel Roberto [1] filio dicti regis Siciliae, videlicet illi, de quo maluerit et elegerit dictus dominus Karolus rex Sicilie, et dictus rex Karolus dabit illi de predictis filiis suis, qui dictam Yolandam recipiet in uxorem, principatum Salernitanum vel ducatum Amalphitanum sibi et heredibus suis...

H. Finke, *Acta Aragonensia* III, p. 21 et 23.

XVII.

Gerundae 31. III. 1294. — *Iacobus II, rex Aragoniae, permittit ut filii regis Carolis II aliquando equitent per civitatem Barchinonae.*

... Recepimus litteras vestras per vos noviter nobis missas, per quas nos rogastis, ut placeret nobis, quod possetis aliquibus diebus in ebdomada equitare. Quarum intellecto tenore, vobis ad ipsorum significata duximus taliter respondendum, quod placet nobis, quod simul cum custodibus, quibus propterea per vestras litteras scribimus, aliquibus diebus festivis equitetis per civitatem Barchinone. Scribimus etiam R°. Ricardi, quod supersedeat constringere obsides, quos tenet, et de quibus nobis scripsistis, donec nos fuerimus in civitate Barchinone personaliter constituti... Dat. Gerunde, II kalendas Aprilis.

H. Finke, *Acta Aragonensia* III, p. 25.

XVIII.

Prope Sulmonem, 7. X. 1294. — *Caelestinus V Ludovico administrationem Maioris ecclesiae Lugdunensis committit.*

Dilecto filio Ludovico, nato charissimi in Christo filii Caroli Siciliae Regis illustris, salutem et Apostolicam benedictionem.

Attendentes claritatem excellentis generis, eminentiam luminosae scientiae, venustatem morum et multiplicia dona virtutum, quibus clarere dignosceris, depressum quoque

---

[1] Robertus, mense martio 1297, Romae, coram Summo Pontifice, uxorem duxit Yolandam, praesentibus Carolo II, Iacobo II Aragoniae, Philippo principe Taranti, Raymundo Berengarii, Ioanne Andegavensi et aliis. Defuncta Yolanda an. 1303, Robertus, mense iunio 1304, nupsit Sanciae de Maiorca. Cf. R. Caggese, *Roberto d' Angiò e i suoi tempi* I, Firenze 1922, p. 9, 22. - Hic recolendum occurrit quod de s. Ludovico narrat Ioan. de Orta (cf. supra, p. 346, n. 19): « Porro patri ei persuadenti ut uxorem duceret et promittenti quod ei statim Provinciam traderet, nullatenus acquiescere voluit ». Cf. Calotius (supra, p. 404, n. 1), qui dicit: « Interim per confessorem suum pater ei suadet ut sororem regis Francie [*legas* Aragoniae] accipiat in uxorem ».

ac laceratum statum Maioris ecclesiae Lugdunensis, quae per vicinorum potentum iniurias et pressuras gravem diminutionem suorum iurium et facultatum amaris fletibus ingemiscit; quodque per tui tuorumque favoris auxilium ecclesia ipsa, concedente Domino, reparabit praetacta diminutionis incommoda et votiva recipiet restitutionis augmenta etc.[1]. Datum in monasterio S. Spiritus prope Sulmonem, Nonis octobris, pontificatus nostri anno I.

BF IV, p. 332. n. 5, ex Raynaldo, *Annales ecclesiastici,* t. 23, Paris 1887, p. 142, Reg. Vat 539. epistola 13. Cf. Potthast, n. 23990.

XIX.

Sulmone, 9. X. 1294. — *Caelestinus V Ludovico ecclesiae Lugdunensis administrationem in spiritualibus et temporalibus committit.*

Dilecto filio Ludovico, nato charissimi in Christo filii nostri Caroli, Siciliae Regis illustris, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum desideres in clericali habitu Domino famulari, nuper ad tuae supplicationis instantiam dilecto filio Fratri Francisco de Apta[2] Ordinis Fratrum Minorum, quod tibi, qui apud hostes Ecclesiae detineris ut obses, primam Tonsuram et omnes minores Ordines conferre valeat, per alias litteras nostras concessimus facultatem. Ea propter, licet ob locorum distantiam, qua separaris a Nobis, brevitatem temporis, quo praedicta concessimus, adhuc nequieris Ordines praedictos assumere, tamen, quia inesse videntur quodammodo quae fieri sperantur in brevi, tuum honestum et salubre propositum gratiosius prosequentes, procurationem Lugdunensis ecclesiae, vacantis tunc per promotionem venerabilis fratris nostri Remundi[3], episcopi Albanensis, nuper ad apicem Cardinalatus assumpti, olim ipsius ecclesiae archiepiscopi, (quamquam Tonsuram et Ordines ipsos nondum receperis) ac administrationem ipsius in spiritualibus et in temporalibus tibi fiducialiter duximus committendum, et recipere et habere valeas iuxta formam aliarum litterarum nostrarum tibi proinde concessarum, auctoritate praesentium de certa scientia et speciali gratia indulgemus. Datum Sulmone, VII Idus octobris, pontificatus nostri anno I.

BF IV, p. 332, n. 6, ex Raynaldo, l. c., p. 142, Reg. Vat. 539, epist. 12. Cf. Potthast, n. 23994.

XX.

Dertusae 9. X. 1294. — *Iacobus II, rex Aragoniae, Ludovico et fratribus eius respondet ad litteras ab eis missas.*

Inclitis ac nobilibus Ludovico, Roberto et Raimundo Berengarii, filiis illustris regis Karoli, salutem etc. Litteras vestras, per vos noviter nobis missas recepimus inter alia

---

[1] Cetera praeter datam, desunt apud Raynaldum. Hanc administrationem, sancto Ludovico commissam, Bonifacius VIII rescidit. Cf. BF IV, p. 341, n. 10. Potthast, op. cit., n. 24063.

[2] Franciscus Aptensis (ex *Apt*, in *Vaucluse*, Gallia), al. Bruni seu Brun, capellanus regis Neapolitani, confessor S. Ludovici et Roberti ducis Calabriae, factus episcopus Gaietanus 18. II. 1306, obiit 1321 ante 21. VIII, quo die ipsi succedit Franciscus Gattula. Cf. Eubel, *Hierarchia* I², p. 258; Wadd., *Annales,* ad an. 1295, n. 7; AA. SS., aug. t. III, p. 779b, n. 22.

[3] Rectius Beraldus seu Berardus (de Gout, al. Got), archiep. Lugdunen. 23. VII. 1289, creatus cardinalis episc. Albanen. die 18. IX. 1294, obiit 27. VI. 1297. Cf. Eubel, *Hierarchia* I², p. 11 et 316.

continentes, quod quidam scutifer, quem cum Guilelmo Lulli ad Provinciam miseratis, venerat ad vos narrans, quod fr. Bonifacius et Iohannes de Grylli veniunt ad nos ex parte regis Karoli patris vestri...

H. Finke, *Acta Aragonensia* III, p. 25.

XXI.

Barchinonae 20. XII. 1294. — *Idem P°. de Ritxvol permittit ut stet cum filiis regis Caroli II, quibus concedit ut scribant ad patrem suum et ad curiam Romanam.*

Bernardo de Montepavone consiliario suo et G. de Pulcrovisu salutem etc. Noveritis nos de gracia concessisse P°. de Ritxvol (?), quod possit esse et stare cum inclitis filiis illustris regis Karoli usque ad proximum venturum festum Circumcisionis Domini... Et si forte infantes predicti vellent scribere apud dominum Karolum vel apud illos in curia Romana pro G. de Villanova, permitatis ipsis scribere pro facto ipsius G. de Villanova..., vobis tamen caventibus attente, ne aliqua scribantur seu fiant in literis ipsis aliqua, que essent nostre contraria magestati. Dat. Barchinone, XIII kalendas Ianuarii anno Domini MCCXCIIII.

H. Finke, *Acta Aragonensia* III, p. 26.

XXII.

Barchinonae 26. XII. 1294. — *Idem custodibus filiorum regis Caroli mandat ut circa tutam eorum curam et custodiam cum summa diligentia et vigilantia intendant.*

Berengario de Montepauone et Gerardo (?) de Pulcrovisu salutem etc. Cum nos pro certo didiscerimus, quod vos circa custodiam filiorum regis Karoli vestre cure et custodie commissorum lente adhibitis curas vestras, de vobis exinde quamplurimum admirantes, vobis dicimus et mandamus, quatinus firmiter et expresse statim receptis presentibus circa tutam curam et custodiam filiorum dicti regis Karoli predictorum et aliorum obsidum sub vestra custodia existencium sic sollicite et cum suma diligencia vigiletis et intendatis, quod ex eis, quod Deus avertat, nec altero ex eisdem non posset sinistrum aliquod evenire. Caventes atencius, ne in vestris cibis seu potu aliquid vobis noscivum aliquatenus imisceri. Ordinantes et facientes, ne aliquis de eorum familiis intret castrum de Siurana nec stet ibi cum armis aliquibus et specialiter, quod de armis vestris seu de armis aliis quibuscumque existentibus in castro predicto non possint rapere seu capere nec se ex eis modo aliquo deffendere seu iuvare... Et faciatis, si iam factum et ordinatum non est, quod nullus de predictis eorum familiis remaneat nec intret de nocte in castro predicto nisi certi fratres Minores, capellanus, medicus et coquus, qui iam ibi cum eis sunt, et scutiffer Raimundi Berengarii... Dat. Barchinone, VII kalendas Ianuarii anno Domini M°.CC.XCIIII.

H. Finke, *Acta Aragonensia* I, p. 20s.

XXIII.

Vatican., ian.-febr. 1296. — *Bonifacius VIII Ludovico, nato Caroli, regis Siciliae, pensionem 1000 lib. turonensium super redditibus comitatus Venaisini assignat.*

Bonifacius etc. dilecto filio Ludovico, nato carissimi in Christo filii Caroli, Siciliae regis illustris, subdiacono et capellano nostro etc.

Carissimum in Christo filium nostrum Carolum, Siciliae regem illustrem, genitorem tuum, paterno diligentes et prosequentes affectu, ipsius opportunitatibus libenter occur-

rimus et eius onera caritativis affectibus sublevamus; nec minus in te, fili, interne dirigimus nostrae considerationis intuitum, quem nobis tuae sinceritatis et probitatis meritum facit gratum. Sane, praedictis in consideratione deductis, de mille libris turonensium singulis annis, pro expensis tui hospitii, usque ad nostrum beneplacitum tibi ordinavimus providendum, statuentes ut super pensione contingente nos de fructibus, redditibus et proventibus comitatus Venesini libras ipsas percipias annuatim.

Digard-Faucon, *Les Registres de Boniface VIII,* t. IV, Paris 1939, n. 5587, Reg. Vat. 46A, ep. 107. Cf. Eubel, *Bullarii Franciscani Epitome,* Ad Claras Aquas 1908, p. 212, n. 3.

XXIV.

Ian.-febr. 1296. — *Executoria superioris epistolae.*

Bonifacius etc. dilecto filio Ioanni de Galliaco, militi, et aliis, qui pro tempore fuerint, rectoribus comitatus Venesiensis salutem etc.

Carissimum in Christo filium nostrum, Carolum, Siciliae regem illustrem, paterno diligentes et prosequentes affectu, ipsius opportunitatibus libenter occurrimus et eius onera caritativis affectibus sublevamus; nec minus in dilectum filium Ludovicum, subdiaconum et capellanum nostrum, natum eius, interne dirigimus nostrae considerationis intuitum, quem nobis suae sinceritatis et probitatis meritum facit gratum. Sane, praedictis in consideratione deductis, de mille libris turonensium, singulis annis, pro expensis hospitii Ludovici praefati, usque ad nostrum beneplacitum, sibi ordinavimus providendum, statuentes ut super pensione contingente nos de fructibus, redditibus et proventibus comitatus Venesiensis libras percipere valeat annuatim. Quocirca vobis per apostolica scripta mandamus quatinus praedictas 1000 lib. annis singulis eidem Ludovico vel eius procuratori seu nuntio, praesentes vobis litteras ostendenti, durante praedicto nostro beneplacito, integraliter solvere et assignare curetis. Quas litteras inspectas per vos, earum tenore retento prout necesse fuerit pro vestri cautela, eiusdem Ludovici procuratori seu nuntio restitui volumus ne de ipsarum vigore possit in posterum dubitari. Datum etc.

Digard-Faucon, op. cit., n. 5588.

XXV.

Neapoli, 7. IV. 1296. — *Carolus II mandat ut pensio annua 4000 librarum coronatorum, ex proventibus Provinciae et Forcalquerii pro expensis hospitii Ludovici solvenda, reducatur pro his locis ad 2000 libr.; reliquum solvetur a camera regia.*

Reg. Andegaven. 76, 1295, B, fol. 119t, ex quo edidit C. Vielle, op. cit., p. 473, n. 11.

XXVI.

Neapoli, 12. VI. 1296. — *Carolus II mandat annuam pensionem Ludovico solvendam augmentandam esse ad 6000 libr.*

Reg. Andegaven. 83, 1296, C, fol. 236t, ex quo editur ap. C. Vielle, op. cit., p. 473s., n. 12.

XXVII.

Laterani, 29. XII. 1296. — *Bonifacius VIII Ludovicum constituit episcopum Tolosanum.*

Dilecto filio Ludovico episcopo Tolosano, nato charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Siciliae illustris, salutem et Apostolicam benedictionem.

Fons sapientiae, Verbum Patris, Dominus Iesus Christus, qui pro generis humani salute de caelorum excelso in mediam exterminii nostri terram exiliens, nostrae carnis ex utero Virginis assumpta trabea, homo factus se pro nobis mortis tormentis exponere non expavit; post devictum triumphatumque mundum effectus in ara crucis Summus Pontifex et Rex magnus ad caelos ascensurus, suum in terris ad custodiam unicae Sponsae suae Vicarium dereliquit, cui in beato Petro caelestis regni Pontificiae tradidit plenitudinem potestatis et super omnes ecclesias contulit magisterium.

Ipsius itaque dignatione, quamquam immeriti, ad huiusmodi apicem magistratus assumpti et in Apostolatus specula constituti, licet ecclesiarum omnium curam teneamur gerere generalem, de illis tamen quibus vacationis imminere incommoda dignoscuntur, Nos decet propensius cogitare, ut ad earum regimen idonei Praelati per nostrae providentiae ministerium assumantur, de quibus, consideratis virtutibus desuper sibi traditis, praesumitur verisimiliter et tenetur, quod creditas sibi animas verbo scientiae ac exemplo vitae instruere et alia eorum studio ecclesiae ipsae grata suscipere debeant incrementa.

Pridem siquidem ecclesia Tolosana per obitum bonae memoriae H[ugonis][1] Tolosani episcopi, qui apud Sedem apostolicam diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta, Nos, dispositionem ipsius ecclesiae Nobis et Sedi apostolicae reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si quid secus super iis scienter vel ignoranter contingeret attentari, ac de ipsius ordinatione sollicite cogitantes, et cupientes illum eidem ecclesiae per nostrae operationis studium Pontificem praesidere, per quem posset ecclesia ipsa in utrisque salubriter gubernari, post vigilem curam, quam super hoc adhibuimus diligenter, ad personam tuam, sublimibus natalibus productam, ex claris utriusque parentis tui progeniebus regalibus praefulgentem, eminenti scientia praeditam, vitae munditia redolentem, gravitate morum et consilii maturitate conspicuam, aliarumque donis virtutum ab Altissimo multipliciter decoratam, convertimus aciem nostrae mentis, et tecum super aetatis defectu, quem pateris, maxime cum defectum ipsum supplere praedictis virtutum donis et aliis eximiis et laudabilibus meritis, quae tibi suffragari novimus, dignoscaris, auctoritate Apostolica dispensavimus, ut, eodem defectu nequaquam obstante, ad episcopalem dignitatem ipsius ecclesiae Tolosanae licite possis assumi, teque, fratrum Minorum Ordinis professorem, ad sacerdotium iam promotum, de fratrum nostrorum consilio et Apostolicae plenitudine potestatis praefecimus ipsi ecclesiae Tolosanae in episcopum et Pastorem, tibique subsequenter consecrationis munus propriis manibus duximus impendendum, spe firma fiduciaque tenentes indubitata, quod praedicta ecclesia Tolosana per tuam solertem industriam et prudentiam circumspectam praeservabitur a noxiis et adversis et alia spiritualiter et temporaliter, Deo auctore, augmenta suscipiet commoditatis et honoris, et tam clerus quam populus tuo commissus regimini, tua salubri doctrina et piae actionis exemplo ad salutem aedificabitur animarum.

Tu ergo tuum iactans in Domino cogitatum, ac iuxta spem nostram et gratiam tibi datam a Domino commissum tibi super gregem dominicum virga vigilantis officium officiose ac diligenter exercens, extirpandis vitiis et plantandis virtutibus sollicitudine invigiles efficaci, ut tamquam stella fixa in Ecclesiae firmamento tibi per vitae meritum et aliis proficiens per exemplum, dum plures erudieris ad salutem, in aeternitatis gloria gratulari ac relucere inter alios clarius merearis, et Nos, qui tibi in omni opportunitate

[1] Hugo Mascaron, O. S. A., episc. Tolosanus 1286, obiit Romae 2. XII. 1296. Cf. Eubel, *Hierarchia* I², p. 488. *Gallia christiana,* t. 13, Paris. 1874, col. 32.

favorabiliter adesse proponimus, in tuis delectari laudibus merito valeamus. Datum Laterani, IV Kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno II.

BF IV, p. 422 s., n. 103, ex Wadd., *Annales,* t. V, in *Regesto Pont.,* n. 26. Digard-Faucon, op. cit., I, n. 1521. Potthast, n. 24444.

XXVIII.

Romae, apud S. Petrum, 3. II. 1297. — *Bonifacius VIII indulget Ludovico ut auctoritate apostolica possit in civitate et dioecesi sua beneficia, quorum collatio ad Sedem apostolicam devoluta est, personis idoneis, videlicet singula singulis, conferre.*

Venerabili fratri Lodovico episcopo Tholosano. *Ut benevolentiam.* Datum Romae apud Sanctum Petrum, III non. februarii, an. III.

Digard-Faucon, op. cit., I, n. 1842.

XXIX.

Brinoniae, 19. VIII. 1297. — *Testamentum S. Ludovici.*

In nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis eiusdem MCCXCVII, Indictione decima, regnante inclyto Principe Carolo II, Dei gratia Ierusalem et Siciliae Rege illustri, ducatus Apuliae et principatus Capuae, Provinciae et Forcalquerii Comite, regnorum eius anno XIII, feliciter. Amen,

Mense Augusti die XIX, eiusdem decimae Indictionis, apud Brinoniam, in praesentia Thomae de Sancto Georgio, ubique per regnum Siciliae et per comitatus Provinciae et Forcalquerii publici regia auctoritate notarii, et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, videlicet venerabilis viri Durandi Mauritii, Prioris conventualis Caerasii[2], fratris Bercerandi, Prioris Sancti Genit[3], Fratrum Guillelmi de Corneliano, Francisci Brun[4], Petri Scarrerii, Bartholomaei Vitalis, Ordinis Minorum, et magistri Hugonis Fabri physici[5], ego Frater Lodoycus, permissione divina episcopus Tolosanus, memor conditionis humanae, quam semper comitatur innata fragilitas, cui ab ipso vitae principio mortis imperium dominatur, dum essem aeger corpore, sanus tamen mente, ac composita loquela, directa discretio et sana memoria in me integriter vigerent, volens peregrinationis meae diem

[1] Textum Testamenti praebet A. Pagius, O. M. Conv., *Divi Antonii Paduani Ord. Min., Sermones hactenus inediti de Sanctis et de diversis,* Avenione 1684, p. 485-91. Idem, in Praefatione, p. 16 (non numerata) dicit: « Testamentum S. Ludovici Tol. asservatum in sacrario PP. Observantiae Massiliensium, cuius exemplar ab Ill.mo Iohanne Francisco de Gaufredi, Regio in Parlamento Aquensi Conciliario, v. c. et eruditissimo, mecum communicatum et a Domino Antonio Ruffi, scriptis in lucem editis percelebri, cum autographo collatum ». Ex eo illud repetunt AA. SS. mensis Aug. t. III, p. 787 s. Habetur etiam ap. M. Toynbee, op. cit., p. 235-38; C. Vielle, op. cit., p. 481 s., n. 22, et gallice, p. 267-69; V. Veriaque, gallice, op. cit., p. 123-29. In *Gallia christiana,* t. 13, *Instrumenta,* col. 47 s., cum paucis variantibus in nominibus, quas signabimus.

[2] Cereste (arrond. *Forcalquier*), ubi erat Prioratus O. S. B. In *Gallia christiana,* l. c., col. 47, vocatur 'Cherasii'. Cf. L. H. Cottineau, *Répertoire ... des Abbayes et Prieurés,* t. I, Mâcon 1935, col. 655.

[3] Saint-Genis-des-Fontaines (? arrond. *Céret*), habebat abbatiam O. S. B. Cf. Cottineau, op. cit., t. II, col. 2697. Pro 'Bercerandi' *Gallia christiana,* l. c., habet 'Bertrandi'.

[4] In *Gallia christiana,* l. c., vocatur 'Bruni'. Cf. supra, p. 448, nota 2.

[5] Canonicus, medicus ordinarius Caroli II. Cf. M. Toynbee, op. cit., p. 235, nota 4.

extremam dispositione testamentaria praevenire, auctoritate Sedis apostolicae in hac parte mihi concessa, de bonis meis, sive ad meam administrationem spectantibus, in hunc modum ordino et dispono.

In primis in domo Fratrum Minorum Massiliae meam eligo *sepulturam*. Deinde de bonis meis, et primum quidem de *capellis*[1], quas habebam tempore quo professus sum beati Francisci Regulam et habitum eius assumpsi, ordino in hunc modum: quod scilicet capellae ipsae et ea quae ad easdem capellas pertinent, sint conventuum Fratrum Minorum Tolosae, Massiliae et Aquarum, prout viri religiosi Fratres Raymundus Goffridi, magister in theologia et Minister in Provincia, et guardianus Tolosae ordinaverint et eas inter eosdem conventus duxerint dividendas. De *libris* nostris lego religioso viro Fratri Guilhelmo de Corneliano, socio et familiari meo, *Bibliam* in uno volumine, quam praefatus dominus Rex, dominus et genitor meus, dedit mihi; et etiam *Summam Thomae*[2]. Item, Fratri Berengario de Bosco, familiari meo, *Bibliam*, quam dedit mihi conventus Tolosae. Item, Fratri Petro Cocardi, familiari meo, *Bibliam* et *Flores Sanctorum pulcriores*, qui fuerunt praedecessoris mei. Omnes autem alios libros meos lego Fratribus Petro Scarrerii et Francisco Bruni, sociis et familiaribus meis, inter ipsos aequaliter dividendos[3], propter plura grata servitia, quae ab ipsis longo tempore recolo suscepisse.

Capellas siquidem, quas habui prius quam professionem feci, lego ecclesiae Tolosanae. *Annulos* quoque meos omnes lego et relinquo praedicto domino Regi ac dominae Reginae[4], parentibus meis, in hunc videlicet modum quod, retentis ex eis per eumdem dominum Regem illis quos voluerit, reliqui sint praedictae dominae matris meae. De *aliis* autem *omnibus bonis meis*, utpote vasis argenteis, equitaturis et quibuslibet aliis, ac etiam iis quae debentur mihi ex quacumque causa, solutis inde debitis, ad quae quibuscumque personis teneri [possim], ac emendae, si quae apparuerint faciendae, volo quod infra nominati executores mei, familiares ac servitores meos remunerent, prout attentis eorum conditionibus et impensis per eosdem mihi servitiis viderint faciendum; et residuum ipsorum omnium distribuant inter conventus religiosorum civitatis Tolosae et conventus Fratrum Minorum Massiliae et Aquarum ac conventus Fratrum Praedicatorum Sancti Maximini et conventus sanctae Clarae Assisii, ad construendam unam cappellam ad servitium domus episcopalis Tolosae in honorem beati Laurentii martyris, prout eis

---

[1] De capellis seu ornamentis pontificalibus s. Ludovici cf. V. Verlaque, op. cit., p. 127, nota 1 et p. 192-93; C. Vielle, op. cit., p. 383-87.

[2] Hanc *Summam*, mandante Carolo II e carcere liberato, emit frater Petrus, Prior Praedicatorum Aversae, pretio XV unciarum auri. Cf. V. Verlaque, op. cit., p. 86, qui citat *Reg. Andegaven.* 1297, A, n. 88, fol. 265.

[3] De bibliotheca s. Ludovici cf. L. Oliger, in *Antonianum* VII (1932), p. 495-500. Libros, quos s. Ludovicus his duobus Fratribus legavit, emit rex Carolus II pretio 231 libr. coronatorum, eosque dono dedit fratribus Praedicatoribus conventus Sancti-Maximini. Documentum emptionis (16. III. 1298) ap. Albanès, *Le convent royal de Saint-Maximin*, Marseille 1880, Appendix, p. 8; ex eo ap. C. Vielle, op. cit., p. 383, nota 28, et in *Antonianum*, loc.. cit., p. 498.

[4] De anulo quem s. Ludovicus recepit a Regina matre sua habemus hoc documentum: « Die XXIX eiusdem ibidem soluti sunt Guillelmo aurifabro regis pro reparatione unius anuli episcopalis, donati nuper per dominam reginam domino Lodoyco nato suo, ac pro auro posito per ipsum aurifabrum in dicto anulo, auri tareni XV ». *Reg. Andegaven.* 1326, A, n. 262, f. 100. Cf. V. Verlaque, op. cit., p. 106, nota 1; C. Vielle, op. cit., p. 195, nota 83. Annus et mensis desunt.

videbitur faciendum. Item, volo quod *Officiarium* et *Responsorarium,* quae dedit mihi conventus Draguiniani [1], reddantur illi. Item, lego conventui Brinoniae *indumentum unum sacerdotale* [2] completum de meis communibus, quibus familiares mei uti sunt consueti.

Executores autem huius meae ordinationis facio et ordino reverendos in Christo patres dominos archiepiscopum Arelatensem [3] et episcopum Carcassonensem [4], dominum episcopum [5] et G. abbatem Massilienses et religiosum virum praefatum Fratrem Raymundum Goffridi ac venerabilem magistrum Petrum de Ferreriis [6], decanum Aniciensem, regni Siciliae cancellarium, et nobilem virum dominum Hugonem de Vicinis, Provinciae et Forcalquerii senescallum [7], ita scilicet quod illud quod omnes simul vel quicumque ipsorum cum praedicto Fratre Raymundo ordinandum et faciendum duxerit in praemissis et quolibet praemissorum, roboris firmitatem habeat, dans eis omnibus executoribus et eidem Fratri Raymundo cum quocumque alio ex ipsis plenariam potestatem bona et credita mea recipiendi ubicumque fuerint et a quibuscumque mihi debeantur, ac petendi et exigendi ea tam in iudicio quam extra iudicium, et omnia alia circa haec faciendi, quae ego ipse facere possem, si praesens adessem.

Et hanc meam ordinationem valere volo iure testamenti vel iure codicillorum vel donationis causa mortis inter vivos vel alterius cuiuslibet ultimae voluntatis, secundum quod melius de iure valere potest, rogans suppliciter praedictum dominum et genitorem meum, ut circa efficacem et celerem executionem ordinationis eiusdem dignetur et velit praedictis executoribus meis ac dicto Fratri Raymundo et alii ex eis, quem cum ipso ad executionem eamdem vacare contigerit, assistere et favere ac opportunum consilium, protectionem et auxilium impartiri.

In quorum omnium praemissorum fidem et cautelam factum est per manus mei praedicti notarii praesens publicum instrumentum, quod scripsi ego idem notarius, qui praedictis omnibus interfui, et meo solito signo signavi rogatus.

---

[1] Conventus Draguiniani fundatus est 1222. Cf. A. de Sérent, *Géographie de la province de Provence* in *La France Franciscaine*, II (1913), p. 139. Die 20. XI. 1295 Carolus II erat Draguiniani cum filiis suis. Forsan eo tempore Ludovicus recepit dictos libros. Cf. V. Verlaque, op. cit., p. 80.

[2] Hoc indumentum sacerdotale completum, id est pluviale, duae dalmaticae, casula et stola, nunc servatur in ecclesia parochiali Brinoniae et singulis annis, die 19. VIII, fidelium venerationi exponitur. Cf. V. Verlaque, op. cit., p. 129, nota 2.

[3] Rostagnus de Capre, archiep. Arelaten., 5. VIII. 1286 † 23. VII. vel 22. VIII. 1303. Cf. Eubel, *Hierarchia* I², p. 103. *Gallia christ. novissima,* (Arles), Valence, 1901, n. 1332-88. *Gallia christ.,* t. 13, *Instrumenta,* col. 47, post sequens *'et'* addit *'P'*.

[4] Petrus de Capella (de la Chapelle Taillefer) episc. Carcassonen. 15. V. 1291, translatus ad Tolosan. 25. X. 1298, creatus Cardinalis 15. XII. 1305, obiit 16. V. 1312. Cf. Eubel, l. c., p. 14, 166, 488. *Gallia christ.,* t. 13, col. 35 s.

[5] Durandus (de Trésémines) episc. Massilien., 17. IV. 1289 † 3. VIII. 1312. Cf. Eubel, l. c., p. 330. *Gallia christ. novis.* (Marseille), Valence 1899, num. 322-99.

[6] Petrus (de Ferrières) iam an. 1295 est vicecancellarius regni; postea factus est episc. Lectoren. 23. XII. 1299, translatus ad Noviomen. 22. XII. 1301, dein ad Arelaten. 30. I. 1304 † 8. XI. 1307. Cf. Eubel, l. c., p. 103, 299, 372. *Gallia christ. novis.* (Arles), num. 1389–1450. *Gallia christiana,* t. 2, Paris. 1873, col. 743. Mollat, *Vitae Paparum Avenionensium* II, Paris 1928, p. 180 s.

[7] Huic scribit Carolus II, 7. IV. 1296, de pensione pro expensis hospitii s. Ludovici solvenda. Cf. supra, p. 450, n. XXV et XXVI. Huic etiam apparet s. Ludovicus sub officio exequiarum. Cf. supra, p. 259, lin. 15 et p. 364, n. 50.

Quae ordinata et acta per praedictum dominum Episcopum supra continentur, de praefato scilicet episcopo Carcassonensi, quod sit unus dictorum executorum eius, et de annulis suis legatis et relictis praedictis domino Regi ac dominae Reginae, ut dictum est, ordinata et acta sunt praedicto anno, XIX die dicti mensis Augusti. Cetera vero praemissa, prout superius exprimuntur, ordinata et acta sunt per eumdem praedicto die XIX mensis eiusdem.

XXX.

Romae, 27. I. 1300. — *Carolus II mandat Ioanni de Roca Guillelmi, ut apud Papam pro canonizatione filii sui Ludovici instet.*

Karolus secundus, rex Sicilie ... Tenore presentium notum facimus universis, quod nos, confisi de fide, industria et probitate magistri Iohannis de Roca Guillelmi facimus, ordinamus et constituimus eum presentem ac suscipientem nostrum verum et legitimum procuratorem ac nuncium specialem ad supplicandum nomine et pro parte nostra instandum sollicite ac opportune, ut expedit, apud sanctissimum in Christo patrem et clementissimum dominum nostrum dominum Bonifacium, divina providentia Summum Pontificem, pro canonisacione Lodovici, nati nostri carissimi, olim Episcopi Tolosani, iuxta confirmacionem venerabilis in Christo patris domini Matthei[1], Dei gratia Episcopi Portuensis et Sancte Rufine, prout ipsius domini nostri providencia dignum duxerit et viderit concedendum. In cuius rei testimonium presens procurationis scriptum exinde fieri et pendenti maiestatis nostre sigillo iussimus communiri. Actum et datum Rome per Bartholomeum de Capua etc., die XXVII Ianuarii, XIII Indictionis.

Reg. Andegaven. 97, 1299, B, fol. 163. C. Vielle, op. cit., p. 285, nota 29.

XXXI.

Pictavis, 3. VIII. 1307. — *Clemens V episcopis Xanctonen. et Lectoren. mandat ut inquirant de vita et miraculis recol. mem. Ludovici, episcopi Tolosani.*

Cf. supra, p. 1-3.

XXXII.

Neapoli, 12. IX. 1311. — *Robertus, rex Siciliae, Senescallo Provinciae mandat ut pro expeditione inquisitionis factae de miraculis s. Ludovici fratri Guillelmo de S. Marcello CCCC florenos auri solvat.*

Robertus, rex Sicilie, ... Senescallo Provincie et Forcalquerii ac thesaurario et maiori iudici in comitatibus ipsis Provincie et Forcalquerii vel eius locum tenentibus fidelibus suis *etc.*

Beneplaciti nostri est et fidelitati vestre mandamus expresse quatenus religioso viro fratri Guillelmo de Sancto Marcello[2], Ordinis fratrum Minorum, domini Pape penitentiario, consiliario, cappellano et familiari nostro, vel suo pro eo procura-

---

[1] Matthaeus ab Aquasparta, Minister glis Ord. Minorum 23. V. 1287-8. V. 1289, creatus Cardinalis tit. s. Laurentii in Damaso 16. V. 1288, postea (1291) episcopus Portuensis et S. Rufinae, obiit 28. X. 1302. Cf. Eubel, *Hierarchia* I[2], p. 11, 36. De eius vita et scriptis egregie tractavit P. Victorinus Doucet, O. F. M., in *Bibliotheca Franciscana Scholastica medii aevi,* t. XI, Ad Claras Aquas 1935, pp. XII-CLXIII.

[2] De eo cf. supra, in *Prolegomenis*.

tori aut nuncio florenos auri CCCC pro expedicione inquisicionis facte de miraculis clare memorie domini Ludovici, Episcopi Tholosani, fratris nostri, de quacumque fiscali pecunia iurium, redditnum et proventuum Curie nostre in comitatibus supradictis, que per manus vestras fuerit accepta pecunia, que stabilita est pro censu debito per nos sacrosancte Romane ecclesie ac pro debito inclyti regis Aragonensis, fratris nostri, per tolerabiles et competentes terminos exsolvatis. Et quia dictus Frater procurator et prosequutor est dicti negotii, statuatis ei propterea gagios seu expensas ad racionem de turonensibus duobus argenti per diem, quamdiu in eisdem procuracione et prosecucione premissa fuerit, de dicta pecunia, de qua fiet ei solutio dictorum florenorum quadringentorum satisfacti prius de prosecucione premissa satisfactionem etiam debitam impendatis. Quod si forte, tu thesaurarie, infra tempus dicti tui officii presentes non incepisses exequi, eas assignes successori tuo in dicto iusticieratus officio per eum execucioni mandandas; si vero tue amotionis tempore per te ipsarum execucio fuerit incepta, informes eum de execucione huiusmodi per te facta, ut ipse prefatas litteras in eo quo hunc pependerunt exequatur. Datum Neapoli in camera nostra, anno Domini MCCCXI, die XII Septembris, X Indictionis, regnorum nostrorum anno III.

Reg. Andegaven. 195, 1310, C, fol. 121. R. Minieri, *Genealogia di Carlo II,* in ASPN VII, p. 226. C. Vielle, op. cit., p. 289, nota 41.

XXXIII.

Avinione, 7. IV. 1317. — *Ioannes XXII catalogo sanctorum adscribit recol. mem. Ludovicum, episcopum Tolosanum.*

Cf. supra, p. 395-99.

INDEX PERSONARUM

c = coniux; f = filius, filia. Fratres Minores obliquis signantur litteris.

INDEX LOCORUM

INDEX VOLUMINIS

TEXTUS EDITI.

Errata		Corrige
Pag. 14, l. 17	*ferratum*	folleratum
» 15, l. 28	*allagata*	allegata
» 16, l. 13	*instrionibus*	istrionibus
» 18, l. 23	*vetitus*	veritus
» 20, l. 25	*Lodonensi*	Lodovensi
» 25, l 22	*venit, testis*	venit testis
» 32, l. 32	*Manecio*	Manerio
» 68, l. 21	*niminatus*	nominatus
» 115, l. 21	*noverat*	voverat
» 155, l. 32	*Rapincensis*	Vapincensis
» 168, l. 20	*pueperio*	puerperio
» 173, l. 29	*umblicum*	umbilicum
» 197, l. 29	*letu*	fletu
» 223, l. 35	*similudinem*	similitudinem
» 334, l. 5	*7894*	7874
» » l. 6	*XXX*	XXXIX
» » l. 9	*278-80*	278-340
» 349, l. 13	*rigidate*	rigiditate
» 391, nota:	*Appendice I*	Vita auct. Ioan. de Orta
» 403, l. 3	*muncios*	nuncios
» 405, nota 1:	*Cf. supra ...*	Cf. supra, p. 402, n. 1.
» 409, 35	*latenter*	letanter
» 414	*Vat. lat. 7592*	Z = Vat. lat. 7592
» 435, nota 1:	*numerus—Mutinensis*	*deleatur haec nota.*

Ex parte Nostra nihil obstat quominus imprimatur.
Romae, die 9 aprilis 1951.

Fr. Pacificus M. Perantoni
Min. Gen. O. F. M.

IMPRIMATUR
Datum Florentiae, die xvi aprilis 1951.

✠ Elias Card. dalla Costa
Archiep.

Analecta Franciscana.

vol. 7